DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS

SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

EIUSQUE AUCTORITATE PROMULGATA

SUB AUSPICIIS SS. DOMINI NOSTRI

LEONIS PAPAE XIII.

Vol. III.

AB ANNO 1871 NUM. 3233 USQUE AD ANNUM 1899 NUM. 4051.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCC.

INDEX

DIOECESIUM ET DECRETORUM

DECRETA AUTHENTICA

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

EX ACTIS EIUSDEM COLLECTA

3233. DECRETA GENERALIA (Suppl.)

CAUSAS SERVORUM DEI RESPICIENTIA.

I. In Generalibus Decretis a s. m. Urbano PP. VIII editis super moderatione cultus Dei famulis praestandi, omnino praecipitur ut sive Causa procedat per viam non cultus, sive per viam casus excepti, particularis processus praecedere debeat una cum subsequenti pronuntiatione Ordinarii, seu Iudicis ab Apostolica Sede delegati, vel super cultu non exhibito vel super casu excepto. Quibus Decretis diu conformis extitit Sacrae Rituum Congregationis praxis, uti patet ex eiusdem Congregationis Actis. Quin etiam, prouti testatur s. m. Benedictus PP. XIV in suo opere de Canonizatione Sanctorum, Lib. 11, Cap. 23, n. 10, inductum fuit ad normam eorumdem Decretorum ut per particularem processum nedum probaretur cultus initium, seu fundamentum casus excepti, verum etiam cultus eiusdem iugis continuatio, usque ad sententiam hac de re editam sive ab Ordinario sive a Iudice ab Apostolica Sede delegato; subinde tamen, accedente expresso vel tacito S. Sedis consensu, iudicialis illa ac legitima inquisitio intermitti coepit, et per extraiudiciales probationes deventum est ad declarationem casus excepti. Verum cum Emi Patres sacris tuendis Ritibus Praepositi particularis processus confectionem valde conferre animadverterint accuratiori causarum examini, re mature perpensa auditoque S. Fidei Promotore, hodiernis Comitiis ad Vaticanum habitis, Generalium Decretorum tenorem ac veterem S. Congregationis praxim districtius in posterum observari iusserunt. Proinde statuere ut deinceps ad approbationem cuiuslibet ex casibus exceptis non deveniatur, nisi praecesserit particularis processus tam super cultus initio, seu super fundamento casus excepti, quam super cultus continuatione usque ad sententiam ab Ordinario seu ab Iudice ab Apostolica Sede delegato emanandam, qua declaretur casum de quo agitur comprehendi inter exceptos a memoratis Decretis s. m. Urbani PP. VIII: si Ssmo Domino Nostro placuerit. Die 5. Decembris 1868.

Facta autem per subscriptum Secretarium Ssmo Domino Nostro Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit, ac confirmavit, typisque editum publicari praecepit die 10 eiusdem mensis et anni.

II. Sacra Rituum Congregatio, expendens Processus sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate pro Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione extra Urbem confectos, gravem quandoque irregularitatem adnotare debuit in eo sitam, quod personis certum officium in processu instruendo gerentibus, postquam illo fungi coeperunt, venia data fuerit, perdurante adhuc sive Ordinaria sive etiam Apostolica eiusdem Causae inquisitione, officio primo dimisso, aliud diversae indolis assumendi et exercendi. Haec autem officiorum permutatio cum iuris regulis minime consona videatur, eadem Sacra Congregatio in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, ad praedictum removendum abusum et suspicionem quamlibet etiam levem in re tam gravis momenti prorsus eliminandam, « censuit prohibendum, si SSmo placuerit, ne deinceps in condendis quibusvis Processibus tam Ordinariis, quam Apostolicis, ad eiusdem Servi Dei Causam pertinentibus, eadem persona diversis officiis ne successive quidem, utcumque priori expleto et dimisso, fungi possit sub poena nullitatis ».

Die 10 Decembris 1870.

Factaque de praemissis per subscriptum

Secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua praefatam Sacrae Congregationis decisionem ratam habuit et confirmavit, eamque praesenti generali Decreto promulgari et ab omnibus servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 eiusdem mensis et anni.

3234. VICARIATUS APOSTOLICI (5469) DE DANIA.

R. D. Hermannus Grüder, iam Missionarius Apostolicus in Vicariatu de Dania et modo in eodem Praefecti Apostolici munere fungens, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide nonnulla transmisit dubia, quae ab Eadem ad hanc Sacram Rituum Congregationem pro solutione remissa fuere. Dubia autem proposita sunt sequentia:

Dubium I. Inter facultates speciales quae oratori communicatae fuere, nona ita iacet: Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. Circa vero hanc facultatem quaerit:

1. Num vi huius facultatis etiam liceat ministrare infirmis S. Communionem occulte sine vestibus sacris et lumine?

2. Num vi huius facultatis liceat etiam ministrare extremam Unctionem eodem modo?

3. Num vi huius facultatis liceat deferre et ministrare dicto modo S. Communionem iis qui longo tempore in carceribus acatholicis detinentur si secus eadem carere debent?

4. Num in hisce casibus saltem sufficeret, si Sacerdos in ipso cubiculo infirmi aut carcerati veste talari et Stola se induat?

5. Num vi huius facultatis liceat Missionario, commoranti in locis ab Ecclesia vel Oratoriis longe distantibus, servare aliquas sacras Hostias in loco decenti pro infirmis forte occurrentibus, quamvis actu nulli ibi infirmi reperiantur?

Dubium II. Anno 1860 die 23 Septembris Rmus Pro-Vicarius Apostolicus Missionarius illarum Missionum notum fecit Summum Pontificem eisdem concessisse facultatem recitandi Officia privilegiata quae in Supplemento novissimarum editionum Breviarii Romani reperiuntur. Numquid haec facultas censenda est respicere illa tantummodo Officia privilegiata, quae tunc temporis iam reperiebantur vulgata in dicto Supplemento Breviarii, vel ad illa etiam extendenda erit quae post illud tempus (scilicet anno 1860) passim vulgantur?

Dubium III. In locis Missionum, ubi Catholici haud raro incolunt procul Ecclesiis vel Oratoriis publicis, a quibus v. gr. decem vel viginti milliariis geographicis distant, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis obnoxia est; licetne Missionario advocato baptizare hos infantes solemniter in domibus privatis, vel extra mortis periculum, Baptismum ministrare sine caeremoniis?

Dubium IV. Numquid ad sacram Hostiam in Ostensorio exponendam uti licet Lunula, quae consistit ex duobus orbiculis vitreis tenui limbo vel circulo argenteo deaurato circumiunctis et claudendis, ita ut sacra Hostia subter inhaereat ipsi circulo argenteo, ast ante et retro vitreos orbiculos ipsos immediate tangat, et per eos erecta teneatur?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente infrascripto Secretario, audita sententia in scriptis Rmi D. eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam quaestionem: « Affirmative, si pariter ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii ».

Ad secundam: « Affirmative, si idem adsit periculum ».

Ad tertiam: « Affirmative, si immineat idem periculum et adsint causae prudenti iudicio Missionarii graves pro Sacra Eucharistia administranda ».

Ad quartam: « Id omittendum non esse, quotiescumque fieri potest ».

Ad quintam: Affirmative, prout liquet ex ipso indulti tenore ».

Ad II. « Per R. P. D. Secretarium supplicandum Sanctissimo, ut decernere dignetur ad quaenam Officia in Supplemento contenta vel etiam in illud inserenda indultum coarctari debeat ».

Ad III. « Affirmative, seu Baptismum in casu ministrari posse in privatis domibus, servato ritu Ecclesiae consueto ».

Ad IV. « Prout in casu exponitur non decere sacras species inter vitreas laminas includere, quarum superficies illas immediate tangant ».

Atque ita rescripsit.

Die 4 Februarii 1871.

Facta autem de contentis in secundo

dubio Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per eumdem Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua declaravit: Indultum coarctandum esse ad illa Officia quae Clero Urbis Romae usque huc concessa fuere vel in posterum concedentur. Die 10 iisdem mense et anno.

3235. PADERBONEN. (5470)

Rm̃us D. Conradus Martin Episcopus Paderbonen. Sacrae Rituum Congregationi humillime exponit quod in Dioecesi Paderbonen. saeculo elapso Festum Patroni Ecclesiae erat Festum de praecepto cum feriatione populi. Postea vero quum per Bullas Pii Papae VI anno 1788 pro Orientalibus, et Leonis XII anno 1828 pro Occidentalibus provinciis Regni Borussiae Festum Patroni loci in Dominicam sequentem pro foro et Choro translatum fuerit, etiam Festum Patroni Ecclesiae in Dominica sequenti cum Officio et solemnitate celebrandum praescriptum fuit per Edictum Rm̃i Episcopi Friderici Clementis (1829) atque ita usus introductus est, qui hodiedum viget.

Quum autem modo de hac translatione Festi Patroni Ecclesiae nonnulla orta fuerint dubia, eadem supradictus Rm̃us orator eidem Sacrae Congregationi pro opportuna resolutione proposuit. Dubia vero sunt haec:

Dubium I. An Patronus Ecclesiae, ex eo quod eius Festum de praecepto cum feriatione populi post Bullam Urbani VIII 1630 celebrandum fuit, ipse legitime habendus sit tanquam Patronus loci, etiam absque electione a Clero, Magistratu et Populo facta? Et quatenus negative,

Dubium II. An Festum Patroni Ecclesiae de praecepto secum habuerit obligationem pro Parochis applicandi eo die Missam pro Populo? Et quatenus affirmative,

Dubium III. An talis obligatio applicandi Missam cum abrogatione Festis de praecepto simul cessaverit?

Dubium IV. An indultum transferendi Festum Patroni loci in Dominicam sequentem cum Officio et solemnitate concessum per Bullas Pii Papae VI anno 1788 et Leonis XII anno 1828 intelligendum sit etiam de Patrono Ecclesiae cuius Festum fuit de praecepto?

Sacra vero Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia in scriptis tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rm̃i Domini eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris, rescribere rata est:

Ad I. « Perpensis expositis, Patronum Ecclesiae in casu habendum esse uti verum Patronum loci; ideoque ad eum pertinere quaecumque circa Patronos in Ecclesiasticis Constitutionibus et Pontificiis Decretis praecipiuntur ».

Ad II, III et IV. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 4 Februarii 1871.

3236. VICEN. (5471)

Quum in Ecclesia Cathedrali Vicensi nonnulli ab immemorabili usus vigeant, quos an tolerare possit hodiernus Rm̃us Episcopus vehementer dubitat; ipse sui muneris esse duxit usus ipsos Sacrorum Rituum Congregationi exponere, ut eadem declarare dignaretur quid in casu agendum sit. Usus autem ipsi sequentibus continentur dubiis; nimirum:

Dubium I. In Missa Conventuali Subdiaconus ante pectus librum tenens stat in suppedaneo contra Altare, at versus Celebrantem cum Diacono in plano Confessionem facientem.

Dubium II. Diaconus atque etiam Subdiaconus pergentes ad locum ubi de more canitur Epistola vel Evangelium, portant velum humerale iuxta colorem diei, quo suum respective librum cooperiunt.

Dubium III. Quotidie, paucis Festis exceptis, recitantur in Choro post Tertiam Litaniae Sanctorum, cuius praxis origo non plane noscitur: asseritur tamen a quibusdam hanc recitationem fieri ob quamdam poenam olim residentibus inflictam, qua de causa egrediuntur e Choro quamplurimi, utpote qui in illa poena, ut dicunt personali, non comprehensos se iactant.

Dubium IV. In praedictis Litaniis bis dicuntur nomina S. Petri Apostoli Cathedralis Ecclesiae Titularis, nec non Sanctorum Martyrum Luciani et Marciani Vicensis Civitatis Patronorum, et tandem Sanctae Scholasticae Virginis cuius insignis Reliquia in illa Ecclesia custoditur. Praedicti Sancti magna cum veneratione a populo coluntur. Pro secunda invocatione respondetur: *Intercede pro nobis*.

Dubium V. Duo tantum ex Capitulo digniores multis abhinc annis expectant Episcopum intra Ecclesiam in ianua dicta Claustri, per quam iste cum suis Cappellanis Cathedralem adit ut ad Conventualem assistat, et in egressu eumdem comitantur usque ad ianuam domus Episcopalis in Clau-

stro. Tantum veniunt usque ad Cameram Episcopalem, Choro iam incepto, quinque Capitulares, qui assistunt et ministrant in Missa Pontificali, eo die quo Episcopus celebrat.

Sacra porro Rituum Congregatio, re mature perpensa, auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I et II. « Serventur Rubricae Missalis Titulo de celebratione Missae ».

Ad III. « Episcopus diligenter inquirat an ulla adsit veri nominis obligatio recitandi Litanias: et quatenus eam certo non invenerit, curet servari aut aboleri pium usum ».

Ad IV. « Dentur Decreta in Cremonensi die 4 Aprilis 1620; atque in Regien. diei 8 Martii 1631 et 29 Ianuarii 1656 ».

Ad V. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum Libro I, Cap. XV, § 1 et 11 ». Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 4 Februarii 1871.

3237. BURGI S. DOMNINI. (5472)

Rm̃us D. Ioseph Buscarini Vicarius Capitularis Dioecesis S. Domnini, Sede illa Episcopali vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. In Dioecesi Burgi S. Domnini, sicuti et in plurimis aliis, recitari solent coram SSm̃o Sacramento exposito vulgari sermone sequentes laudes approbatae, quibus adnexae sunt nonnullae Indulgentiae: *Dio sia benedetto. Benedetto il suo Santo Nome ecc.* Ast in aliquibus dictarum Ecclesiarum recitantur immediate post Orationem: *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili etc.;* sed antequam impertiatur populo benedictio, in aliis post benedictionem cum Venerabili, sed priusquam reponatur SSm̃um Sacramentum in Tabernaculo. Hoc posito quaeritur an continuari possit ad libitum utraque consuetudo?

Dubium II. Ex Decretis quae praescribunt usum Stolae dumtaxat in confectione et collatione Sacramentorum, nonnulli Sacrarum Caeremoniarum cultores et Magistri arguunt non amplius adhiberi posse Stolam in exponendo et reponendo SSm̃o Sacramento, vel eodem transferendo de uno ad aliud Altare, ac in elargienda cum ipso benedictione, in commendatione decedentis animae, in exequiis mortuorum, in exorcismis, in facienda aqua benedicta, in benedictionibus mulieris post partum, domorum in Sabbato Sancto, Sacerdotalium indumentorum, novae Ecclesiae vel Oratorii, novi Caemeterii, in Processionibus quibuscumque, atque in ceteris benedictionibus in Rituali et Pontificali Romano contentis, ac in aliis similiter et praesertim in concionibus, in quibus Stolae usus ab immemorabili consuetudine adhibetur. Quaeritur ergo utrum haec sententia teneri possit in praxi?

Dubium III. Quotiescumque Festum S. Michaelis Archangeli incidit in Feriam V Hebdomadae quartae Septembris (ultimae mensis) iuxta Rubricam Breviarii Romani ponendum foret initium Libri Esther, ut in Dominica V, et de eo legendum etiam duobus sequentibus diebus si essent liberi. At nullus horum dierum in Dioecesi S. Domnini est liber: non dies S. Michaelis cuius Officium est proprium, non dies S. Hieronymi cum habeat Lectiones primi Nocturni assignatas, neque dies Calendarum Octobris in qua agitur de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis. Succedit Dominica 1 Octobris (die 2), in qua legendus esset Liber Machabaeorum, nisi occurreret Festum SS. Rosarii, ideoque huius initium ponitur Feria II sequenti, idest die 3, et Festum Ss. Angelorum transfertur in Feriam IV quae est prima dies libera post Calendas Octobris. Igitur exquiritur 1. An hoc in casu Rubrica peculiaris superius allata attendenda sit et valeat pro repositione initii Libri Esther in Festo Ss. Angelorum etiam translato in Feriam IV infra Hebdomadam primam Octobris, in qua iam legitur Liber 1 Machabaeorum? 2. An hae Lectiones Libri Esther poni potius debeant in Festo S. Hieronymi, omissis assignatis de communi Doctorum. 3. An hoc initium ponendum sit Feria IV Hebdomadae IV Septembris loco Lectionum de Libro Iudith *Factum est autem etc.* quae illa nocte leguntur? 4. An omittendum?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative, seu iuxta Rituale et Pontificale Romanum Stola adhibenda est in conficiendis et administrandis Sacramentis, in confectione et administratione Sacramentalium, et etiam in Concionibus, si adsit consuetudo ».

Ad III. « In casu initium Libri Esther reponendum est in die Sancti Hieronymi ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Martii 1871.

3238. CADURCEN. (5473)

Quum in Calendario Cadurcensi die XXVI Octobris recolatur sub ritu duplici maiori Festum Sacrarum Reliquiarum seu Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiae in Ecclesiis Dioeceseos praedictae asservantur, Rmus hodiernus Episcopus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit ut declarare dignaretur: An in hoc Festo dici debeat *Credo* in Missa?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii respondendum censuit: « Missa cum *Credo* celebranda est in solis Ecclesiis Dioeceseos in quibus asservantur Reliquiae insignes, in aliis vero sine *Credo* ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 11 Martii 1871.

3239. SANCTI GERMANI. (5474)

Quum paucae sint Missae in Cathedrali Ecclesia Sancti Germani de Canadà non raro accidit ut fideles ad Sacram Synaxim recipiendam accedant in Missa cum cantu celebrata, cui adesse solet Episcopus. Quum autem orta sit controversia de modo quo Episcopus ipse stare debeat dum celebrans Sacram Eucharistiam distribuit, quaesitum est a S. R. C.

1. Num genuflectere Episcopus debeat in faldistorio contra Altare ut tempore Elevationis, atque ita terga vertere fidelibus ad sacram Communionem accedentibus, aut genuflectere in plano vel ante gradus Sedis Episcopalis?

2. An genuflexus manere debeat durante tempore Communionis, vel solum eo temporis momento in quo celebrans ex Altare discedit ad Communionem ministrandam?

Sacra vero eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, rescribere rata est: « Servetur consuetudo ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Martii 1871.

3240. MARIANOPOLITANA. (5475)

Hodiernus Rector parochialis Ecclesiae a Nativitate Beatae Mariae Virginis nuncupatae, sitae in loco cui nomen vulgo *La Praine de la Magdaleine* in Dioecesi Marianopolitana, exposuit quod tota frons Ecclesiae praedictae (circiter pars sexta ipsius muralis ambitus) cum ruinam minitaretur, erui debuit usque ad fundamenta quae remanserunt et in quibus novus murus pro maxima parte erectus est. In dicta autem fronte Ecclesiae reperiebantur duae e duodecim lapideis crucibus oleo sancto inunctis in consecratione praefatae Ecclesiae appositis, quae tamen in muro noviter extructo iterum collocatae fuerunt. Altare quoque maius ipsius Ecclesiae, consecratum cum ipsa, postea amotum fuit et in alia parte erectum.

Hisce expositis a Sacra Rituum Congregatione praefatus orator exquisivit humillime ut ipsa declarare dignaretur: An supradicta Ecclesia remaneat consecrata; ita ut satis sit consecrare novum erectum Altare.

Et Sacra Congregatio, referente infrascripto Secretario, rescribere rata est: « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Martii 1871.

3241. SOCIETATIS PRESBYTERORUM SS. SACRAMENTI. (5476)

Raymundus de Cuers Superior Societatis Presbyterorum SSmi Sacramenti a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. An in concursu Vesperarum Festi Dolorum Beatae Mariae Virginis cum primis Vesperis Festi S. Iosephi die XVIII Martii, ad Completorium Hymnus concludi debeat cum doxologia Beatae Mariae Virginis?

Dubium II. Libri Liturgici, ut Breviaria et Missalia, multis in locis reimprimuntur iuxta quosdam usus quoad punctuationem verborum ortographicam et cum observatione, ut aiunt, legum grammatices accuratiorum et collatione facta cum optimis Sanctorum Patrum editionibus vel etiam Scripturae sacrae, et insuper Hymni, Capitula et alia huiusmodi de loco ad locum transferuntur pro utentium, ut asserunt, commoditate. Anne tuta conscientia isti Libri Liturgici adhiberi possint, quum non videntur sufficienter conformes Romanarum editionum authenticarum formae?

Dubium III. Quando Ecclesia dedicata sit non sub alicuius Beati vocabulo sed alicuius mysterii ut Sanctae Crucis, Sanctissimi Sacramenti etc.; Anne exprimendum sit nomen huius Mysterii loco nominis Sancti quod venit recitandum in precibus primi Lapidis et Benedictionis seu Consecrationis huius Ecclesiae?

Dubium IV. Cum velari debeant Sacrae Imagines et Sanctorum Icones dum expositum manet SSm̃um Sacramentum, praesertim a parte loci Ecclesiae ubi fit expositio, ne iuxta peritorum doctrinam, adstantium attentio distrahatur a Sacramento et ad illos convertatur, quaeritur: An consultius sit nullam adhibere sacram Imaginem in nostris Oratoriis, cum stricte perpetua in illis fiat Expositio et adoratio SSm̃i Sacramenti, attenta praecipue hac circumstantia quod praedicta aedificia sint potius exigua et absolute, ut ita dicatur, ab ornamentis et maiestate Expositionis SSm̃i Sacramenti integre occupata?

Postulavit insuper ut liceat suae Societatis Alumnis in Choro recitationem Matutini a Laudibus seiungere, ita ut Matutinum anticipetur pridie primis vespertinis horis, et Laudes recitentur summo mane; quum Alumnis suis media nocte surgere ad Matutinum cum Laudibus recitandum impossibile sit, dum quisque ad adorationem faciendam perdurante nocte per turnum surgere debet.

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « Serventur Rubricae quae statuunt quod si in Vesperis fiat commemoratio de Beata Maria Virgine, ad Completorium Hymnus concluditur cum *Iesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine* ».

Ad II. « In editione Librorum Liturgicorum adamussim serventur Leges in Constitutionibus et Bullis Summorum Pontificum praescriptae ».

Ad III. « In Oratione quae incipit *Domine Deus, qui licet caelo et terra etc.*, omisso nomine cuiusvis Sancti vel Sanctae, dicatur: *Beatae Mariae semper Virginis omniumque Sanctorum intercedentibus meritis etc.* Ad Benedictionem primarii lapidis, in Oratione *Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus*, dicatur *in honorem sanctae Crucis,* aut *in honorem Mysterii SSm̃i Sacramenti etc.* ».

Ad IV. « Negative; et solum tegenda est Imago quae extat in Altari in quo fit expositio ».

Ad postulatum vero rescripsit: « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 11 Martii 1871.

(1) E. Dub. I.

3242. NUCERINA. (5477)

Rm̃us D. Antonius Maria Pettinari Episcopus Nucerinus exposuit (1) quod Canonici Collegiatae Ecclesiae de Saxoferrato in sua Dioecesi fruebantur privilegio rochettum et mozzettam gestandi. Anno autem 1857 a SSm̃o D. N. Pio Papa IX privilegium obtinuerunt deferendi hyemali tempore cappam, aestivo vero cottam super rochetto. Hoc posito privilegio, videtur quod antiquo frui amplius non possint Canonici: quum tamen ipsi pro lubitu etiam nunc mozzettam gestare soleant, praedictus Rm̃us orator a Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut declarare vellet num Canonici isti recte se gerant?

Sacra vero eadem Congregatio, audito in scriptis altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, proposito dubio rescribere rata est:

« Negative; et mozzetta amplius adhiberi nequit a praefatis Canonicis ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 11 Martii 1871.

3243. MIMATEN. (5478)

Rm̃us D. Ioannes Antonius Maria Foulquier Episcopus Mimaten. Sacrae Rituum Congregationi exposuit in sua Dioecesi usum invaluisse Presbyteros in Officio Defunctorum Missae assistentes, etsi gaudeant statuta mercede, tamen non semper cantui participare; proprium enim Officium privatim interdum recitare solent, cum nempe cantui sese adiungere necesse eis non videtur, et putant se habere personalem aliquam rationem Officium canonicum non differendi. Quum autem ab hac praxi recedere difficillimum sit, saltem in pluribus circumstantiis, supradictus Rm̃us orator postulavit, ut praxis ipsa continuari in posterum possit.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, re mature perpensa, rescribere rata est:

« Si agatur tantum de Missa, exposita praxis tolerari potest, dummodo tamen adsint Cantores ad hoc specialiter deputati; minime vero si agatur de Officio Defunctorum, quod persolvendum est ab iis qui mercedem accipiunt pro hac recitatione, iuxta Decretum in Petrocoricen. diei 9 Maii 1857 ». Atque ita rescripsit.
Die 11 Martii 1871.

3244. ORDINIS (5479)

CISTERCIENSIS REFORMATI.

Fr. Franciscus Regis Abbas et Procurator Generalis Ordinis Cisterciensis Reformati Sacrorum Rituum Congregationi infrascriptum dubium declarandum proposuit; nimirum:

Conclusio Orationis Festi SSmi Nominis Iesu diversimode legitur in Libris ad usum Ordinis Cisterciensis. Breviaria et Missalia praefatam Orationem concludunt *Per eumdem Dominum:* Antiphonalia vero, et quidem novissime excusa, per *Qui tecum vivit.* Ad hanc igitur varietatem evitandam praefatus orator exquisivit humillime ab eadèm Sacra Congregatione, ut declarare dignaretur num in praedicta Oratione adhibenda sit conclusio: *Qui tecum,* uti habent nova antiphonaria; vel retinenda sit conclusio: *Per eumdem,* uti habetur in Breviario et Missali Romano?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 22 Aprilis 1871.

3245. TORNACEN. (5480)

In Missa solemni coram Sanctissimo Sacramento fidelium venerationi exposito dicenda est commemoratio SSmi Sacramenti; et tempore Concilii Oecumenici Vaticani in eadem quoque Missa addenda est Oratio de Spiritu Sancto. Quum inter Liturgistas circa has commemorationes gravis exorta sit controversia, quaeritur:

I. An commemoratio de Sacramento praemittenda; vel postponenda sit Orationi de Spiritu Sancto?

II. An in Festis duplicibus primae classis tres Orationes, scilicet de die, de SSmo Sacramento et de Spiritu Sancto sub unica conclusione, vel potius duae collectae de Sacramento, et de Spiritu Sancto, sub diversa conclusione dicendae sint?

Sacra vero Rituum Congregatio, re mature accurateque perpensa auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « In casu Oratio SSmi Sacramenti coniungenda est cum Oratione Festi; Oratio vero de Spiritu Sancto dicenda est sub distincta conclusione ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 22 Aprilis 1871.

3246. ORIOLEN. (5481)

seu

ALONIEN.

Rmus D. Petrus Cubero y Lopez de Padilla Episcopus Oriolen. seu Alonien., ob notabile frigus quod aliquoties sentitur in Dioecesi sua, praesertim hyemali tempore, et propter nimium radiorum solis ardorem, qui tempore aestivo supra modum molestiam affert, saluti prospicere volens suorum Sacerdotum, a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit:

1. Utrum liceat Ministro deferenti Sacram Eucharistiam infirmis, tam infra populos quam in agris degentibus, incedere capite cooperto, bireto scilicet aut pileolo; quando propter aeris inclementiam aut nimium calorem solis fundate timetur detrimentum salutis illius?

2. Utrum iisdem in circumstantiis hoc saltem liceat Ministro deferenti in Processione Imaginem Vultus Sancti Domini Nostri Iesu Christi, quae ex Ecclesia in qua habitualiter servatur, per quatuor mille passus a Civitate Alonien. distante, tempore publicarum calamitatum processionaliter deferri solet ad Ecclesiam Collegiatam praedictae Civitatis Aloniensis?

Sacra vero Rituum Congregatio, re mature perpensa, rescribere rata est:

« Supplicandum SSmo pro gratia deferendi pileolum in casu ».

Die 22 Aprilis 1871.

Facta vero de praedictis SSmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas sua commisit Rmo Ordinario pro tempore Dioeceseos Oriolen. seu Alonien., quatenus nomine et auctoritate Sanctae Sedis pro suo arbitrio et prudentia concedere valeat Sacerdotibus Dioeceseos suae, in expositis tantum casibus, delationem pileoli. Die 27 iisdem mense et anno.

3247. FAVENTINA. (5482)

Quum Vicarius Capitularis Dioeceseos Faventinae, Sede illa Episcopali vacante,

plura sibi tribuat iura ac honorificentias, ac praesertim tam intra quam extra Cathedralem interveniente Capitulo sacras functiones peragere velit, saltem cum praeiudicio primae Dignitatis ac Canonici qui Hebdomadarii munere fungitur; Capitulum ipsum ad sua iura tutanda sequentia duo dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. An tam intra quam extra Cathedralem competant Vicario Capitulari supra Capitulum honorificentiae ac distinctiones adhibitae Vicario generali Episcopi, vel potius hae competant repraesentanti Capitulum, ut semper et ubique dignoscatur inferior conditio mandatarii erga mandantem?

Dubium II. An Vicarius Capitularis pro lubitu iure proprio functiones peragere possit tum intra tum extra Cathedralem interveniente Capitulo; vel potius id facere possit eo tantum in casu quod Vicarius esset prima dignitas ordine successivo vel Hebdomadarii munere fungeretur iuxta praxim in Cathedrali ipsa vigentem?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescribere rata est:

Ad 1. « Negative, si collegialiter cum Capitulo incedat, sed omnes honorificentias, distinctiones et iura spectare ad primam Dignitatem Capituli ordine successivo, et detur Decretum in Nicoteren. diei 23 Iulii 1667 ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; iuxta Decreta alias edita et praesertim in Syracusana diei 7 Augusti 1627; ad secundam partem: Affirmative, si reapse quoad Hebdomadarium constet de asserta consuetudine ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 22 Aprilis 1871.

3248. URGELLEN. (5483)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis, Calendarii eiusdem Dioeceseos Director, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Adest in praedicta Ecclesia Cathedrali immemorabilis consuetudo cantandi Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto ante Horas Canonicas, pro inauguratione Capitulorum Paschalium, quae quotannis fit feria secunda post Dominicam in Albis, quamvis occurrat Officium Duplex. Cumque iuxta Decreta huius Sacrae Rituum Congregationis non tantum causa gravis sed etiam publica requiratur: ad tales Missas votivas cantandas; quaeritur: Num praedicta inauguratio motivum sufficiens reputari possit ad memoratam Missam de Spiritu Sancto cantandam? Potestne saltem cantari vi immemoratae consuetudinis?

Dubium II. Utrum Beneficiati qui huiusmodi Missae per primam Dignitatem celebratae assistunt in officiis Presbyteri assistentis, Diaconi et Subdiaconi, post Missam decantatam teneantur cum sacris paramentis, quibus in Missa usi sunt, comitari praedictam Dignitatem sacris paramentis exutam, in habitu tamen canonicali incedentem, mediam inter Diaconum et Subdiaconum cum gremiali, sicque processionaliter sine Cruce procedere ad aulam usque Capitularem in claustris sitam? An potius considerari debeat huiusmodi praxis tamquam abusus omnino eliminandus, licet ab antiquis temporibus ita fieri consueverit?

Dubium III. Utrum probanda sit praxis cooperiendi feretra, ubi ponuntur corpora Canonicorum defunctorum, velo perlucido albo cum fimbriis auratis, non tantum dum portantur ad Ecclesiam, sed etiam dum in ipsa perdurat Officium emortuale?

Dubium IV. Utrum cantores Laici qui, defectu Clericorum, adhibentur in Choro cum cotta, quique tamen extra Ecclesiam habitu prorsus laicali vestiti semper incedunt, indui possint pluvialibus tam intra praedictum Chorum, quam extra Ecclesiam in publicis supplicationibus; ex quo constat non multum aedificari fideles tales videndo sacris paramentis indutos?

Dubium V. Quum nonnulli existiment Hymnum *Gloria in excelsis* et *Credo* in Missa dici debere alternatim cum Ministris, prout fit a Cantoribus in Choro, fundati forsan illis verbis Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. VIII, § 39, ubi loquens de *Gloria* dicit: « Episcopus (post intonationem) prosequitur illum cum suis ministris. Diaconus et Subdiaconus ac Praelati et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt »: et § 52: « Episcopus. . . . cum suis Ministris submissa voce prosequitur (idest *Credo*), pariter et Diaconus et Subdiaconus apud Altare, et Canonici illud inter se dicunt »: ideo, ut uniformitas in praxi existat, quaeritur: Utrum *Gloria* et *Credo* dici debeant alternatim ut *Kyrie;* an potius unusquisque illa recitare teneatur

Episcopum vel Celebrantem non praeveniendo sed sequendo? (1)

Dubium VI. Cum Sancti, qui a sua sede ordinaria removentur propter Patronos seu Titulares Ecclesiarum Collegiatarum et Parochialium nec non eorum octavas, collocari debeant in proximos sequentes dies liberos, debito servato ordine iuxta Rubricas; quaeritur: Utrum considerari possint dies liberi illi tantum quibus nullus Sanctus, licet translatus perpetuo, affixus est; an potius censeri etiam debeant dies liberi in casu proposito illi quibus affixi sunt a S. R. C. Sancti translati in Calendario Dioecesano generali: quando nempe Sanctus qui transferri debet in Ecclesia particulari seu Parochiali altioris ritus seu dignitatis existit vel etiam anterior est illo Sancto, qui in tali die libero a Sacra Rituum Congregatione collocatus est? Debetne huic altera dies proxime libera pro sede fixa assignari, servata prima sede Sancto Ecclesiae Parochialis altioris ritus etc. ut supra?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Attenta consuetudine Sacra Congregatio indulget ut haec praxis continuari possit; dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis ».

Ad II. « Tamquam abusus eliminanda ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Nequeunt Laici uti pluvialibus; sed toleratur tantum ut cottam induant si Clerici deficiunt ».

Ad V. « *Gloria* et *Credo,* non alternatim a Celebrante et Ministris recitari debent, sed totum ab omnibus est dicendum, non praeveniendo nec sequendo sed concomitanter ».

Ad VI. « Dies liberi ii tantum censendi sunt, quibus nullus Sanctus, etiam translatus, est assignatus ».

Atque ita rescripsit, indulsit et servari mandavit.

Die 22 Aprilis 1871.

3249. RATISBONEN. (5484)

Eques Fridericus Pustet Tipographus Ratisbonensis a S. R. C. sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. Num *Credo* in posterum dicendum sit in Festo natali S. Iosephi et Festo ipsius Patrocinii, etsi istud quandoque a Dominica in aliam diem transferri contingat? Et si affirmative: Quomodo in Missali enunciandum sit? Quomodo novum praeceptum de dicendo *Credo* enunciandum sit in Rubricis Generalibus Missalis Titulo XI de Symbolo?

Dubium II. Num in Missali et in Breviario die XIX Martii ita Festum S. Iosephi postmodum proponi debeat: « Die XIX Sancti Iosephi Confessoris Sponsi Beatae Mariae Virginis et Catholicae Ecclesiae Patroni »; et utrum id etiam in Calendario fieri possit aut debeat?

Dubium III. Quum in oratione *A cunctis* nomen S. Iosephi addi in posterum de praecepto debeat, quaeritur:

1. Quibus verbis hoc faciendum sit? Anne verbis: *intercedente Beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria cum purissimo Sponso eius sancto Ioseph et Beatis Apostolis etc.* vel quibus aliis?

2. Anne nomen Sancti Iosephi ita cum Beata Maria Virgine iunctum praeponi debeat nominibus Angelorum et Sancti Ioannis Baptistae?

3. Anne et quomodo eiusmodi Decretum apponi debeat in Missali? Forsitan in capite eiusdem inter alia Decreta Sacrae Rituum Congregationis? (2)

Sacra vero eadem Congregatio, audito etiam in scriptis voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Dicendum est Symbolum tum in Festo natali Sancti Iosephi tum in alio ipsius Patrocinii, etiam in casu translationis extra Dominicam. In Missali vero post Evangelium Missae tam Festi quam Patrocinii sufficit ut ponatur verbum *Credo.* In Rubricis autem Generalibus post verba *In festis Angelorum* addatur: *In Festis S. Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis* ».

Ad II. « Nec in Missali nec in Breviario vel Calendario eisdem praefixo addenda sunt verba « Catholicae Ecclesiae Patroni », sed tantum in Ordine Divini Officii recitandi Sacrique peragendi, qui in usum Cleri singulis annis conficitur ».

Ad III. « Ad primam et secundam partem: In oratione *A cunctis* adiiciatur semper post invocationem Beatae Mariae Virginis, et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis et Sancto Ioanne Baptista, Commemoratio Sancti Iosephi per

(1) E. Dub. VI. — (2) E. Dub. IV.

haec verba *cum Beato Ioseph*. Ad tertiam: Decretum nullimode apponendum est in Missali; sed sufficit tantum ut Oratio *A cunctis* describatur iis verbis, quibus supra enunciata est et post ipsam adiiciatur sequens Rubrica rubro charactere distincta: *In hac Oratione nomina Sanctorum Angelorum et Sancti Ioannis Baptistae praeponuntur Sancto Iosepho* ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 22 Aprilis 1871.

3250. SALTEN. (5485)

Inter Postulata transmissa ad Sacram Congregationem Concilii in Relatione Status Ecclesiae Salten. insequentia duo reperiebantur; nimirum:

I. An tolerari possit quod absque superpelliceo et in habitu communi Canonici et Beneficiati Choro intersint, cum vel ratione frigoris vel aliis de causis sic intersint ab ipsamet Ecclesiae erectione?

II. An tolerari possit consuetudo, ab erectione Capituli originem habens, celebrandi post Nonam Missam Conventualem?

Quum autem praedicta Sacra Congregatio eadem Postulata ad hanc Sacram Congregationem transmisisset pro opportuna solutione, Sacra haec Congregatio propositis Postulatis, iuxta Decreta alias edita, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et abusum esse eliminandum ».

Ad II. « Negative; et servandas esse Rubricas ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 2 Maii 1871.

3251. DREPANEN. (5486)

Cum in Collegiata Ecclesia a Sancto Petro nuncupata in Civitate Drepanensi, ob legem suppressionis dictam, prima et secunda Dignitas civiliter cessaverit, ad quas Dignitates, iuxta constitutiones, onera parochialia spectabant in dicta Collegiata; Rmus D. hodiernus Episcopus ad parochialia tantum munera obeunda per concursum elegit simplicem quemdam Presbyterum, cui etiam institutionem dedit et Archipresbyteri Parochi nomen attribuit, non vero iura Dignitatis, cum id facere Apostolicae Sedi reservatum sit. Cum autem electus ad dicta parochialia munera obeunda plura sibi spectare praetendat, velut si privilegia Dignitatum et Canonicorum illius Collegiatae esset assequutus, plurimae exortae sunt controversiae cum superstite tertia Dignitate et Canonicis, ad quas dirimendas supradictus Rmus Episcopus Sacrorum Rituum Congregationem adiit ab ea humiliter expostulans sequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. Ad quem spectet celebratio Missae solemnis Feria V in Coena Domini et tota functio Sabbati Sancti? ad tertiam nempe Dignitatem, prouti huc usque factum est, vacantibus prima et secunda ex Dignitatibus, vel potius ad Parochum?

Dubium II. Parochus potestne induere se sacris Paramentis in aula Canonicali ibique pro suo lubitu versari, aliaque ibi peragere quae Canonicis competunt, sine expressa eorumdem Canonicorum venia?

Dubium III. Qui locus, praesente Capitulo Collegiatae, debetur Parocho in Choro et in Processionibus?

Dubium IV. Potest Parochus in Choro et in Processionibus praesente Capitulo adhibere Stolam?

Dubium V. Potest Parochus uti mantelletto serico violacei coloris ut ipse praetendit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia duorum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Spectare ad Dignitatem et Canonicos ordine successivo, non autem ad Parochum ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « In Choro et in Processionibus Parochus praecedentiam habere debet super simplices Sacerdotes, nunquam vero sedere et incedere debet inter Canonicos et Mansionarios Ecclesiae ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Ex deductis Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 5 Iulii 1871.

3252. PIUS PP. IX. (5487)

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Inclytum Patriarcham Beatum Iosephum, quem Deus Omnipotens prae omnibus Sanctis suis purissimum verumque sponsum esse voluit in terris immaculatae Virginis Mariae, ac putativum unigeniti Filii sui patrem, quemque ad tam sublimia munera fidelissime implenda gratiis prorsus singularibus auxit et abunde cumulavit, merito

Catholica Ecclesia gloria et honore in caelis coronatum amplissimo prosequitur cultu atque intimo veneratur pietatis affectu. Quamobrem Romani Pontifices Praedecessores Nostri, ut augerent in dies, ac ardentius excitarent in Christifidelium cordibus devotionem et reverentiam erga sanctum Patriarcham, eosque cohortarentur ad illius apud Deum intercessionem summa cum fiducia implorandam, haud omiserunt, quoties opportuna esset occasio, novas semper ac maiores publici cultus significationes eidem decernere. Inter eos memoria repetere sufficiat Praedecessores Nostros felicis recordationis Xistum IV, qui Festum S. Iosephi inseri voluit in Breviario et Missali Romano; Gregorium XV, qui Decreto diei VIII Maii Anni MDCXXI Festum ipsum sub duplici praecepto in universo orbe recoli mandavit; Clementem X, qui die VI Decembris Anno MDCLXX eidem Festo ritum duplicis secundae classis concessit; Clementem XI, qui Decreto diei IV Februarii Anni MDCCXIV Festum praedictum Missa ac Officio integre propriis condecoravit; ac tandem Benedictum XIII qui nomen sancti Patriarchae Decreto edito die XIX Decembris Anno MDCCXXVI Sanctorum Litaniis addi iussit. Ac Nos ipsi, postquam investigabili Dei iudicio ad supremam Petri Cathedram evecti fuimus, moti tum illustrium Praedecessorum Nostrorum exemplis, tum singulari devotione, qua usque ab adolescentia erga eumdem sanctum Patriarcham affecti fuimus, Decreto diei X Septembris Anni MDCCCXLVII magno animi Nostri gaudio ad universam Ecclesiam sub ritu duplicis secundae classis extendimus Festum Patrocinii eius, quod iam pluribus in locis speciali huius Sanctae Sedis indulto celebrabatur. Verum postremis hisce temporibus, in quibus immane ac teterrimum bellum contra Christi Ecclesiam fuit indictum, fidelium devotio erga Sanctum Iosephum adeo increvit et progressa est, ut omni ex parte ad Nos innumerae ac fervidissimae pervenerint postulationes, quae nuper dum Sacrum Oecumenicum Concilium Vaticanum haberetur, ab omni fidelium coetu et, quod maxime interest, a plurimis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus et Episcopis renovatae fuere, quibus flagitabant, ut luctuosis hisce temporibus ad mala omnia propulsanda, quae Nos undique conturbant, efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem Sancti Iosephi exoraremus illum Catholicae Ecclesiae Patronum declarantes. Nos itaque hisce postulationibus moti, divino lumine invocato, tot ac tam piis votis annuendum censuimus, ac peculiari Decreto Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis quod inter Missarum solemnia in Nostris Patriarchalibus Basilicis Lateranensi, Vaticana ac Liberiana die VIII Decembris elapsi anni MDCCCLXX immaculatae Conceptioni ipsius Sponsae sacro publicari iussimus, eumdem Beatum Patriarcham Iosephum Ecclesiae Catholicae Patronum solemniter declaravimus, illiusque Festum die decimanona Martii occurrens, deinceps sub ritu duplici primae classis, attamen sine octava ratione quadragesimae, in Orbe universo celebrari mandavimus. Et quoniam aequum reputamus, post Nostram declarationem Sancti Patriarchae in Catholicae Ecclesiae Patronum, ipsi in publico ecclesiastico cultu omnes et singulas honoris praerogativas tribuendas esse, quae iuxta generales Breviarii et Missalis Romani rubricas Sanctis Patronis praecipuis competunt, ideo Nos ex consultu Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus praepositorum renovantes, confirmantes atque etiam ampliantes praesentibus Nostris Litteris praefatam dispositionem illius Decreti, mandamus insuper ac iniungimus quae sequuntur: Volumus scilicet, quod tam in Festo natali Sancti Iosephi, quam in alio ipsius Patrocinii, etiamsi occurrant extra Dominicam diem, addatur semper in Missa Symbolum seu *Credo.* Volumus insuper quod in Oratione *A cunctis,* quandocumque recitanda erit, adiiciatur semper post invocationem Beatae Mariae Virginis, et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis et Sancto Ioanne Baptista, commemoratio S. Iosephi per haec verba: *cum Beato Ioseph.* Volumus denique ut hoc ipso ordine servato inter Suffragia Sanctorum, quandocumque illa a rubricis praescribuntur, apponatur sequens commemoratio in honorem eiusdem sancti Iosephi. Ad Vesperas Antiphona: *Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* ℣. *Gloria et divitiae in domo eius.* ℟. *Et iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Ad Laudes Antiphona: *Ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Ioseph.* ℣. *Os iusti meditabitur sapientiam.* ℟. *Et lingua eius loquetur iudicium.* – Oratio. *Deus, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es, praesta quaesumus, ut*

quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Haec volumus et mandamus decernentes has Litteras Nostras firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis Litterarum, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII Iulii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosexto.

Loco ✠ Signi

PRO DNO CARD. PARACCIANI CLARELLI.

F. Profili *Substitutus.*

3253. GERUNDEN. (5489)

R. D. Gregorius Moratinos Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Gerundensis a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem humillime exquisivit; nimirum:

Ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 21 Iulii 1870 evecta sunt ad ritum Duplicis secundae classis Festa Sanctorum Doctorum Hispanorum Fulgentii et Leandri cum facultate Officium recitandi et Missam celebrandi de Doctoribus in omnibus ditionibus Hispaniae. Quamquam vero ex verbis concessionis deducatur Officium assumendum esse ex Communi Doctorum praeter propria, tamen ob ambiguitatem tollendam, quaeritur: 1. Num Lectiones primi Nocturni debeant esse ut in Communi Doctorum nempe *Sapientiam?* 2. Num in II et III Nocturno retinendae sint Lectiones propriae in utroque Festo iam assignatae? 3. Num idem dicendum sit de Orationibus? (1)

Et Sacra eadem Congregatio proposito dubio rescribendum censuit: « Affirmative in omnibus ».

Atque ita rescripsit.

Die 7 Augusti 1871.

3254. URGELLEN. (5490)

Ex parte Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellen. et Directoris Calendarii eiusdem Dioecesis insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposita fuere; nimirum:

Dubium I. Quamplurima Missalia et Breviaria differunt inter se in assignandis Missis et Lectionibus tertii Nocturni pro Officiis Sanctorum Fructuosi et Socior. MM. 21 Ianuarii, S. Ioannis Nepomuceni M. die 16 Maii, S. Antonini M. 2 Septembris, nec non Sanctorum Gavini et Sociorum MM. 25 Octobris: nam non pauca Missalia in Hispaniis exarata assignant Sanctis Fructuoso et Soc. Lectiones tertii Nocturni de Homilia in Evangelium *Descendens* de 2°. loco et Missam *Sapientiam* etiam de 2°. loco, et pro SS. Gavino et Soc. designant praedictam Missam *Sapientiam* cum Evangelio de Missa *Intret:* Sanctis vero Ioanni Nepomuceno et Antonino assignant Missam *In virtute,* cum Evangelio (pro primo) de Missa *Laetabitur.* In Missalibus autem et Breviariis Mechliniae praesertim in Belgio exaratis adscribuntur pro SS. Fructuoso et Gavino Lectiones tertii Nocturni de Missa de 1°. loco in Communi: SS. vero Ioanni et Antonino assignatur simpliciter Missa *Laetabitur* de secundo loco, cum Evangelio *Nisi granum frumenti* pro S. Antonino. Hinc quaeritur: quaenam ex praedictis lectionibus tamquam authentica tenenda sit?

Dubium II. In hac alma Ecclesia Cathedrali Episcopalis Sedes cum brachiis collocatur pluribus abhinc annis sub umbraculo erecto ad modum Throni in Presbyterio, quod ex simplici serico damasceno coloris rubri confectum est, margines habens et sustentacula ex ligno deaurato, in cuius summitate extat scutum gentilitium Episcopi. Quaeritur ergo: Utrum, attenta gravi incommoditate mutationis, possit remanere in omnibus Festis praedictum baldachinum rubrum; praesertim cum Caeremoniale Episcoporum Libro I, Cap. XIV, § 1 dicat quod umbraculum debeat esse conforme colori paramentorum, ubi commode fieri possit? an sufficiat in casu praedictam Sedem cum brachiis serico coloris festivitati congruentis contegere?

Dubium III. Num possint conservari duae hastae et margines praedictae ex ligno deaurato, maxime cum nec aurum nec argentum inveniatur in textili serici damasceni?

Dubium IV. Num conservari etiam possit et debeat in Throno praedicto scutulum

(1) E. Dub. II. et III.

gentilitium Episcopi Urgellen.; in quo permixta interveniuntur insignia tum familiae, tum Principatus nec non Episcopatus, si non quatenus Episcopus est, saltem quatenus de iure et de facto existit supremus Princeps Vallium Andorrae per duas circiter horas cum dimidio ab hac Civitate distantis, iuxta Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium 14 Ianuarii 1665 a Iosepho Catalani citatum in suis commentariis in praedictum Caeremoniale Episcoporum Libr. I, Cap. XIII, § 24?

Dubium V. Festum Impressionum Sacrorum Stigmatum in corpore S. Francisci perpetuo translatum invenitur in hac Dioecesi et aliis Hispaniae ad diem 22 Septembris ob occurrentiam Festi S. Petri de Arbues die 17 eiusdem mensis. Cum vero Decretum Sacrorum Rituum Congregationis datum sub die 2 Septembris 1741 circa mutationem faciendam in hymno: *Iste confessor,* diverso modo exponatur a Rubricistis; quaeritur: Utrum in memorato S. Francisci Festo translato dicendum sit in hymno: *Meruit supremos Laudis honores*, ut censet Cavalieri, Tom. 2, cap. 40, de hymnis; an potius legi debeat: *Meruit beata vulnera Christi,* ut alii autumant?

Dubium VI. Quaenam Lectiones pro primo Nocturno adsignari debent Sanctis Dominico de Gusman, Ignatio de Loyola et Iosepho Calasanctio, ad ritum dupl. 2. classis evectis pro tota Hispania a Sacra Rituum Congregatione die 21 Iulii 1870?

Dubium VII. Utrum sit de necessitate interiora Tabernaculorum panno serico albo contegere, an aequivaleat et sufficiat simplex auratura?

Dubium VIII. Quum plurima Tabernacula huius Dioecesis intus deaurata tantum existunt; possuntne saltem tolerari quae ita fabricata reperiuntur?

Dubium IX. Pro parte Monialium Monasterii Societatis Mariae institutionis puellarum, vulgo propterea nuncupatarum *de la Ensenanze,* exponitur: quod iuxta Regulas sui Instituti, a Paulo V Pontefice Maximo anno 1607 sub die 7 Aprilis approbati, tenentur Moniales sacram Communionem in nocte Nativitatis Domini recipere. Sic enim se habet Regula 71: « Media nocte ita finiendum est Matutinum, ut in fine *Te Deum* Sacerdos incipiat Missam in qua omnes Moniales communicabunt; et finita Missa dicent Laudes ». Verumtamen cum adsint Decreta istius Sacrae Congregationis id generaliter prohibentia, quaeritur: Anne praedictae Moniales valeant memoratam praxim, in Regulis consignatam, tuta conscientia continuare?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

Ad I. « Attendendae sunt concessiones peculiares, iisque standum ».

Ad II. « Permitti potest, praesertim si ipsa Sedes cum brachiis cooperiatur serico coloris festivitati convenientis ».

Ad III. et IV. « Affirmative ad utrumque ».

Ad V. « Dicendum quovis in casu: *Meruit beata vulnera Christi* ».

Ad VI. « Lectiones pro his Sanctis debent esse *Beatus vir* ».

Ad VII. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VIII. « Provisum in antecedenti ».

Ad IX. « Si Regulae sunt a Sede Apostolica approbatae, retinere poterunt Sanctimoniales praedictae enunciatam consuetudinem ».

Atque ita rescripsit.

Die 7 Augusti 1871.

3253. ORANEN. (5492)

R. D. Ludovicus Betansy Ordinator Calendarii Dioeceseos Oranen. a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem exquisivit; nimirum:

Dubium I. An de Titularibus Ecclesiarum, qui locorum Patroni non sunt nec vi legis, nec consuetudine legitima, possit intelligi Decreti 9 Aprilis 1802 clausula, quae permittit, immo iubet, ut et de Patronis cuiuslibet Dioecesis et Paroeciae celebretur, Dominica sequenti illorum Festa, Missa solemnis more votivo? Quatenus negative, sollicitatur indultum, quo unaquaeque Paroecia erecta vel etiam erigenda suum solemniter celebrandi Titularem Dominica illius Sancti insequenti Festum per Missam solemnem more votivo, accipiat veniam, atque pro totius Dioecesis Ecclesiis tribuatur eadem facultas relate ad S. Ludovici Regis Cathedralis Titularis Festum. (1)

Dubium II. Insuper 1. Anne de S. Ludovico Rege Oranensis Cathedralis non dedicatae sed benedictae Titulari Commemo-

(1) E. dub. II.

ratio fieri debeat inter Suffragia Communia ad Laudes et Vesperas, et a quibusnam? num scilicet a solo eiusdem Ecclesiae Clero, an etiam ab omnibus Dioecesis Clericis in Sacris constitutis? 2. Anne de parochialium Ecclesiarum non dedicatarum sed benedictarum Titularibus Commemorationem facere teneantur Sacerdotes earum servitio adstricti ut Parochi vel Vicarii? 3. Quidnam de Titularibus Paroeciarum, quarum Ecclesiae nec consecratae nec benedictae quidem fuerunt? 4. Cum denique his in Africae partibus nullus Regni, nec Provinciae nec Dioecesis, nec Civitatis, nec tandem loci adsit verus Patronus, petitur quomodo Rubricae Breviarii Romani, praecipienti quatenus Sanctorum inter Suffragia de Patrono vel Titulari Ecclesiae fiat Commemoratio, parere valeant Clerici in sacris constituti qui nullius adstringantur servitio Ecclesiae?

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, quoad dubium; quoad Postulatum vero, pro gratia unius Missae solemnis ad tramitem concessionis factae pro Patronis ab Emo Card. Caprara Legato a Latere ».

Ad II. « Ad 1 quaestionem: Affirmative; sed tantum a Clero servitio Cathedralis addicto. Ad 2: Affirmative. Ad 3: Ut in praecedenti; quatenus tamen, si earum benedictio fuit omissa, benedicantur quam primum; quum Ecclesia, ut ad divinum cultum dedicetur, saltem debet benedici. Ad 4: Qui nulli Ecclesiae est adscriptus, nullam de Titulari Commemorationem facere debet; quod pariter respicit Commemorationem Patroni, quando nullus nec loci, nec Dioeceseos, nec Provinciae nec Regni Patronus habeatur ».

Atque ita rescripsit, indulsit ac servari mandavit.

Die 2 Septembris 1871.

3256. FABRIANEN. (5494)

Quum Magistris Caeremoniarum Cathedralis et Collegiatae Civitatis Fabrianen. non eadem sit sententia quoad colorem paramentorum quae adhiberi debent in benedictione cum Ligno SSmae Crucis, quae in utraque Ecclesia dari solet post recitationem nonnullarum precum expleto Completorio in die qua recurrit Anniversarium Dedicationis respectivae Ecclesiae, Magister Caeremoniarum Ecclesiae Collegiatae, ut debita uniformitas in sacris Caeremoniis servetur, a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit, ut declarare dignaretur qualis debeat esse color paramentorum in benedictione, quae iuxta consuetudinem dari solet in utraque Ecclesia in die anniversaria Dedicationis, praesertim quum haec functio peragitur separatim a servitio Chorali eoque omnino expleto?

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario, audita etiam sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declaravit: « In casu paramenta esse debere coloris rubei ». Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 2 Septembris 1871.

3257. VALLISPRATEN. (5495)

Rmus D. Eugenius O' Connell Episcopus Vallispraten. a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem humiliter exquisivit; nimirum:

An Ecclesiae Dioeceseos suae quae sunt solummodo benedictae privilegio gaudeant Ecclesiarum quae sunt dedicatae, in festo Titularis earum?

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Septembris 1871.

3258. CARPEN. (5496)

Canonicus Ioseph Maria Maletti Praefectus Sacrarii Ecclesiae Cathedralis Carpen. Sacrorum Rituum Congregationi exposuit in eadem Cathedrali morem invaluisse in Missis Pontificalibus, ut Canonicus Diaconus Evangelii thurificet post Offertorium non solum ceteros Canonicos, verum etiam Mansionarios; itemque Presbyter assistens pacem ferens det illam Canonicis ac postea Mansionariis. Cum autem haec absona videantur a § 24, Cap. XXIII; et § 7, cap. XXIV, Libri primi Caeremonialis Episcoporum; humiliter ipse ab eadem Sacra Congregatione quaesivit: An deinceps Canonicus Diaconus debeat thurificare Mansionarios, et Presbyter Assistens dare eisdem pacem; vel haec perficienda sint potius a Caeremoniario?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audita quoque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescriben-

dum censuit: « Servetur Caeremoniale Episcoporum ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Martii 1872.

3259. CADURCEN. (5497)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Cadurcen. a Sacra Rituum Congregatione enixe imploravit insequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. Episcopus orator assistens Officio cum cappa plerumque in proprio Solio, stallum non habens, potestne suos habere Canonicos assistentes?

Dubium II. Potestne benedictiones impertiri?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii rescribere rata est:

Ad I. « Servetur Caeremoniale Episcoporum, idest Episcopus assistens cum cappa suos nequit habere Canonicos assistentes, nisi aliter fiat ex immemorabili consuetudine in Dioecesi ».

Ad II. « Si Episcopus intonet Officium incipiendo a *Domine labia mea etc.*, debet absolutiones et benedictiones impertiri; secus vero, si tantum assistat Divinis Officiis ».

Die 2 Martii 1872.

3260. PISANA. (5498)

Relata in Sacra Rituum Congregatione per Secretarium instantia Rm̃i Capituli Primatialis Ecclesiae Pisanae, qua enixis precibus postulabat, ut Rm̃o Domino Paulo Micaleff hodierno Primati, etsi ex Ordine Eremitarum S. Augustini assumpto, potestas fieret in sacris functionibus peragendis gestandi cappam rubram cum pellibus muris pontici, vulgo *armellino*, ad instar privilegii, quo fruuntur Primates Pisani;

Sacra eadem Congregatio rescribere rata est: « Ad Dominum Secretarium cum SSm̃o ».

Die 2 Martii 1872.

Facta autem de praedictis per subscriptum Secretarium SSm̃o D. N. Pio Papae IX relatione, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia; dummodo tamen cappa rubra non sit serica sed lanea: quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 7 iisdem mense et anno.

3261. ASCULANA (5499)
ET CERINIOLEN.

Quum Rm̃us D. Leonardus Iodice Grande Episcopus Asculan. et Ceriniolen. a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisierit: Num Rm̃us Ordinarius Dioecesanus possit propria auctoritate Presbyteris non collegialiter sed singulatim sumptis insignia minora concedere;

Sacra eadem Congregatio iuxta alia decreta rescribendum censuit: « Insignia cuiuscumque generis Presbyteris concedere non solum collegialiter, sed etiam singulatim sumptis, privativo iure reservari Apostolicae Sedi: et, si eadem insignia fuerint cuicumque a Rm̃is Ordinariis collata, debent statim deponi ». Atque ita rescripsit.

Die 6 Maii 1872.

3262. CONSTITUTIO (5500)
SUPER PRIVILEGIIS
PROTONOTARIORUM APOSTOLICORUM
AD INSTAR PARTICIPANTIUM.

**Pius Episcopus Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.**

Apostolicae Sedis officium, quod licet imparibus meritis, tenuitati Nostrae inscrutabili divinae providentiae Consilio demandatum est, inter multimodas curas, quibus hisce maxime temporibus premimur, hanc etiam Nobis imponit, ut eas concessiones per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros factas, quae temporis lapsu vel nimis ampla et prava interpretatione, magnum ecclesiasticae disciplinae detrimentum attulerunt, eas, prout exigit necessitas, ad rectum mentis ipsorum Praedecessorum Nostrorum et Nostrae tramitem reducere studeamus: idque potissimum et ipsa rei gravitas et augusta Ecclesiae liturgia nec non et varia Praedecessorum Nostrorum temperamenta, alias ad eumdem finem adhibita, visa sunt Apostolicae decisionis oraculum postulare. Sane patet Protonotarios Apostolicos, *ad instar Participantium* nuncupatos, insignibus privilegiis Romanorum Pontificum benignitate auctos fuisse. Verum, ut est humanae naturae infirmitas, sive ex prava eorumdem privilegiorum interpretatione sive etiam ex immoderato honorum desiderio, non raro extra Urbem contigisse compertum est, ut plures ex memoratis Protonotariis non sine gravi Episcopalis dignitatis iniuria indebitas sibi praerogativas, praesertim in Pontificalibus exercendis, usurpare praesumpserint. De huiusmodi abusibus quum frequentissimae ex-

postulationes a non paucis Episcopis ad Nos delatae fuerint et porro deferantur, Nos ad praedictos eliminandos abusus certasque edendas regulas, quibus privilegia declarentur Protonotariis Apostolicis *ad instar* vere proprieque spectantia, modusque praefiniatur in usu eorumdem privilegiorum omnino servandus, peculiarem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris tuendis Ritibus praepositorum cum aliquibus Romanae Curiae Praelatis, Congregationem deputandam duximus, cui rem universam discutiendam commisimus. Quae quidem Congregatio, cunctis accurate diligenterque perpensis, in Conventu sub die XVIII Mensis Aprilis proxime praeteriti habito, negotium sibi demandatum ad exitum perduxit atque haec quae sequuntur decernenda censuit:

I. Protonotarii Apostolici *ad instar Participantium*, a Summo Pontifice ad hunc honorem evecti, inter Praelatos Domesticos eo ipso accensentur.

II. Licet illis habitu Praelatitio uti, nimirum: veste talari caudata, fascia et palliolo seu mantelletto violacei coloris cum collari et caligis item violaceis ac bireto, quod tamen omnino nigrum esse debet.

III. Hunc habitum Praelatitium cum rochetto subtus palliolum adhibere poterunt in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus: in reliquis vero rochettum dimittant; simulque sciant numquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae Pontificalis, Crucem pectoralem et Annulum deferre.

IV. Habitu privato incedentibus, fas erit iisdem Protonotariis, retento usu collaris et caligarum violacei coloris, induere vestem talarem nigram fimbriis globulisque rosaceis ornatam, circumcingere illam ad lumbos parva fascia violacea, pallium item violaceum superimponere ac pileo nigro vittam seu cordulam sericam rubri coloris, auro tamen non intertextam, adiungere.

V. Habitu Praelatitio induti, quoscumque Clericos, Presbyteros, Canonicos singillatim sumptos nec non Praelatos superiores Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, praecedunt: minime vero Vicarios Generales vel Capitulares, Canonicos collegialiter unitos et Abbates.

VI. Si in habitu Praelatitio sacris functionibus assistant, non genuflectant sed caput Cruci inclinent, uti fieri solet a Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, duplici ductu thurificentur et consideant iuxta ordinem nuper indicatum.

VII. Si forte Canonicatu aut dignitate in aliqua Ecclesia potiantur, habitum ibi gestent sui ordinis proprium, non Praelatitium: excepta tantum veste talari, quae violacea esse poterit, eoque consideant et incedant loco, qui ipsis ratione beneficii competit. Quod si habitu Praelatitio uti nihilominus velint, Sedem occupent ipsis superius assignatam et pro ea vice distributiones quotidianas amittant, quae Sodalibus accrescant.

VIII. Indulto gaudeant privati Oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi; in quo, diebus etiam solemnioribus, in consanguineorum et affinium secum cohabitantium nec non famulorum suorum praesentia, Missam vel per se celebrare, vel per quemcumque Sacerdotem Secularem vel cuiusvis Ordinis Regularem rite probatum celebrare facere, libere possint et valeant. Privilegio autem Altaris portatilis omnino carere se sciant.

IX. Ius habent assistendi Cappellis Pontificiis ibique sedendi post Protonotarios Participantes.

X. Conficere possunt Acta de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei; quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

XI. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium, in Iudices Synodales, in Commissarios Apostolicos et Iudices a Summo Pontifice adsciscendos pro causis Ecclesiasticis et Beneficiariis. Item apud ipsos Professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis, qui eo gaudent privilegio.

XII. Meminerint tamen Protonotarii Apostolici *ad instar Participantium*, minime obstantibus privilegiis superius recensitis, ipsos a locorum Ordinariis eorumque iurisdictione minime esse exemptos, sed iisdem Ordinariis iuxta communis iuris regulas omnino subiectos, nec proinde sine expresso illorum assensu, umquam posse Pontificalia exercere.

XIII. Impetrata autem Ordinarii venia, qui eam tribuere poterit quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, etsi Missa solemnis celebranda sit in Ecclesia exempta, obtento insuper assensu Praelati, cui haec ipsa Ecclesia subest, non idcirco me-

morati Protonotarii fas sibi esse putent solemne Sacrum iisdem prorsus ritibus et pompa peragere, qui Episcopali tantum dignitati conveniunt. Plura siquidem sunt quae illis omnimode, prout sequitur, interdicuntur.

XIV. Itaque ad Ecclesiam, ubi rem divinam sint solemniter celebraturi, privatim accedant. Non cappam magnam nec pileum pontificale audeant assumere, ne unum quidem Presbyterum vel Clericum superpelliceo indutum sibi comitem adsciscant: non in templi vestibulo ab Ecclesiae Clero associari se sinant; non denique populum lustrali aqua ibidem aspergere, nec ipsi intra Ecclesiam benedicere manu praesumant.

XV. Item abstineant ab usu septimi candelabri super Altari, sacras vestes non ex eo, sed in sacrario assumant et deponant, non in faldistorio eove minus in Throno sedeant; sed una cum Ministris in Scamno cooperto tapete vel panno coloris Officio diei respondentis, non Baculo pastorali, non Canone, non Palmatoria, non Presbytero assistente utantur; manus nonnisi semel post Offertorium ad Altare lavent. Denique nec dicant Pax vobis loco Dominus vobiscum dum populum salutant, nec in fine Missae trinam benedictionem impertiantur.

XVI. Quoad ornamenta Pontificalia, hisce tantum uti poterunt, scilicet: Caligis et Sandaliis sericis nec auro nec argento ornatis, sericis item Chirothecis sine opere phrygio aureo vel argenteo, Dalmatica, Tunicella, Annulo cum unica gemma, Cruce pectorali sine ullis gemmis cum cordula serica violacei coloris, Mitra simplici ex tela alba cum sericis laciniis rubri coloris, ac pileolo nigri coloris, attamen nonnisi sub Mitra adhibendo.

XVII. Haec ipsa vero Pontificalia ornamenta assumere nequibunt in Missis pro Defunctis, in Processionibus et in quibuscumque aliis ecclesiasticis Functionibus, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant vel subsequantur; at semper depositis in eiusmodi functionibus, a Missa distinctis, Chirothecis cum Dalmatica et Tunicella.

XVIII. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, Altaris ornatum, cereorum lucentium numerum, a simplici Sacerdote non differant, adeoque nullum prorsus ex ornamentis Pontificalibus pro Missa solemni tantum sibi indultis adhibeant, atque ab omnibus et singulis ritibus in ipsa Missa solemni sibi vetitis penitus abstineant.

XIX. Verum cum Protonotarii *ad instar Participantium* nequeant in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere, hinc illis Romae permittitur ut iuxta vigentem ibi usum possint in Missis privatis, dummodo habitu Praelatitio sint induti, sese ad Missam praeparare, eaque absoluta, gratiarum actiones persolvere coram Altari in parvo genuflexorio sine strato cum duobus pulvinaribus tantum, altero sub genibus et altero sub brachiis; sacras vestes ex eodem Altari sumere, palmatoria uti ac Presbyterum superpelliceo indutum adhibere, qui Missalis folia illis evolvat: salvis tamen quoad Patriarchales Basilicas peculiaribus statutis et consuetudinibus ibidem laudabiliter observatis, et cauto semper ut abstinere omnino debeant ab Annulo et Cruce pectorali, ab usu pileoli, a salutatione populi per verba « *Pax Vobis* », a trina benedictione in fine Missae et ab aliis quibuscumque ritibus et caeremoniis, nonnisi S. R. E. Cardinalium et Episcoporum propriis.

XX. Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat Protonotarii *ad instar* ab Apostolica Sede donantur. Verum non aliter illa exercere licebit iis qui huiusmodi honorem rite fuerint consecuti, nisi antea Apostolicas Litteras vel legitimum Diploma suae nominationis in officio Secretarii Collegii Protonotariorum Participantium exhibuerint, cuius erit in codicem referre nomen, cognomen, aetatem, patriam et qualitates novi Protonotarii *ad instar*, nec non diem expeditionis praedictarum Litterarum Apostolicarum seu Diplomatis; nisi insuper coram Decano Protonotariorum Participantium vel per se, si Romae versentur, vel etiam per legitimum Procuratorem si alibi commorentur, Fidei professionem et fidelitatis iuramentum praestiterint, et nisi denique, de sua legitima nominatione nec non de Fidei professione et fidelitatis iuramento a se ut supra praestitis, authenticum documentum nomine totius Collegii Protonotariorum Participantium ab huius Decano et Secretario subscribendum et Collegii ipsius Sigillo muniendum, Ordinario praesentaverint, una cum notula typis impressa honorum, privilegiorum et praerogativarum Protonotariatui *ad instar* inhaerentium ad formam praesentis Decreti, iisdem prorsus, quibus supra, subscriptionibus et Sigillo munita.

XXI. Qui secus facere aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti prae-

sumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso Protonotariatus honore privatos se sciant.

XXII. Quae supra de usu Pontificalium et de modo Missam privatam celebrandi quoad Protonotarios *ad instar Participantium* decreta sunt, a ceteris etiam Romanae Curiae Praelatis, quibus ex Constitutionibus aliisve specialibus indultis Apostolicis privilegium Pontificalium competat, erunt adamussim servanda. Si qui vero Praelati et Praelatorum Collegia amplioribus hac in re praerogativis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria sua iura in Sacrorum Rituum Congregationem deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

XXIII. Cum autem intra privilegia quibus a Romanis Pontificibus nonnulla Cathedralium aliarumve Insignium Ecclesiarum extra Urbem Capitula decorata fuerunt, illud quoque fuerit identidem concessum, ut praedictarum Ecclesiarum Canonici titulo gaudeant Protonotariorum *ad instar Participantium;* attente perpendant istiusmodi Capitula ex nudo hoc titulo, singulis Canonicis Pontificia benignitate tributo, minime deduci posse privilegia quoque ipsis indulta fuisse eorumdem Protonotariorum propria; sed iuxta regulam a Sacra Rituum Congregatione in generali Decreto diei 27 Aprilis 1818 traditam et a sa. me. Pio VII Idibus Decembris eiusdem anni in Constitutione « *Cum innumeri* » confirmatam, meminerint « leges et conditiones, in Apo» stolicis indultis praefinitas, accurate dili» genterque servandas, neque ulli fas esse » concessionis limites pro suo arbitrio prae» tergredi, vel in Romana Curia id genus » Insignia deferre, vel sibi singulatim et » extra Collegii functiones attributa existi» mare, quae corpori tantummodo sunt » collata ».

XXIV. Ceterum, praedicta Congregatio particularis hoc Decreto nihil detractum voluit de iuribus, privilegiis et exemptionibus Collegio Protonotariorum Participantium iuxta Constitutiones Apostolicas, ac praesertim iuxta Litteras in forma Brevis « *Quamvis peculiares facultates* » die 9 Februarii 1853 datas quoquomodo spectantibus.

Nos igitur, qui certum ordinem in omnibus servari sinceris desideramus affectibus, praemissa omnia et singula a praefata Congregatione digesta atque statuta, Apostolica Auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, eaque veluti Motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae Potestatis plenitudine constituimus, ordinamus atque sancimus.

Decernentes praesentes Litteras, etiam ex eo quod in praemissis et circa praemissa, ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, vocati et auditi non fuerint, nec eis consenserint, ab omnibus ad quos nunc spectat et in futurum spectabit, perpetuo et inviolabiliter observari debere; easdemque nullo umquam tempore, ex quavis causa quantumvis iuridice privilegiata ac ex quovis capite, colore et praetextu de subreptionis vel obreptionis ac nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aliove quolibet etiam substantiali defectu, notari, impugnari, aut adversus illas oris aperitionem vel aliud iuris, facti vel gratiae remedium intentari posse; sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Sicque et non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios vel Delegatos quavis auctoritate et potestate fungentes, seu honore, praeeminentia ac dignitate fulgentes, etiam causarum Curiae Camerae Apostolicae Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos atque Apostolicae Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri etiam debere, ac irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula « *De iure quaesito non tollendo* » ac quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus atque privilegiis, gratiis et indultis, etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis atque litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis, quacumque ecclesiastica aut mundana Dignitate fulgentibus, quantumvis specifica et individua mentione dignis, quocumque tempore concessis, nec non quibusvis consuetudinibus etiam immemorabilibus: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores ac si de verbo ad

verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent, pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum consequendum, latissime et plenissime ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine Motu proprio derogamus ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Volumus autem quod praesentium Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et Sigillo alicuius personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, constitutionis, ordinationis, sanctionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum IV Kalendas Septembris Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo Secundo.

Pontificatus Nostri Anno Vigesimo Septimo.

F. CARD. ASQUINIUS

C. Gori Subdatarius

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius.

3263. ALBEN. (5501)

PROVINCIAE PEDEMONTANAE.

Rm̃us D. Eugenius Galletti Episcopus Alben. exposuit in sua Dioecesi vigere consuetudinem cooperiendi feretrum, in quo reconditur corpus puellae aut pueri innuptorum, panno ex lana vel ex serico albo in signum virginitatis. Quum de hac re, utpote Rubricis ac Decretis non conformi, conquestus fuerit cum nonnullis ex Ecclesiarum Rectoribus, ab eorum testimonio apprehendit morem hunc non facile immutari posse, immo perturbationes ac tumultus esse timendos si praeciperetur, ut redeatur ad legem. Quapropter praefatus orator a Sacra Rituum Congregatione humillime expetiit: Num usus panni coloris albi tolerari possit, ne tumultus exoriantur in populis, aut saltem num sufficiat ut superponatur in panno albo crux panni nigri coloris sat ampla, ut quaelibet crucis pars totam cooperiat planitiem arcae funebris?

Sacra vero eadem Congregatio, audito voto Rm̃i D. Assessoris ipsius Congregationis, declaravit:

« In casu, attentis expositis, tolerari posse ut fascia nigri coloris, non tamen in modum crucis, superponatur in panno albo, ita tamen ut in quatuor lateribus appareat, quo fideles agnoscant defunctum egere suffragiis, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant ».

Die 31 Augusti 1872.

3264. BARCINONEN. (5502)

Aliqui Presbyteri in parochialibus Barcinonensis Dioecesis Ecclesiis beneficiati exponunt in praefatis Ecclesiis ab antiquis temporibus extare fidelium coetus ipsarum parochialium Ecclesiarum fabricae praepositorum (vulgo *obreros*) qui nulla neque civili neque ecclesiastica iurisdictione gaudentes una cum Parocho temporalia bona ad illarum conservationem, reparationem, ornatum et alicubi etiam ad maiorem ecclesiasticarum functionum solemnitatem administrant, quique, uti respectivarum Parochiarum fidelium repraesentantes, divini cultus splendori maximae utilitatis esse possunt, dummodo intra suae institutionis fines rite contineantur. Ast vero frequenter nimis accidit quorumdam suppositorum privilegiorum causa contentiones inter huiusmodi Ecclesiarum fabricae praepositos ac Clericos ipsis Ecclesiis adscriptos oriri; quibus ut opportunum remedium apponatur, ea qua par est humilitate ac reverentia, Sacrae Congregationi resolvenda proponuntur sequentia dubia:

Dubium I. Possuntne honoris ergo huiusmodi Ecclesiarum fabricae praepositis parari Sedes in presbyterio tempore Missae solemnis, maxime cum SSm̃um Sacramentum est expositum?

Dubium II. In Processionibus, in quibus SSm̃um Sacramentum solemniter defertur, quinam locus dictis praepositis dari debet? proximiorne SSm̃o Sacramento, immediate nempe post Clerum parochialem, vel sine

hac praeferentia ante praedictum Clerum; an potius post Celebrantem ac ministros, qui SSmum Sacramentum subsequuntur?

Dubium III. Utrum in Missis solemnibus hi fabricae praepositi thurificari debeant a Diacono, an a Thuriferario?

Dubium IV. Item a quonam pacem accipere? a Subdiacono; an ab alio Ministro inferiore cotta induto et cum instrumento, non vero cum osculo?

Dubium V. Diuturna ac antiqua huiusmodi consuetudinum fruitio estne sufficiens ratio in ea prosequendi? quamvis contra Ecclesiae praescripta seu S. R. C. Decreta declaretur; maxime cum alias iam praeceptum fuerit, quod cum Sacrorum Rituum Congregationis Decreta in desuetudinem vel inobservantiam ceciderint, debeant abusus corrigi ac ad strictam et legitimam observantiam revocari.

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis Rmi Vicarii Capitularis Barcinonen. Sede illa Episcopali vacante de informatione et voto requisiti, omnibus mature et accurate perpensis, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Curet Ordinarius, quoad fieri potest, prudentia sua inducere illos ex praefatis praepositis, qui Sedes huiusmodi habent intra presbyterium, ut eas ad instar sedium aliorum praepositorum locari sinant extra presbyterii septa. Quod si hoc assequi non valeat, interim ad graviora mala vitanda nihil innovet ».

Ad II. « In Processionibus, in quibus SSmum Sacramentum solemniter defertur, melius et decentius hos fabricae praepositos praecedere Clerum, nullumque eis adsignandum esse locum post parochialem Clerum ipsum. Si autem ea vigeat consuetudo ut Parochus et alii Divinum Sacramentum sequantur, tunc fabricae praepositis tribuendus dignior locus post Clerum ».

Ad III. « Fabricae praepositos in suis Sedibus locatos extra presbyterium thure adolendos esse a Thuriferario et unico ductu, numquam vero a Diacono ».

Ad IV. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad V. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Augusti 1872.

3265. BARCINONEN. (5503)

Rmus D. hodiernus Vicarius Capitularis Barcinonen., Sede illa Episcopali vacante, Sacrae Rituum Congregationi exposuit se circa locum, ubi Sacramentum Matrimonii celebrandum sit, extra casum necessitatis alicuius contrahentis, praxim a multis annis iam vigentem in hac Dioecesi invenisse; quod scilicet aliquoties Ordinarius, ob causam nobilitatis vel aliam sibi benevisam, permiserit ut hoc Sacramentum ministraretur in oratoriis privatis; attamen raro in privata domo ante Altare ad hoc erectum. Rmus Pantaleon Monserrat ultimus Episcopus ad removendam praefatam praxim multum laboravit; sed hodie non desunt, qui iuxta illam praxim Matrimonium inire cupientes licentiam ab Ordinario expetunt. Ideo orator supradictus humillime ab eadem Sacra Congregatione solutionem sequentium dubiorum expostulavit; nimirum:

Dubium I. An extra casum infirmitatis gravissimae in alterutro ex contrahentibus, celebrari possit Matrimonium in privata domo ante Altare ad hoc specialiter erectum?

Dubium II. An extra dictum casum, in oratoriis privatis, in quibus Missa celebratur?

Dubium III. An Missa nuptialis in dictis oratoriis celebrari possit?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia Rmi Dni eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Provisum in sequenti ».

Ad II. « Matrimonium in facie Ecclesiae seu in Ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum Ordinariis ut, si nullum immineat periculum ac laudabiles concurrant causae, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat ».

Ad III. « Affirmative, servatis Rubricis ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Augusti 1872.

3266. COLLEN. (5505)

Rmus D. hodiernus Episcopus Collen. S. R. Congregationi exposuit tum in Cathedrali tum in quibusdam Ecclesiis Dioeceseos, tempore Sacri Adventus ac Quadragesimae, cum fit Officium de tempore, morem invaluisse candelabra, praesertim Altaris in quo functiones peraguntur, tegendi velis violaceis vulgo nuncupatis *calze*. Licet hic usus sit immemorabilis, tamen Episcopus orator, ut tutius hac in re procedatur, ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit: Num usus ipse retineri etiam in posterum valeat?

Sacra vero Congregatio, ad tramitem Decreti in Molinen. diei 11 Iulii 1857 ad XI, rescribendum censuit :

« Negative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3267. FLORENTINA. (5506)

Quum Sacerdos Carolus Chiari, Parochus Ecclesiae a Ss. Mm. Gervasio et Protasio nuncupatae intra limites Archidioeceseos Florentinae, de consensu Rmi sui Archiepiscopi a S. R. Congregatione humiliter exquisierit : An in Exequiis quae fiunt pro pluribus, excepta die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, dicto versiculo *Requiescant etc.* dici debeat : *Animae eorum et animae omnium fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;* quum pluribus in locis alia servetur praxis ?

Sacra eadem Congregatio rescribendum censuit :

« Affirmative, iuxta praxim Urbis ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3268. GERUNDEN. (5507)

Gregorius Moratinos Magister Caeremoniarum in Ecclesia Cathedrali Gerundensi in Hispaniis humillime a Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut super sequentibus dubiis sententiam suam patefacere dignaretur ; nimirum :

Dubium I. Iuxta computum civile in Dominica tertia cuiuslibet mensis, non impedita Dominica 1 et 2 classis vel Festo duplici 1 aut 2 classis, dicitur in Cathedrali Missa votiva solemnis de SSmo Sacramento exposito post Conventualem et Nonam ; ac post dictam Missam votivam fit solemnissima Processio cum SSmo Sacramento intra Ecclesiam. Iuxta antiquam consuetudinem, et contra praescriptum in Missali et Rituali Romano, fit aspersio Aquae benedictae immediate post Nonam et ante Missam votivam. Quaeritur : Estne continuanda consuetudo aspergendi Chorum et populum Aqua benedicta ante Missam votivam ? vel haec aspersio fieri debet ante Missam conventualem post Tertiam ?

Dubium II. Iisdem Dominicis 1 aut 2 classis vel Festis 1 aut 2 classis canitur tantum Missa Dominicae vel Festi occurrentis cum commemoratione SSmi Sacramenti : et aspersio Aquae Benedictae fit et Missa cantatur post Nonam. Potestne tolerari haec consuetudo, vel praestat ut haec omnia fiant post Tertiam ?

Dubium III. Aliqui Sacerdotes sub praetextu oeconomiae vel commoditatis, contra praescriptum a pluribus seculis et contra consilium virorum sanctitate et doctrina conspicuorum, utuntur etiam in celebratione Sacrificii calceamentis vulgo *Botinas* coloris nigri ; et omni tempore, maxime aestivo, multi induuntur caligis coloris albi. Hinc, quamvis longitudo vestis talaris plerumque impediat quominus conspiciantur, dantur tamen occasiones ex. gr. genuflectendo et surgendo ad sacram Pixidem vel Ostensorium a Tabernaculo extrahendum et reponendum, in quibus facile pateant. Quaeritur : Potestne tuta conscientia indui dictis calceamentis in Sacro faciendo? et quatenus negative, estne de praecepto ut sint caligae et sandalia coloris nigri ?

Dubium IV. Tam in Cathedrali quam in Parochiis Dioecesis, Celebrans et Ministri procedunt pares ad Missam solemnem celebrandam in diebus festivis cum velo oblongo, vulgo *gremiale,* coloris paramentorum. Sed quum usus dicti paramenti, proprii tantummodo Episcoporum, opponatur Rubricae atque praxi, quae indicat Celebrantem et Ministros celebraturos Missam solemnem exire debere e sacristia vel sacrario unum post alium ; quaeritur demum : tolerarine potest haec consuetudo vel omnino est tollenda tanquam abusus ?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. et II. « Aspersionem aquae benedictae in Dominicis fieri debere, iuxta Rubricas Missalis et praescriptum a Rituali Romano, omnino post Tertiam ante Missam Conventualem ; ideoque tolerari non posse consuetudinem eam transferendi post Nonam ante Missam votivam SSmi Sacramenti, quae aliquibus in locis canitur ex privilegio. In Dominicis vero 1 et 2 classis et in Festis pariter 1 et 2 classis, in quibus, cum excludantur Missae votivae etiam solemnes iuxta Clementinam, apponi debet Oratio pro SSmo Sacramento, si legitima adsit consuetudo canendi Missam Dominicae vel Festi post Nonam ratione Processionis SSmi Sacramenti, tunc aspersio fieri debet post Nonam ante Missam ».

Ad III. « Clericos in sacris praesertim functionibus adhibere debere caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent probati Clerici loci seu Dioeceseos ».

Ad IV. « Usum procedendi ad Altare in diebus praesertim festivis in Cathedrali Gerundensi in Hispania pro Missa solemniter canenda tolerari posse, dummodo tam Celebrans quam Ministri eiusdem sint dignitatis: quoad usum vero veli, rem remisit prudenti arbitrio Rm̃i Ordinarii Dioeceseos, qui usum eiusmodi eliminari curet ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Augusti 1872.

3269. CAESARAUGUSTANA. (5508)

Rm̃us D. Emmanuel Garcia Gil Archiepiscopus Caesaraugustanus Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit; nimirum:

In Civitate Caesaraugustana duae sunt insignes Ecclesiae Cathedrales seu Metropolitanae paris dignitatis et cultus, altera sub titulo SSm̃i Salvatoris, altera sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Columna vulgo *de Pilar* nuncupata. Utriusque Ecclesiae quotannis unicum Anniversarium Dedicationis celebratur die duodecima Octobris. Verum quum circa harum Ecclesiarum consecrationem dubia exorta sint et diversae circumferantur opiniones, ad omnem dubitationem in posterum de medio tollendam, praefatus Rm̃us orator sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. Amplissima Ecclesia Beatae Mariae Virginis *de Pilar,* quae modo magnificis ornamentis condecoratur, ex integro constructa fuit seculis XVII et XVIII, cum antiquae aedis seu oratorii (quod sexdecim fuisse passuum longitudinis et octo latitudinis fertur) nihil remaneat, excepta columna et superextante Virginis Imagine. Haec autem Ecclesia fuit solummodo benedicta et duo in ipsa Altaria tantummodo consecrata fuere, nempe Altare maius, et Altare Cappellae Beatae Mariae Virginis. Quaeritur ergo: 1. An haec Ecclesia debeat consecrari? 2. Et si affirmative, an ad eius consecrationem procedi possit, unum ex minoribus altaribus consecrando, quum Altare maius consecratum iam sit?

Dubium II. Altera Ecclesia a Sancto Salvatore nuncupata rite fuit consecrata. Verumtamen quum ad eius reconciliationem perficiendam, quoniam anno 1795 polluta fuerit ex culpabili humani sanguinis effusione, fuerit delegatus Sacerdos sine Apostolica venia, dubitari coeptum est utrum rite fuerit reconciliata, an nova indigeret consecratione. Accedebat ad haec quod in eadem Ecclesia, etsi successive et diversis temporibus, maxima facta fuerint additamenta, in quibus antiquae Ecclesiae parietes omnino demoliti et sublati fuerunt. Quaeritur ergo: 1. An haec Ecclesia sit iterum consecranda? 2. Et si negative, an saltem reconcilianda sit ab Episcopo vel a Sacerdote Auctoritate Apostolica munito?

Sacra vero Rituum Congregatio, post accuratam expositionem ab oratore Archiepiscopo transmissam nec non votum tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rm̃i Assessoris Sacrae eiusdem Congregationis, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit:

Ad I. « Ecclesiam B. Mariae Virginis *de Pilar* nova indigere consecratione; eamque consecrationem perfici posse consecrando una cum Ecclesia aliquod ex minoribus Altaribus, loco Altaris maioris iam consecrati ».

Ad II. « Ecclesiam SSm̃i Salvatoris non amisisse suam consecrationem, nec nova reconciliatione indigere ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Augusti 1872.

3270. MISSIONARIORUM SOCIETATIS MARIAE. (5509)

In Calendario proprio a Sacra Rituum Congregatione approbato die 17 Martii 1853 pro Instituto Presbyterorum Missionariorum Societatis Mariae et Religiosarum mulierum, Puellarum a Sapientia nuncupatarum, Festum S. Stephani Papae et Martyris habetur die IX Augusti cum commemoratione Vigiliae S. Laurentii Martyris. Porro idem est Evangelium assignatum tam pro die festo S. Stephani quam pro Vigilia. Quaeritur itaque a Sacra Rituum Congregatione: Quodnam Evangelium recitari debeat in fine Missae de Festo S. Stephani, et quid agendum pro nona Lectione Matutini?

Sacra vero eadem Congregatio rescribere rata est, ad tramitem Decreti in Conchen. diei 4 Septembris 1773: « In casu non esse in fine Missae legendum Evangelium Vigiliae quod idem est ac Evangelium Festi; atque omissa nona Lectione Matutini de Homilia Vigiliae, habebitur in Laudibus, sicuti

et in Missis, eius commemoratio cum suis antiphonis, versiculis et Oratione ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3271. NIVERNEN. (5510)

Quum Sacerdos Crosnier Protonotarius Apostolicus et in Dioecesi Nivernensi Vicarius Generalis nonnullos usus vigere conspexerit in memorata Dioecesi quos Rubricis et Sacrorum Rituum Congregationis Decretis adversari existimat, ab eadem Sacra Congregatione insequentium dubiorum solutionem humiliter postulavit; nimirum:

Dubium I. In Ecclesia vel Oratorio, in quo fons baptismalis non extat, potestne in Sabbato Sancto benedictio ordinaria aquae substitui benedictioni solemni tali die in Missali assignatae, illam peragendo inter *Exsultet* et Missam?

Dubium II. Potestne haec ordinaria benedictio fieri quacumque alia hora ipsius diei? (1)

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia Rm̃i D. Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et serventur Rubricae et Sacrae Congregationis Decreta ».

Ad II. « Affirmative, privatim in sacrario ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3272. OVETEN. (5511)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Oveten. exposuit in Cathedrali Ecclesia sua nunquam erectam fuisse Parochiam, neque extitisse fontem baptismalem. Attamen in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes fit et semper facta fuit solemnis aquae benedictio absque sanctorum Oleorum commixtione. Cum iuxta sacrorum Rituum Congregationis Decreta haec benedictio fieri nequeat in Ecclesiis, quae fixum non habent fontem baptismalem, dubius ipse haeret de liceitate praxis suae Ecclesiae, quin tamen audeat per se benedictionem prohibere, ne scandala oriantur. Cum tamen recte in omnibus procedere cupiat, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. An in Cathedrali Ecclesia erigi debeat fons baptismalis, etiamsi in ipsa nulla sit Parochia nec Parochus qui proprium habeat territorium?

Dubium II. Quatenus negative, an liceat vel deceat saltem fontem ad horam erigere?

Dubium III. Et quatenus negative, an sustineri possit consuetudo benedicendi solemniter aquam, in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, in vase seu fonte portatili sine sanctorum Oleorum commixtione?

Et sacra Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

« Negative in omnibus ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Augusti 1872.

3273. ORDINIS AUT MILITIAE VELLERIS AUREI. (5512)

Ad instantiam Archiducis Caroli de Lorena proposito dubio: An privilegium Altaris portatilis singulis Equitibus militiae Velleris Aurei, concessum per Bullam sa. me. Leonis Papae X diei 8 Decembris 1516, perduret et adhuc;

Sacra Congregatio respondit: « Negative, nisi privilegium a Summo Pontifice confirmatum fuisse ostendatur ».

Die 31 Augusti 1872.

3274. SYREN. (5515)

Rm̃us D. Maria Alberti Episcopus Syren. a Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia humiliter declarari petiit; nimirum:

Dubium I. An in Ordinatione Presbyteri, tum Pontifex tum Sacerdotes qui adsunt, debeant prius imponere utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi, et postquam haec impositio ab omnibus absoluta fuerit, tunc elevare manus dexteras easque extensas super illos tenere, dum Pontifex stans cum Mitra solus dicit Orationem; uti nonnulli explicant Pontificalis Romani hac de re praescriptionem? vel potius, uti Romae fit in Archibasilica Lateranensi, tum Pontifex tum Sacerdotes qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendant, easque sic extensas teneant donec Episcopus Orationem absolverit?

(1) E. Dub. III.

Dubium II. In praebenda Communione Neo-Presbyteris debetne adhiberi formula *Corpus etc.;* vel potius illa debet omitti?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Ut in antecedenti; idest: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3275. SAGIEN. (5516)

R̃mus D. Carolus Fridericus Rousselet Episcopus Sagiensis in Gallia Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod pluribus abhinc annis nonnullas in Dioecesi sua consecraverit Ecclesias. Cum autem ex Decreto Cardinalis Caprara 9 Aprilis 1802 § 4 mandatum fuerit, ut Anniversarium Dedicationis Templorum, quae in Gallicanae Reipublicae territorio erecta sunt, in Dominica, quae octavam Festivitatis Omnium Sanctorum proxime sequetur, in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur, R̃mus Episcopus orator ab eadem Sacra Congregatione expostulavit sequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. Utrum supradictum Cardinalis Caprara Decretum intelligendum sit de iis tantum Ecclesiis quae ante annum 1802 fuerunt erectae et consecratae, an etiam de iis quae postea consecratae fuerunt?

Dubium II. An Anniversarium Dedicationum, quae peractae fuerunt ab anno 1802 usque ad diem praesentem, necessario sit celebrandum in ipsomet die anniversario? Si non necessarium, estne saltem licitum et possibile?

Dubium III. Utrum, data obligatione celebrandi Anniversarium Dedicationis in ipsomet die Consecrationis quotannis revertente, necessario pro Ecclesiis recens consecratis celebranda sit etiam in Dominica, quae octavam Festivitatis omnium Sanctorum proxime sequetur, Dedicatio omnium Ecclesiarum?

Dubium IV. An in redactione actus Consecrationis assignanda sit sedes fixa pro Sancto, cuius Festum celebratur in die quo Ecclesiae Consecratio peragitur, et deinceps celebrabitur Anniversarium?

Sacra vero Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Decretum diei 9 Aprilis 1802 factum ab Em̃o Cardinali Caprara Legato a Latere intelligi debet tam de Ecclesiis ante dictum annum consecratis, quam de iis quae in posterum consecratae vel consecrandae sunt ».

Ad II, III et IV. « Provisum in primo ».

Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 31 Augusti 1872.

3276. TOLETANA. (5517)

R. D. Franciscus Martinus Esperanza Vicesgerens Vicarii Generalis Archidioeceseos Toletanae in Hispania exoptans ut in administratione Sanctorum Sacramentorum serventur Caeremoniae et Ritus in Rituali Romano praescripti, quorum aliqui a Parochis et Coadiutoribus huius Archidioeceseos minime observantur, allegantibus ipsis antiquam consuetudinem quamvis contrariam Rituali Romano, esse nihilominus sustinendam et quasi vim legis iamdiu obtinuisse; ad Sacram Congregationem Concilii nonnulla dubia transmisit, quae ab eadem ad hanc Sacram Rituum Congregationem sub die 28 Maii anni vertentis fuere remissa. Dubia autem sunt, quae sequuntur; videlicet:

Dubium I. Attenta praxi communi et perantiqua utendi penicillo seu virgula argentea in administrando Baptismi Sacramento in Ecclesia, loco pollicis manus dexterae, abolenda ne erit huiusmodi consuetudo utpote contraria Rituali Romano?

Dubium II. In deferendo SS̃mo Eucharistiae Sacramento pro sacro Viatico publice infirmis ministrando, sed sine baldachino, toleranda ne erit consuetudo procedendi a Parocho vel Ministro capite cooperto per viam, fidelibus tamen nudato capite incedentibus?

Dubium III. Utrum possit continuari consuetudo administrandi itidem sanctum Sacramentum extremae Unctionis, utendo penicillo seu virgula argentea generaliter et extra casum necessitatis, loco pollicis intincti in Oleo sancto iuxta praescriptum in Rituali Romano?

Dubium IV. An praedicta praxis servari liceat extra casum necessitatis, saltem quando extrema Unctio ministratur sine populi concursu?

Dubium V. Possunt ne Parochi retinere

sanctum Oleum infirmorum in domo sua, eo quod extra Ecclesiam parochialem habitent, non obstantibus Sacrae Rituum Congregationis Decretis?

Dubium VI. Tenebiturne Praelatus Dioecesanus obligare omnes et singulos Parochos et Sacerdotes ad servanda omnia super his praescripta in Rituali Romano, quando nulla interveniat urgens necessitas aliter agendi, non obstante quacumque contraria etiam immemorabili consuetudine?

Sacra vero Rituum Congregatio, audito voto Rm̃i D. Assessoris Sacrae eiusdem Congregationis, re mature diligenterque perpensa, propositis Dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative; excepta necessitatis causa, iuxta Decretum S. R. C. in una Portus Aloisii die 9 Maii 1857 ad II ».

Ad II. « Consuetudo, de qua in casu, tanquam abusus est eliminanda ».

Ad III et IV. « Provisum in primo ».

Ad V. « Negative; et servetur Decretum diei 16 Decembris 1826 in Gandavensi ad tertiam facti speciem ».

Ad VI. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 31 Augusti 1872.

3277. VICARIATUS APOSTOLICI DE BOMBAY. (5518)

Episcopus Ascalonen. Vicarius Apostolicus de Bombay exposuit Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Solemnitatem Corporis Christi in regionibus Vicariatus Apostolici de Bombay sibi commissi plerumque intra tempus pluviale incidere, quod regulariter initio Iunii incipit. Hinc solemnis Processio SSm̃i Sacramenti eadem die praescripta raro celebrari potest. Quum vero eiusdem Processionis celebratio valde spirituali fidelium emolumento proficiat, uti compertum est hoc anno, quo Processio locum habuit quum solemnitas memorata labente Maio obtigerit, hinc idem Vicarius a praedicta Sacra Congregatione licentiam petiit anticipandi in foro tantum publico Solemnitatem SSm̃i Corporis Christi; ita ut aliqua Feria V vel Dominica, quotiescumque ob instans tempus pluviale, necessarium videbitur, non solum peragi valeant Processiones solemnes cum SSm̃o Sacramento, sed etiam, saltem Feria V, lecta Missa de SSm̃o Sacramento cum *Gloria* et *Credo,* non obstante Festo duplici minori vel maiori, in dictis regionibus licite celebrari queat.

Quoniam vero memorata Sacra Congregatio preces ipsas ad istam Sacrorum Rituum Congregationem transmiserit; haec, re mature perpensa, rescribere rataest: « Negative. Si vero Vicarius viderit quod solemnis Processio SSm̃i Corporis Christi impedienda erit a supervenientibus pluviis, eadem Sacra Congregatio voluit, ut ei significaretur ipsum propria auctoritate ordinaria solemnes cum SSm̃o Sacramento posse Processiones indicere; attamen sub conditione quod in die solemnitatis Corporis Christi, Feria nempe V post Dominicam SSm̃ae Trinitatis, adamussim serventur praescriptiones tum Caeremonialis Episcoporum tum Ritualis Romani ».

Romae die 31 Augusti 1872.

3278. ALTONEN. (5519)

Rm̃us D. Petrus Iosephus Baltos Episcopus Altonen. in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit intra Decreta Concilii Baltimorensis sub N. 384 reperiri sequens; videlicet: « Volumus ut in posterum Festum patronale Ecclesiae cuiusque consecratae solemniter et ritu debito celebretur. Quod in urbibus adeo facile fieri potest, ut si negligatur, nullus sit excusationis locus. Idem faciendum erit, licet Ecclesia fuerit tantum benedicta. Rure tamen et in oppidulis, ubi difficile esset per hebdomadam plebem fidelium congregare, poterit Festum (quoad externam solemnitatem) in Dominicam proxime sequentem transferri ».

Quum Status praedicti sint loca Missionum, Paroeciae proprie dictae non adsunt, si Cathedrales excipiantur Ecclesiae. Reliquae enim Ecclesiae generatim habent Sacerdotem Missionarium, qui meliori quo potest modo in ipsis Ecclesiis statutis temporibus officia facit. Id autem non in omnibus accidit Ecclesiis; sunt namque plurimae, quae Sacerdotem residentialem non habent; ac consequenter ibi divina Officia peraguntur meliori quo potest modo iuxta circumstantias. Plures sunt Sacerdotes qui etiam quinque inserviunt Ecclesiis. Nonnullae istarum sunt magnae et pulchrae; maxima vero pars earum sunt tales, ut vix hoc nomine possint appellari. Insuper rarissimae sunt Ecclesiae consecratae; et in hac Dioecesi Ecclesiae consecratae ad quatuor ascendunt, reliquae sunt benedictae. Hisce expositis, Rm̃us orator ab eadem Sacra Congregatione duo insequentia dubia resolvi humiliter petiit; nimirum:

Dubium I. Utrum Festum Patroni Ecclesiae consecratae in hisce Americanis Missionibus celebrandum sit sicut Festum primae classis cum octava, tam quoad Missam, quam quoad Officium?

Dubium II. Utrum ad normam supradicti Decreti Concilii Baltimorensis, Festum Patroni Ecclesiarum non consecratarum celebrari debeat prouti duplex primae classis cum octava, tam quoad Missam, quam quoad Officium?

Sacra vero Rituum Congregatio, re mature perpensa, rescribere rata est:

« Affirmative ad utrumque; tum quoad Missam, si in iis Ecclesiis commode celebrari valeat; tum quoad Officium, si qui Clerici ad Horas Canonicas obligati, vel saltem ex ipsis unus, iisdem Ecclesiis sint adscripti ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 28 Septembris 1872.

3279. CENOMANEN. (5521)

Rmus D. Episcopus Cenomanen. in Gallia, ad solvendas nonnullorum difficultates, Sacrae Rituum Congregationi infrascripta dubia proposuit, eorumque solutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

Dubium I. Cappella seu Ecclesia Seminarii satis magnae structurae est atque proprio constat aedificio: in perpetuum cultui divino destinata est, imo consecrata sub titulo S. Vincentii Caesaraugustani Diaconi et Martyris. In ea celebrantur omnia divina Officia quae in aliis Ecclesiis iuxta morem in Dioecesi receptum, neque dependet ab alia Ecclesia, cuius Patronus primarius sit colendus a Clero sibi proprio, nempe a Seminarii Clero; nullus in ea praesidere potest, nisi Episcopus aut ipse moderator Seminarii, aut aliquis ex Directoribus. Cathedrali Ecclesiae nonnulla praestantur obsequia a Seminaristis; sed id faciunt alternatim et eorum longe maxima pars in Seminario remanet. Habet Cappella illa murum lateralem et portam principalem in via publica; patet etiam usui fidelium.

Quaeritur num in illa Ecclesia seu Cappella debeat Sancti Vincentii M. Festum celebrari cum *Credo* et octava, et eius fieri commemoratio inter Suffragia?

Dubium II. Quaeritur num Professores et Seminaristae in Sacris Ordinibus constituti, qui ex regula Seminarii ibi divina Officia celebrare vel eis interesse debent, teneantur ad Officium Patroni; quemadmodum pro Seminario Ruremundensi censuisse videtur Sacra Congregatio in Decreto diei 27 Februarii 1847?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, perpensis omnibus, rescribere censuit:

Ad I. et II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 28 Septembris 1872.

3280. GALTELLINEN. NOREN. (5522)

Exorta controversia inter Archipresbyterum Cathedralis Ecclesiae Galtellinen. Noren. ex una, et Beneficiatos eiusdem Cathedralis Ecclesiae ex altera parte, super numero ductuum thurificationis iisdem Beneficiatis debito, quando ad Vesperas pluvialia assumunt; eaque ad Sacram Rituum Congregationem delata, propositoque dubio: An Beneficiati assumentes pluvialia in Vesperis thurificandi sint unico ductu thuribuli?

Sacra eadem Congregatio, habita sententia Rmi Episcopi de informatione et voto requisiti, nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito dubio rescribendum censuit: « Negative; et serventur Rubricae et Caeremoniale Episcoporum, nec non S. R. C. Decretum editum die 13 Martii 1700 in una Arequipae, ad dub. 20: idest Beneficiati, quotiescumque fuerint sacris vestibus induti, semper debeant ad instar Canonicorum duplici thuribuli ductu thurificari, sed post omnes Canonicos ». Atque ita rescripsit et in Cathedrali Ecclesia Galtellinen. Noren. servari mandavit.

Die 28 Septembris 1872.

3281. CARCASSONEN. (5523)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Carcassonen. a S. R. C. sequentia dubia declarari humillime petiit; nimirum:

Dubium I. Quum in Caeremoniali Episcoporum praescribatur, ut qui in incensatione praescriptus est ordo, idem in danda pace servandus sit, atque in accipienda pace nullae praetermitti debeant invitationes, quae in incensatione fieri solent; usus invaluit apud nos, quindecim abhinc annis circiter, nos mutuo salutandi invitantes ad pacem recipiendam sicuti ad incensationem. Quaeritur: Utrum talis usus firmus remanere debeat; an vero sit tollendus, ex sola ratione, ut volunt contradicentes, quia certi

caeremoniarum libri super hoc agendi modo silent?

Dubium II. Sacra Rituum Congregatio indulsit Dioecesi quasdam proprias Praefationes. Inter Praefationes indultas quum una existat quae dicitur in Festo Omnium Sanctorum et in Festo Patroni uniuscuiusque Ecclesiae Dioecesis, quaeritur: In haec indulta Praefatio inservire debeat in Festo S. Patriarchae Iosephi Sponsi B. M. V. et Patroni totius Ecclesiae Catholicae, et etiam in Festo Patrocinii eiusdem? quia nunc et in perpetuum Commemoratio S. Iosephi est facienda in communibus Suffragiis et in Oratione *A cunctis* in Missa.

Sacra vero Rituum Congregatio propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et servetur Caeremoniale Episcoporum L. 1. c. XXIV. § 5 ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 28 Septembris 1872.

3282. NIVERNEN. (5525)

Rmus D. hodiernus Episcopus Nivernen. exposuit Sacrae Rituum Congregationi plurima in sua Dioecesi existere Altaria consecrata, quae etsi omni ex parte sint clausa ita ut nihil in ipsa extrinsecus immitti possit, tamen vacua sunt in interiori parte. Quum autem modo dubium exortum sit num haec Altaria plena reputanda sint eo sensu quo sufficiat ad ipsorum consecrationem, memoratus Episcopus ab eadem Sacra Congregatione humiliter petiit ut ipsa declarare dignaretur quid intelligendum sit, quando praescribitur ut Altare consecrandum sit plenum: num scilicet sufficiat ut tabula Altaris innitatur super quatuor lateribus ita clausis ut post consecrationem nihil intra Altare immitti possit; vel an necessarium sit ut tabula Altaris ita innitatur substrato lateritio operi ut nihil omnino vacui subtus Altare ipsum habeatur?

Sacra vero Rituum Congregatio proposito dubio rescribere rata est:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 28 Septembris 1872.

3283. NEAPOLITANA. (5526)

Sodalitas sub titulo de Septem Virginis Doloribus Nobilium Sancti Spiritus de Palatio, canonice erecta in Ecclesia Beatae Mariae Virginis Gratiarum vulgo *a Toledo* in Civitate Neapolitana, a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit ut, donec Sacellum construatur super coemeterium Sodalitatis ipsius, interim tum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, tum quoties intra annum aliquis ex sodalibus cuperet, sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari valeret in Altari extructo in coemeterio subterraneo, ubi Defunctorum cadavera et ossa reperiuntur. Ipsae autem preces, ab Emo et Rmo D. Cardinali Xysto Riario Sforza Archiepiscopo Neapolitano speciali commendationis officio communitae, relatae quum fuerint in Sacrae Congregationis Coetu subsignata die habito;

Sacra eadem Congregatio, audita sententia tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum etiam Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, precibus ipsis rescribendum censuit:

« Non expedire ». Atque ita rescripsit.

Die 28 Septembris 1872.

3284. ORDINIS (5527)
MINORUM CONVENTUALIUM
S. FRANCISCI.

Rmus Pater Fr. Bonaventura Keller Minister Provincialis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Provinciae Americae Septemtrionalis exposuit Sacrae Rituum Congregationi in Ecclesiis adnexis Conventibus Ordinis sui in praefata Provincia adeo frequenter fideles exquirere celebrationem Missarum votivarum, ut impossibile omnino sit iisdem satisfacere in diebus liberis; quorum numerus ita imminutus est in Ordinis Calendario, ut vix unus in singulis mensibus inveniatur. Quapropter praedictus orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit, ut cum Missis de die celebratis satisfieri valeat oneribus tum fixis tum adventitiis Missarum votivarum.

Sacra vero Congregatio precibus ipsis rescribere rata est: « Consulendum SSmo pro gratia ».

Die 28 Septembris 1872.

Facta autem de praedictis SSmo D. N. Pio Papae IX per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, ut in Ecclesiis adnexis Conventibus Ordinis memorati in America Septemtrionali praefatis Missis Ordinis satisfieri valeat cum Missis de die, ipsarum valorem applicando intentioni

Fundatorum aut Benefactorum, quoties vel ob magnum earumdem numerum vel ob aliam rationabilem causam, a Rm̃o P. Provinciali pro tempore cognoscendam, praefatae Missae votivae in diebus liberis celebrari nequeant. Die 3 Octobris eiusdem anni.

3285. RATISBONEN. (5528)

Rm̃us D. Ignatius de Senestrey Episcopus Ratisbonensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod in sua Dioecesi plurimae reperiantur Missae fundatae atque continuo etiam Missae a fidelibus postulentur, quae applicari debeant vel in honorem alicuius Mysterii ex. gr. SSm̃ae Trinitatis, Passionis D.N.I.C., Sacri Cordis eiusdem D. N. I. C. etc. vel in honorem Beatae Mariae Virginis vel Sanctorum. Eiusmodi Missae sive fundatae sive adventitiae adeo frequentes sunt, ut nullo modo celebrari omnes possint aut diebus Festis, qui illis intentionibus respondeant ex. gr. B. Mariae Virginis, aut illis diebus, quibus Missae votivae eisdem intentionibus convenientes a Rubricis permittuntur. Plerumque ergo illis Missarum oneribus in ista Dioecési satisfiebat celebrando Missam iuxta Calendarium; quod securius ideo etiam fiebat, quod generatim adesse non videbatur ratio necessario praesumendi voluntatem fundatorum aut eorum qui stipendia dabant ut celebraretur Missa votiva in stricto liturgico sensu. Attamen quum recentiores praesertim rerum liturgicarum Scriptores sustineant necessario celebrandas esse Missas votivas, ut eiusmodi Missarum oneribus satisfiat, quumque iidem sententiam suam etiam Decretis Sacrorum Rituum Congregationis confirment; Episcopus orator ab eadem Sacra Congregatione humillime declarari petiit, utrum illa Decreta, etiam in casibus supra expositis, revera edicant quod eiusmodi Missarum oneribus satisfieri tantum possit vel Missis dictis de Festo, quatenus aliquod praedictis intentionibus respondens occurrat, vel Missis votivis in honorem illorum Mysteriorum et Sanctorum celebratis. Quod si affirmetur, humillime supplicavit idem Episcopus orator, ut ratione habita bonae fidei, sanatio pro praeterito tempore concedatur; pro futuro autem venia benignissime detur, qua in Dioecesi Ratisbonensi eiusmodi intentionibus satisfieri etiam valeat Missis iuxta Calendarium celebratis, nisi Fundatores aut illi qui stipendia exhibent expresse postulaverint ut Missa votiva in sensu liturgico sumpta, aut de Festo occurrente et intentioni respondente celebretur.

Sacra vero Rituum Congregatio his precibus rescribere rata est: « Consulendum SSm̃o pro sanatione ad cautelam pro praeterito, et pro facultate Rm̃o Ordinario pro tempore praedictae Dioeceseos quatenus Ecclesiis illis subiectis concedere possit, accedente magno numero Missarum votivarum, vel aliqua alia rationabili causa, ut Missis praedictis satisfieri valeat cum Missis de die, ipsarum valorem applicando intentioni Fundatoris aut Benefactoris ».

Die 28 Septembris 1872.

Facta autem de praedictis SSm̃o D. N. Pio Papae IX per infrascriptum S. R. C. Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne in omnibus iuxta Rescriptum Sacrae Congregationis annuere dignata est. Die 3 Octobris eiusdem anni.

3286. TURONEN. (5529)

Pluribus abhinc annis Ecclesia nova Sororum Congregationis a SSm̃o Corde Iesu nuncupatarum prope Turones degentium solemniter dedicata est cum ritu a Pontificali Romano praescripto. Altare maius simul consecratum est. At Mensa seu tabula huius Altaris non erat ex unico lapide confecta, sed ex pluribus lapidibus. Quare consecratio talis Altaris valida non fuit; et aliud Altare nunc erigitur quod mox est consecrandum.

Cum autem difficile sit propter varias causas Ecclesiam ipsam iterum consecrare, Archiepiscopus Turonensis a S. R. C. humillime postulavit sanationem, vi cuius Altare nuper erectum consecrari possit sine nova Ecclesiae ipsius consecratione.

Sacra vero eadem Congregatio rescribere rata est: « Ecclesiam praefatam rite esse consecratam, non obstante nullitate consecrationis Altaris; ideoque oratorem nulla egere sanatione ut ad novi Altaris consecrationem vel per se vel per alium Episcopum procedere possit ». Atque ita declaravit.

Die 28 Septembris 1872.

3287. SALISBURGEN. (5531)

Rm̃us D. Maximilianus de Tarnoczy Archiepiscopus Salisburgen. et Germaniae Primas Sacrorum Rituum Congregationi exposuit in Ecclesiis suae Archidioceseos tum Secularium tum Regularium adesse consue-

tudinem invectam et constanter hucusque servatam benedicendi populo cum SSmo Sacramento ante sacras functiones et in fine quoties exponitur; nec non cum Pyxide post ministratam Sacram Synaxim. Hodie vero primum in Ecclesia Franciscalium Salisburgensium, ne id amplius fiat vetuit Rmus Pater Minister Generalis eorumdem Fratrum in actu sacrae Visitationis, cum scandalo fidelium et Archiepiscopi oratoris moerore. Quapropter hic ab eadem Sacra Congregatione humiliter postulavit ut sibi daretur facultas iniungendi praefatis Religiosis, ut pergant iuxta consuetudinem.

Proposito itaque in Sacrorum Rituum Congregatione per Secretarium dubio: An in praedicta Archidioecesi enunciata consuetudo sit servanda vel abolenda?

Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia R. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutoris, rescribendum censuit:

« In casu nihil esse innovandum ». Atque ita rescripsit, et in Archidioecesi Salisburgensi servari mandavit.

Die 15 Februarii 1873.

3288. ROMANA. (5533)

DUBII.

Quum hodiernus Apostolicarum Caeremoniarum Praefectus in suo opere cui titulus: *Manuale Sacrarum Caeremoniarum* Lib. II, cap. XIV, § 7, pag. 32, variis opinionibus sepositis, proposuerit Imaginem Divini Infantis Natalitio tempore super Altare expositam triplici ductu thurificandam esse, quumque a nonnullis huiusmodi ritus errore redarguatur, ad tollendas praesertim varietates, quae sine aliqua fidelium admiratione continuari nequeunt, hanc Sacram Congregationem adivit humiliter postulans ut velit praefinire quod sit in casu agendum. Quapropter dubium proposuit: An sacra Imago Divini Infantis, Nativitatis tempore, principe loco super Altari exposita, sit post Crucem thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo quo incensatur Crux cum Imagine Crucifixi?

Eadem Sacra Congregatio, audita relatione a Secretario facta nec non voto R. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutoris, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit et ubique locorum servari mandavit.

Die 15 Februarii 1873.

3289. COLLEN. (5534)

Extensor Calendarii Dioeceseos Collen. ex mandato Episcopalis Curiae illius Civitatis Sacrae Rituum Congregationi humiliter insequentia dubia solvenda proposuit; nimirum:

Dubium I. Rubricae nec non multae resolutiones eiusdem Sacrae Congregationis declarant quod si aliqua Ecclesia habeat duos Titulares, non eadem die recurrentes, Festa amborum celebranda sunt a Clero addicto sub ritu duplicis primae classis cum octava: item mandant quod Festum Sancti Titularis Ecclesiae Cathedralis per totam Dioecesim celebrandum sit sub ritu supradicto. Quoniam vero Cathedralis Collensis habet duos legitimos Titulares in actu Dedicationis ab Episcopo consecrante assignatos, quaeritur: An ambo gaudeant eodem iure? et quatenus affirmative, an etiam omnes Regulares teneantur ad celebrationem amborum?

Dubium II. Quin ulla intersit rationabilis causa et nulla inveniatur Apostolica concessio, die XVII Augusti in Civitate et altera parte Dioecesis colitur Festum S. Alberti Confessoris Archipresbyteri Collensis sub ritu duplicis primae classis et quidem cum octava, in alia autem parte sub duplici tantum et alia die. Quum autem hic Sanctus non possit vere iudicari nisi Patronus minus principalis (nam tantum S. Martialis agnoscitur ut Patronus, etiam cum festivitate et feriatione in populo) quaeritur: An Episcopus possit die eius gloriosae mortis idest XVII Augusti Ei tribuere ritum secundae classis sine octava per totam Dioecesim?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis ac consideratis, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Ecclesiae Cathedralis Collensis Titulares primarios esse S. Martialem nec non Faustinum et Iovitam et amborum Titularium Festum in tota Dioecesi esse celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava a Clero Seculari, et sine octava a Clero Regulari ».

Ad II. « Festum S. Alberti celebrari posse ob consuetudinem et rationem specialem in Cathedrali sub ritu duplici primae classis sine octava; in Civitate et districtu ex gratia sub ritu duplici secundae classis sine octava; et ex gratia quoque in tota Dioecesi sub ritu duplici minori a Clero Seculari ».

Atque ita rescripsit, indulsit ac servari mandavit.

Die 15 Februarii 1873.

3290. NEMAUSEN. (5535)

Rmus D. Henricus Plantier Episcopus Nemausen. a SSmo D. N. Pio Papa IX supplicibus votis postulavit ut Coronam nuncupatam Defunctorum, et a Sodalibus adscriptis Archisodalitati Beatae Mariae Virginis de Suffragio in Civitate Nemausensi canonice erectae recitari solitam, de Apostolica Auctoritate approbare dignaretur. Corona autem ipsa constat globulis maioribus ac quatuor decadibus globulorum minorum: super unoquoque ex globulis maioribus recitari debet Ps. *De profundis* cum ℣. *Requiem* vel *Pater* et *Ave* ab ignorantibus Psalmum praedictum; super quolibet ex minoribus globulis Oratio sic gallice expressa: *Doux Cœur de Marie, consolation de ceux qui souffrent, priez pour nous et pour les âmes abandonnées du Purgatoire.*

Postulavit insuper ut dictae Coronae applicentur insequentes Indulgentiae pro adscriptis Archisodalitati; nimirum: 1. Indulgentia plenaria pro singulis mensibus, die ad libitum eligenda: 2. Indulgentia plenaria die 24 Septembris lucranda, hoc est in Festo Beatae Mariae Virginis sub titulo de Mercede Patronae Archisodalitatis: 3. Indulgentia item Plenaria die 2 vel 3 Novembris, hoc est in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: 4. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum toties quoties integra recitatur Corona: 5. Indulgentia centum dierum pro recitatione orationis cuilibet globulo Coronae affixae.

Postulavit denique ut eaedem Indulgentiae applicari valeant pro animabus in Purgatorii igne detentis; atque ut Directoribus Sodalitatum, a Rmo D. Ordinario Nemausensi pro tempore nominandis, detur facultas benedicendi dictas Coronas eisque supradictas Indulgentias applicandi.

Preces autem Rmi Episcopi oratoris relatae quum fuerint in Sacra Rituum Congregatione a Secretario, eadem Sacra Congregatio, audito voto Rmi D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris Coadiutoris, rescribere rata est: « Affirmative si SSmo placuerit: et quoad Indulgentias, expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis ».

Die 15 Februarii 1873.

Facta autem de praedictis SSmo D. N. Pio Papae IX per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua de speciali gratia in omnibus iuxta preces annuere dignata est: ac Apostolicas Litteras in forma Brevis quoad Indulgentias expediri mandavit: die 27 iisdem mense et anno.

3291. FODIANA. (5536)

Rmus D. hodiernus Episcopus Fodianus exposuit in sua praesertim Civitate morem inesse non deferendi ad Ecclesiam Defunctorum corpora antequam sepulturae tradantur, sed statim illa a propriis domibus deferendi ad coemeterium; ac consequenter eosdem Defunctos nullo fere fidelium suffragio iuvari. Hinc a Sacra Rituum Congregatione suppliciter postulavit, ut Rmo Ordinario pro tempore Dioeceseos Fodianae liceat indulgere facultatem celebrandi in oratoriis privatis, Auctoritate tamen Apostolica erectis, eum numerum Missarum qui ipsi Ordinario videbitur.

Huic autem instantiae sub die 28 Septembris anni elapsi Sacra Congregatio respondit: « Scribatur Episcopo ad mentem ». Nunc autem, mente Sacrae Congregationis eidem patefacta eiusque responsione accepta,

Sacra eadem Congregatio: « Attentis noviter deductis, non solum petito indulto non esse annuendum censuit, sed etiam Rmum Episcopum Fodianum esse cohortandum, ut inductum abusum ea qua praestat prudentia evellere curet, ac Ritualis Romani praescriptiones instaurare; ut, quoad fieri potest, fidelium cadavera ad Ecclesiam deferantur pro exequiis celebrandis ».

Die 21 Aprilis 1873.

3292. DE GUADALAXARA. (5537)

Rmus D. hodiernns Archiepiscopus de Guadalaxara in Mexicana Republica ad Sacram Rituum Congregationem sequentia exposuit: In hac Ecclesia Cathedrali, sicut et in omnibus Ecclesiis huius Reipublicae, statuta fundationis, data in Concilio III Mexicano anno Domini MDLXX, Cantum Gregorianum in Officio et Missa praescribunt. Praeterea lex dioecesana scholam ipsius Cantus in Seminario statuit iuxta Sacri Concilii Tridentini Decretum. His non obstantibus, cum cantus impressus in Hispanis Missalibus, quae olim vulgatiora erant inter nos, non adsit legitimus Gregorianus Cantus Romanus nec uniformis in omnibus editionibus; usus invaluit non solum in hac Dioe-

cesi, sed in omnibus Reipublicae Dioecesibus, ut Sacerdotes in Missae celebratione ad cantum Missalis non attendentes, quamdam cantilenam traditionalem nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium uniuscuiusque variabilem, usurpent; quae licet nec Gregoriano nec hispano cantui sit conformis, cum utroque tamen remotam habeat aliquam similitudinem. Nunc vero cum habeantur Pontificalia typis Rev. Camerae Apostolicae excusa et Missalia impressa Mechliniae, in quibus Cantus Romanus vere Gregorianus invenitur; Sacerdotes aliqui, videntes Cantus Gregoriani instaurationem in Europa nec non quod a Domino Nostro Pio Papa IX in Seminario Pio statutum fuit; legi et statutis supra laudatis parere et cantum uniformare cupientes, hunc Cantum Romanum Gregorianum in Ecclesia hac Cathedrali de consensu Capituli concinunt et inter omnes propagare sunt aggressi. Hinc obortae sunt aliquorum murmurationes et dubia consuetudinem allegantium. Ideoque ad haec omnia tollenda et ut in posterum omnis dubitationis ratio finiatur, insequentia duo dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposita sunt:

Dubium I. Non attendere in Missae celebratione ad cantum in Missali impressum, sed quamdam cantilenam traditionalem cantare nullibi adnotatam, ideoque ad arbitrium variabilem, estne uti usus legitimus retinendus; vel uti corruptela extirpanda? et quatenus affirmative ad secundam partem,

Dubium II. Qualis cantus in Missa adoptandus, Romanus ne Gregorianus in Pontificalibus laudatis et uniformiter in Missalibus Mechliniae; vel hispanus diversimode in hispanicis Missalibus impressus?

Sacra porro Rituum Congregatio propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Romanus Gregorianus; et adhibeantur Editiones a Sacra Rituum Congregatione approbatae, vel exemplaria quae authentico testimonio Ordinariorum cum illis cohaerent ».

Atque ita respondit ac servari mandavit.

Die 21 Aprilis 1873.

3293. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5538)

Rmus D. Iosephus Raymundus Astorga Vicarius Generalis Archidioeceseos S. Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens dubium proposuit; nimirum:

An Ordinario Archidioeceseos S. Iacobi de Chile liceat licentiam concedere ut fiat Expositio SSmi Sacramenti infra Hebdomadam Passionis, et praesertim Feria VI occasione Festi Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, in aliquo Altari laterali; propterea quod iuxta quamdam consuetudinem Altare maius, comprehenso sacro tabernaculo, a summo usque deorsum magno velo contegitur?

Sacra vero Rituum Congregatio proposito dubio rescribendum censuit: « Non prohiberi quominus SSmum Sacramentum, si opus sit, in casu exponatur in aliquo Altari laterali: in tegendis tamen sacris Imaginibus et Cruce tempore Passionis servandum esse, quoad fieri potest, probatum Ecclesiae usum ad tramitem Caeremonialis Episcoporum ». Atque ita respondit.

Die 21 Aprilis 1873.

3294. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5539)

Rmus D. hodiernus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi exposuit Moderatorem praefatae Civitatis S. Iacobi de Chile velle aedificare Cappellam subterraneam pro sepeliendis quibusdam cadaveribus; ac in eadem Altare erigere tum pro celebranda Missa tum pro aliis functionibus peragendis. Quum autem orator dubitet an sibi liceat permittere erectionem et benedictionem dictae Cappellae, quae et super fornicem publicam habet viam et in muris cadavera Defunctorum, opportunam in re declarationem ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit.

Sacra vero eadem Congregatio, re mature perpensa, declaravit: « In casu exposito, Negative ».

Die 21 Aprilis 1873.

3295. LINGONEN. (5540)

Ludovicus Marcellinus Savier Parochus Ecclesiae Sancti Martini in Civitate Lingonensi Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod anno Domini 1845 die 5 Novembris in praefata Ecclesia auctoritate Episcopi canonice erecta fuit pia SSmi Rosarii Sodalitas cum Indulgentiis Confraternitati concessis. Quum vero advenerint nuperrime in

Civitatem Lingonensem Religiosi Ordinis Praedicatorum, et propter Ordinis huius privilegia, dicta Sodalitas in damnum Paroeciae cessari possit; ab eadem Sacra Congregatione Parochus cum fidelibus sibi commissis humiliter postulavit ut, non obstantibus supradictis privilegiis, firma remaneat haec Confraternitas, nec frustretur tum gratiis spiritualibus illi concessis, tum etiam annuo quo dotata est censu (45 libell. gallic.) cum onere undecim Missas et Officia SSmi Rosarii quotannis celebrandi.

Et Sacra Rituum Congregatio sub die 31 Augusti anni superioris eiusmodi instantiae rescribere rata est: « Scribatur Episcopo ad mentem ».

Quum autem idem Rmus Episcopus, mandatis Sacrae Congregationis satisfaciens, requisitam informationem transmisisset super eodem negotio;

Sacra eadem Congregatio omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit: « Rem in casu spectare ad Praesidem Generalem Ordinis Praedicatorum ». Atque ita rescripsit.

Die 21 Aprilis 1873.

3296. SANCTI ALBERTI. (5541)

Rmus D. Vitalis Grandin Episcopus S. Alberti a Sacra Rituum Congregatione exquisivit humiliter:

I. Quoniam omnes praedictae Dioeceseos Missiones ponuntur sub patrocinio Sancti alicuius; quaeritur: An Episcopus proprio iure possit Patronum alicui Ecclesiae statuere; adeo ut, eo ipso quod talem Ecclesiam sub patrocinio alicuius Caelicolae erigat, Missionarii dictae Ecclesiae addicti Officium Patroni sub ritu duplici primae classis cum octava recitare possint ac debeant, prout fieri debet pro Patronis proprie dictis?

Et si negative, postulat Episcopus orator nuncupari a S. Sede Patronos S. Albertum pro Ecclesia Cathedrali – S. Annam pro Missione Loci S. Annae – S. Ioachim pro Missione *Edmonton* – S. Paulum pro Missione *des Cris* in flumine *Siskatchivan* – S. Laurentium pariter in flumine *Siskatchivan* – B. M. V. a Victoriis in Lacu *de Bicke* – S. Bernardum in Lacu *des Esclaves* – S. Ioannem Baptistam in Insula *à la Crosse* – S. Petrum in Lacu *Cariban*.

His omnibus in Locis erectae sunt Ecclesiae et Missionarii sedem fixam habent.

II. Utrum Missiones, in quibus adhuc sacra aedificia non sunt extructa, quas tamen Missionarii per annum invisitant, possint erigi sub patrocinio Sancti alicuius, qui tamquam Patronus haberetur.

Sacra porro Rituum Congregatio rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, idest posse Episcopum in erigendis Ecclesiis Sanctos Titulares eis assignare cum omnibus praerogativis, quae ex iure Ss. Titularium sunt propriae ».

Ad II. « Si Ecclesia nondum erecta sit, agi nequit de Titulari proprie dicto ».

Atque ita respondit.

Die 21 Aprilis 1873.

3297. BONONIEN. (5542)

Ex parte Curiae ecclesiasticae Bononien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia fuere proposita pro opportuna solutione; nimirum:

Dubium I. In omnibus fere editionibus quae circumferuntur Officii S. Raphaelis Archangeli a S. Sede aliquibus locis concessi hymnus ad Laudes: *Christe sanctorum etc.* exhibetur iuxta formam quae in usu erat ante correctionem s. m. Urbani Papae VIII, quaeque regulis metricis parum respondet; ideo:

Quaeritur 1. Utrum hymnus praedictus ita recitandus sit; an potius iuxta formam per laudatam correctionem conductam, et quae servatur in Officio Dedicationis S. Michaelis Archangeli?

Quaeritur 2. Utrum hymnus ipse integer sit recitandus prout Sacra Congregatio decrevit respectu Officii S. Gabrielis Archangeli (in Taurinen. 12 Septembris 1857, ad III); an potius omittendae sint strophae S. Michaelem et Gabrielem respicientes?

Dubium II. Antiphona, dicenda ad *Magnificat* in secundis Vesperis eiusdem Officii S. Raphaelis, desumpta est ex secundis Vesperis Dedicationis S. Michaelis (29 Septembris) sed omisso duplici *Alleluia,* quod illi Antiphonae in praecitato Festo subiungitur. Quaeritur num memoratae Antiphonae in Festo S. Raphaelis duplex illud *Alleluia* addendum sit; an prorsus omittendum?

Dubium III. Sacrorum Rituum Congregatio declaravit: Versus Nocturnorum dicendos esse iuxta ordinem Responsoriorum Horarum minorum. Quaeritur quomodo iuxta praedictam regulam ordinanda sint tum Responsoria brevia Horarum in Officio Pretiosissimi Sanguinis Domini, tum versus singuli qui Responsoriis brevibus immediate subiiciuntur, tum versiculi Nocturnorum in eodem Officio?

Dubium IV. In Responsorio brevi ad Sextam in Officio Sacratissimae Sindonis dicitur ℣. *Quia per mortem tuam redemisti mundum,* ut habetur etiam in versiculo qui immediate subnectitur respons. br. ad Tertiam; sed in versu secundi Nocturni e contrario legitur: *Quia per crucem tuam etc.* Quaeritur ergo, iuxta regulam memoratam in praecedenti dubio, quaenam lectio praeferenda sit: ideoque utrum tam in Matutino quam in Horis minoribus dicendum sit: *Quia per mortem tuam etc.* an *per crucem tuam etc.?*

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam quaestionem: « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad secundam quaestionem: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. et IV. « Orator acquiescat editionibus rite approbatis ».

Atque ita rescripsit.

Die 21 Aprilis 1873.

3298. S. HIPPOLYTI. (5547)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Dioeceseos S. Hippolyti Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod iuxta Calendarium a S. Sede approbatum pro sua Dioecesi, die XIV mensis Maii celebratur translatum ex die III eiusdem mensis Festum S. Alexandri Papae Martyris cum commemoratione S. Bonifacii Martyris. Iamvero in Missa S. Alexandri Papae Martyris praescribitur Oratio *Infirmitatem* et conformiter dicenda erit Postcommunio *Refecti participatione;* Missale autem Romanum similiter pro S. Bonifacio Martyre habet Postcommunionem: *Refecti participatione.*

Hisce expositis quaesivit: Quomodo providendum, ne eadem Postcommunio pro Festo diei et pro Commemoratione Festi simplicis iteretur?

Sacra Rituum Congregatio proposito dubio rescribendum censuit: « In casu Postcommunionem pro S. Bonifacio sumendam esse ex Missa *In virtute* de Communi unius Martyris non Pontificis ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Maii 1873.

3299. QUEBECEN. (5548)

Rm̃us D. hodiernus Archiepiscopus Quebecen. haec quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit; nimirum: Ex indulto Apostolico solemnitas Assumptionis B. Mariae Virginis, si in Dominicam non incidat, trasfertur in Dominicam sequentem, idest, nihil immutato in Breviario, sive quoad Officium Assumptionis quod celebratur semper die XV Augusti, sive quoad Officium S. Ioachim recitandum Dominica infra octavam: sed concessum est ut unica Missa solemnis et Vesperae cantentur de Assumptione.

Ex alio indulto permissum est ut tum praedicta solemnitas, tum aliae concessae pro Provincia Quebecensi celebrari valeant Dominica proximiori non impedita, sive ipsa Festum praecedat sive subsequatur.

Tandem in hac Provincia indultum est ut solemnitas Patroni Ecclesiae celebretur Dominica subsequenti vel, ea impedita, Dominica praecedenti.

Non raro evenit ut in eamdem Dominicam incidant duae solemnitates, v. gr. in Ecclesia S. Rochi, S. Hyacinthi, S. Bernardi et praesertim S. Ioachim cuius Festum celebratur ipsa Dominica, simul occurrunt solemnitates Patroni et Assumptionis.

His autem expositis, ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit insequentium dubiorum solutionem; videlicet:

Dubium I. Num in Ecclesia S. Ioachim solemnitas Assumptionis tranferenda sit ad Dominicam praecedentem, vel potius celebranda sit in Dominica infra octavam, in qua celebratur Officium S. Ioachim, translata solemnitate S. Ioachim in Dominicam praecedentem vel subsequentem?

Dubium II. Num in aliis Ecclesiis supra nominatis solemnitas Patroni sit celebranda Dominica sequenti, translata solemnitate Assumptionis in Dominicam praecedentem, vel potius anticipanda sit solemnitas Patroni? Notandum vero est quod iuxta Apostolica indulta in Vigilia Patroni et eius solemnitatis non ieiunatur, dum e contra ieiunatur in Vigilia Assumptionis; unde aliquod incommodum eveniret si solemnitas Assumptionis non celebraretur eadem die in tota Provincia.

Sacra vero Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribere rata est:

Ad I. « In Ecclesia S. Ioachim solemni-

tatem Assumptionis Beatae Mariae Virginis Dominica infra eiusdem octavam esse celebrandam, translata solemnitate Titularis in Dominicam subsequentem in casu ».

Ad II. « In Ecclesia S. Rochi, S. Hyacinthi vel S. Bernardi solemnitatem Assumptionis Beatae Mariae Virginis Dominica infra eiusdem octavam esse celebrandam, anticipata solemnitate Titularis in Dominica praecedenti in casu ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 Maii 1873.

3300. UGENTINA. (5549)

Capitulum Collegiatae Ecclesiae Alexanen. Ugentinae Dioeceseos enixe a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. Quum in praedicta Collegiali Ecclesia benedictio Fontis in Sabbatis Paschae et Pentecostes hactenus peracta sit per Canonicum Curatum qui non est dignitas; quaeritur: An ista consuetudo servanda sit, vel potius immutanda et benedictio de qua supra in posterum facienda sit per primam dignitatem vel digniorem Canonicum de Capitulo?

Dubium II. An Processiones, quae in dicta Ecclesia fieri solent sive immediate ante sive post Missam cantatam ratione solemnitatis vel Festi alicuius Sancti, fieri debeant per dictum Canonicum Curatum paratum pluviali; vel potius per Hebdomadarium qui cantavit vel cantaturus est Missam?

Dubium III. An, si Processiones supra dictae habeantur in horis vespertinis, fieri debeant per dictum Canonicum Curatum; vel potius per digniorem de Capitulo aut per Hebdomadarium? Et quatenus affirmative quoad secundam partem,

Dubium IV. An Expositio solemnis SSmi Sacramenti quae in reditu Processionis aliquando fieri solet, facienda sit a Canonico Curato; vel potius ab illo Canonico qui in Processione incessit indutus pluviali?

Dubium V. An quoties occurrit cantari a Cappella Vesperas solemnes cum expositione SSmi Sacramenti, exsolvendae illae sint a Canonico Curato; vel potius per Canonicum Hebdomadarium?

Dubium VI. Cum Titulus supradictae Ecclesiae sit de SSmo Salvatore, quaeritur: An Dominica secunda Quadragesimae in Commemorationibus seu Suffragiis Sanctorum facienda sit etiam commemoratio eiusdem Titularis, cum in Officio illius diei tam in utrisque Vesperis quam ad *Benedictus* late fiat de eodem Mysterio?

Sacra Rituum Congregatio, audita sententia Rmi D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris Coadiutoris, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Fontis benedictionem statis diebus in Collegiata spectare ad Hebdomadarium ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; ad secundam vero: Si immediate post Vesperas sequitur Processio, eamdem facere spectat ad Hebdomadarium; si vero Hebdomadarius recessit post Vesperas et in Choro dicatur Completorium, hinc spectare poterit vel ad eumdem Hebdomadarium vel (praesertim si Processio sit ex solemnioribus) ad primam Dignitatem iuxta statuta et consuetudinem ».

Ad IV et V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VI. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 Maii 1873.

3301. ARBOREN. (5550)

Rmus D. Antonius Soggiu Archiepiscopus Arboren. a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. An cum Episcopus vestibus sacris induitur, Crux pectoralis, quae a Caeremoniali post Albam et Cingulum sumenda praecipitur, debeat post acceptam Tunicellam et Dalmaticam et Planetam extrahi et in aperto poni, ita ut supra omnes sacras vestes appareat; vel potius suo in loco, scilicet supra Albam et sub aliis vestibus, quin ab aliis conspici queat, relinquenda sit? Equidem de illa extrahenda et in aperto ponenda Caeremoniale non loquitur, et in ea extrahenda nonnihil fastidiosi et indecori saepius experitur: commodius autem posset post omnes sacras vestes accipi, ubi in omnium conspectu ponenda foret. Contra vero Crux illa in propatulo ante pectus Episcopi posita maius affert eidem ornamentum et decus, et ita a multis fieri consuevit (1).

(1) E. dub. II.

Dubium II. An in Adventu, in Septuagesima et in Quadragesima et, extra ea tempora, in omnibus Feriis VI debeat Episcopus (exceptis Festis solemnibus) vestibus nigri coloris et etiam caligis nigris uti, etiamsi Officium duplex agatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. VIII, § 14 ».

Ad II. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum Lib. I, Cap. III; ubi distincte et clare notantur vestes quibus Episcopus uti debet in diversis anni temporibus ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 14 Iunii 1873.

3302. AGRIGENTINA. (5551)

Rm̃us D. Dominicus Turano Episcopus Agrigentinus Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quae sequuntur; nimirum:

Ex praecepto Rubricae Missalis Romani et ex variis Decretis Sacrae Rituum Congregationis, die 2 Novembris omnes Missae privatae dici debent de Requie.

Item ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis sub die 27 Iunii 1868, Missae Defunctorum celebrandae sunt omnino in paramentis nigri coloris; adeo ut color violaceus adhiberi nequeat, nisi in casu quo die 2 Novembris SSm̃um Eucharistiae Sacramentum sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum.

Interea in urbe Saccae Dioeceseos Agrigentinae ex pervetusta consuetudine, eadem die 2 Novembris, in aliquibus Ecclesiis sacramentalibus solet fieri Expositio SSm̃i Sacramenti vel in tabernaculo cum Pyxide vel in throno cum Ostensorio; coram quo sic exposito celebratur Missa privata, qua expleta Sacramentum deponitur et datur Benedictio more solito.

Quibus expositis ab eadem Sacra Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem exquisivit; videlicet:

Dubium I. Ista Missa dicenda coram Sacramento, ut in casu, potest dici de Sancto occurrente, vel de octava, vel votiva?

Dubium II. Si est dicenda Missa de Requie, quinam color est adhibendus in paramentis? niger vel violaceus; cum in Decreto supracitato agatur de Expositione Quadraginta Horarum tantum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Dici debet de Sancto occurrente, si ritu duplici celebretur; Si secus dici potest de octava, vel votiva SSm̃i Sacramenti ut in fine Missalis, et cum Orationibus tempori congruentibus ».

Ad II. « In Altari, ubi publice exponitur SSm̃um Sacramentum, sive in Pyxide sive in Ostensorio, Missae de Requie tempore quo Expositio perdurat omnino prohibentur ».

Atque ita rescripsit.
Die 14 Iunii 1873.

3303. FIRMANA. (5552)

R. D. Franciscus Nobili Plebanus Ecclesiae SSm̃i Salvatoris in oppido cui nomen *Belmonte,* intra limites Archidioeceseos Firmanae, exposuit: Festum SSm̃i Salvatoris ibi celebratum fuisse die IX Novembris, utpote non solum Titulare Ecclesiae, sed etiam Patronale oppidi ipsius, sub ritu duplici primae classis cum octava et sub utroque praecepto, adstandi scilicet sacro et a servilibus abstinendi. Quum autem haec praxis continuare amplius non liceat iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 23 Maii 1835 in una Aquaependen. ad secundum; praefatus orator, nomine etiam populi sibi commissi, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit ut in praedicto oppido, non obstante enunciato Decreto, Festum SSm̃i Salvatoris, attenta longaeva consuetudine, celebrari etiam in posterum valeat die IX Novembris.

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita informatione et voto Em̃i et Rm̃i D. Cardinalis Archiepiscopi Firmani ac insuper sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

« In casu dequo agitur servetur solitum ».

Atque ita rescripsit.
Die 14 Iunii 1873.

3304. NANNETEN. (5553)

Exposuit Rm̃us Episcopus Nanneten. huic Sacrae Rituum Congregationi nonnullos pios viros, quibus cordi semper fuit Sanctum Beatae Mariae Virginis Sponsum specialibus cultus obsequiis honorare, id maiori animi intentione facere coepisse, postquam San-

ctus Patriarcha a SSmo D. N. Pio Papa IX Catholicae Ecclesiae Patronus fuit declaratus. Inter alia vero, quae ad ipsius honorem excogitaverunt, obsequia, fuit sequens invocatio: « *Cor Sancti Ioseph purissimum, ora pro nobis* »; quam decantandam proponunt, sive in festivitatibus S. Iosephi sive in supplicationibus ad ipsius honorem institutis. Quoniam vero Ipse anceps haeret num haec invocatio permittenda sit; quippe quae, etsi a pia mente procedat, aliquid tamen novitatis praeseferre videatur, statuit rem submittere iudicio Sanctae Sedis; ideoque ab eadem S. R. C. humillime postulavit num eadem invocatio permittenda sit in functionibus ecclesiasticis, exceptis tamen Missa et Officio.

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem Secretarii rescribendum censuit: « Monendum esse per epistolam Rmum Dominum Episcopum cultum Cordis S. Iosephi non esse ab Apostolica Sede approbatum ».

Die 14 Iunii 1873.

3305. POLICASTREN. (5555)

Rmus D. Iosephus Maria Cione Episcopus Policastren. Sacrae Rituum Congregationi insequentia tria dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. Num valida sit consecratio Calicis et Patenae si Episcopus verba quidem proferat, unctionem etiam sacri Chrismatis adhibeat, sed ad verba – per *Nostram benedictionem* – crucem, prout in Pontificali signata habetur, super Calicem et Patenam manu non producat?

Dubium II. Num de essentia consecrationis eiusdem sit non tantum unctio Olei, sed etiam aspersio Aquae benedictae?

Dubium III. Num in administratione Sacramenti Confirmationis Episcopus possit, sicut in Policastrensi Dioecesi Decessor facere consueverat, Ministri et Patrini partes uno eodemque tempore sustinere, dextera scilicet manu frontem confirmandi sacro Chrismate signare ut Minister, ac sinistra confirmandum ipsum tenere ut Patrinus?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione a Secretario facta, nec non sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I et II. « Servetur Rubrica Pontificalis Romani ».

Ad III. « Episcopus confirmans in casu officium Patrini gerat per Procuratorem ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Iunii 1873.

3306. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5556)

SSmus D. N. Pius Papa IX per indultum Sacrae Rituum Congregationis die 17 Septembris 1848, ad enixas preces Rmi D. Archiepiscopi et Episcoporum Provinciae Ecclesiasticae S. Iacobi de Chile, indulsit ut in tota Ditione Chilensi tam in Missis privatis quam in solemnibus sequens Collecta addi valeat, nimirum: *Et famulos tuos Papam Nostrum N., Antistitem Nostrum N., Rempublicam et eius Gubernium ab omni adversitate custodi: pacem et salutem nostris concede temporibus: et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: et gentes Paganorum et Haereticorum dexterae tuae potentia conterere: et captivos Christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare: et fructus terrae dare et conservare digneris. Per Dñum etc.*

Praefatis vero Archiepiscopo et Episcopis, quum modo opportunum et congruum videatur ut loco incisi: *et captivos Christianos, qui in Saracenorum potestate detinentur, tua misericordia liberare,* quod modo nunquam vel raro admodum evenit, substitui valeat hoc aliud: *et fideles Christianos, qui ab inimicorum immanitate impie opprimuntur, tua misericordia liberare;* attenta teterrima persecutione qua undequaque Catholica Ecclesia vexatur, necessarium ad id indultum a SSmo D. N. Pio Papa IX humillime imploraverunt.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab eiusdem Secretario facta nec non sententia Rmi D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris Coadiutoris, rescribere censuit: « Omittatur incisum et nihil eidem substituatur: et ad Dominum Secretarium cum SSmo ».

Die 14 Iunii 1873.

Facta autem de praedictis per ipsum Secretarium eidem SSmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, indulsitque ut in ditione Chilensi in enunciata Collecta in posterum omittatur incisum de quo supra. Memorato Decreto diei 27 Septembris 1848 aliisque in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 19 iisdem mense et anno.

3307. SYREN. (5557)

Sacra Rituum Congregatio, interrogata: « Num in Ordinatione Presbyteri tum Pontifex tum Sacerdotes qui adsunt, debeant prius imponere utramque manum super caput cuiuslibet Ordinandi, et postquam haec impositio ab omnibus absoluta fuerit, tunc elevare manus dexteras, easque extensas super illos tenere dum Pontifex stans cum Mitra solus dicit Orationem, uti nonnulli explicant Pontificalis Romani hac de re praescriptionem; vel potius, uti Romae fit in Archibasilica Lateranensi, tum Pontifex tum Sacerdotes qui adstant, vix facta impositione utriusque manus, statim dexteras manus extendere easque sic extensas tenere, donec Episcopus Orationem absolverit », sub die 31 Augusti 1872 respondit: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam.

Quum autem haec responsio novo dubio occasionem praebuerit sic concepto: « An censenda sit valida sacra Ordinatio, in qua Episcopus Ordinans manus extensas non tenuerit super ordinatum etiam per intervallum quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit?»; ad authenticam eiusdem dubii declarationem habendam iterum recursus habitus fuit ad praedictam Sacram Congregationem. Haec autem ad relationem eiusdem Secretarii, audita sententia Rm̃i D. Laurentii Salvati Coadiutoris Promotoris Fidei, proposito dubio rescribendum esse censuit declarando: « Sacra Congregatio, dum in praefato suo responso ritum insinuavit in peragenda sacra Ordinatione circa manuum impositionem observandum, non idcirco in dubium revocare intendit valorem sacrae Ordinationis, eo quod in illa Episcopus Ordinans manus extensas non tenuerit super Ordinatum etiam per intervallum, quod inter primam et secundam manuum impositionem intercedit ». Atque ita declaravit.

Die 14 Iunii 1873.

3308. RATISBONEN. (5559)

Rm̃us D. Ignatius de Senestrey Episcopus Ratisbonen., occasione sumpta a quodam Decreto a S. R. C. edito sub die 15 Februarii anni vertentis in una Salisburgensi, in quo significabatur nihil in illa Dioecesi esse innovandum quoad usum in ipsa vigentem dandi benedictionem cum SSm̃o Sacramento in initio et in fine Expositionis et elargiendi benedictionem cum Pyxide post distributam fidelibus sacram Synaxim, ab eadem Sacra Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. Num in Dioecesi Ratisbonensi servari etiam in posterum debeat mandatum generale Episcopi diei 17 Ianuarii anni 1869, quo inter alios abusus abolitae sunt consuetudines benedicendi populo cum SSm̃o Sacramento ante sacras functiones seu in initio Expositionis, nec non cum Pyxide post ministratam sacram Synaxim?

Dubium II. Num Episcopus post illud Decretum Salisburgense indulgere debeat vel prudenter et legitime indulgere possit ut in pluribus vel aliquibus Dioeceseos suae Ecclesiis, postulante Parocho vel populi parte, praedictae duae vetustae consuetudines denuo introducantur et serventur, etiamsi praevideat fore ut hac agendi ratione illae paullatim in universa Dioecesi renoventur?

Si vero ad primum affirmative, ad secundum negative;

Dubium III. Qua ratione respondendum iisdem sit, si contendant Decretum Salisburgense ob consuetudinum illarum paritatem earumdemque antiquitatem applicari posse vel debere ad alias Germaniae Dioeceses?

Et Sacra Rituum Congregatio, re iterum ad trutinam revocata auditaque sententia Rm̃i D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris Coadiutoris, omnibus mature consideratis, respondendum censuit propositis dubiis declarando: « Rescriptum Sacrae Congregationis diei 15 Februarii anni vertentis in una Salisburgen. quo edicitur nihil esse innovandum circa particularem vigentem consuetudinem benedicendi populo cum SSm̃o Sacramento etiam in principio sacrarum functionum, quae, eo exposito celebrantur itemque cum Pyxide post ministratam sacram Synaxim, valere exclusive pro iis locis pro quibus nominatim, ob speciales dumtaxat concurrentes circumstantias et ad evitanda scandala, editum fuit ». Atque ita rescripsit.

Die 1 Iulii 1873.

3309. CASSANEN. (5560)

Praepositus Parochus, Canonici et Sacerdotes Insignis Collegiatae et parochialis Ecclesiae a Sancta Maria Magdalena nuncu-

patae in oppido, cui nomen vulgo *Morano-Calabro,* conquesti sunt apud Sacram hanc Congregationem de eo quod Clerus alterius Collegiatae et parochialis Ecclesiae eiusdem oppidi a Sancto Nicolao nuncupatae in Processionibus peragendis limites propriae Paroeciae transgreditur, ac intra limites Paroeciae oratorum intrat. Quum autem haec agendi ratio, a qua nullatenus recedere vult praefatus Clerus, non solum iuri oratorum praeiudicium inferat, sed etiam scandalis et tumultibus occasionem praebeat, oratores praedicti ab eadem Sacra Congregatione enixe postularunt ut vetet omnino enunciato Clero S. Nicolai in Processionibus peragendis, praeterquam in illa SSmi Corporis Christi, limites Paroeciae oratorum quapiam de causa intrare.

Sacra porro eadem Congregatio, auditis informatione et voto Rmi D. hodierni Episcopi Cassanen. nec non sententia Rmi D. Augustini Caprara Sacrae ipsius Congregationis Assessoris Coadiutoris, iuxta alias Decreta declaravit: « Non licuisse neque licere Praeposito Parocho, Canonicis et Sacerdotibus enunciatae Ecclesiae S. Mariae Magdalenae opponere se Primicerio, Parocho, Canonicis et Sacerdotibus memoratae Ecclesiae Sancti Nicolai, quando isti de consensu Episcopi in Processionibus peragendis intrant fines Paroeciae oratorum ; mandavitque oratoribus ut in posterum a quacumque oppositione facienda sese omnino abstineant ».

Insuper Sacra Congregatio oratores praedictos ac praesertim Praepositum Parochum graviter reprehendit, eo quod ad laicam potestatem recursum habere in hoc negotio veriti non fuerint.

Die 27 Septembris 1873.

3310. AMERICAE SEPTENTRIONALIS seu RELIGIOSORUM IN MISSIONIBUS. (5561)

R. P. Fr. Iacobus Marshull Alumnus Ordinis S. Dominici in Statibus Foederatis Americae commorans, qui indultum ad tempus obtinuit vivendi *extra Claustra,* a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, insequentium duorum dubiorum solutionem enixe postulavit ; nimirum :

Dubium I. An in Missionibus ab Episcopo collatis Sacerdoti extra claustra degenti Missa celebrari ab ipso possit et debeat iuxta ritum Sancti Ordinis proprii, et adhiberi Missale eiusdem Ordinis ?

Dubium II. An in partibus, ubi Fratres eiusdem Ordinis non adsunt, Episcopus Missionum eidem Sacerdoti in celebratione Missarum praefatum ritum prohibere possit?

Quum vero praedicta Sacra Congregatio eadem dubia ad istam Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione transmiserit, haec propositis dubiis rescribere rata est :

Ad I. « Affirmative ».
Ad II. « Negative ».
Atque ita rescripsit.
Die 27 Septembris 1873.

3311. FODIANA. (5562)

Quum Rmus D. Episcopus Fodian. a Sacra Rituum Congregatione declarari petierit num in actualibus temporum circumstantiis Religiosi ad funera invitati debeant incedere sub Cruce Parochi vel Capituli ;

Sacra eadem Congregatio rescribere rata est : « Regulares ad funus vocatos incedere debere sub Cruce Ecclesiae sive exponentis sive sepelientis, et, Canonicis collegialiter intervenientibus, sub Cruce Capituli iuxta alias Decreta ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 27 Septembris 1873.

3312. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5563)

Proposito dubio Sacrorum Rituum Congregationi : An Ordinario Archidioeceseos S. Iacobi de Chile liceat licentiam concedere ut fiat expositio SSmi Sacramenti infra hebdomadam Passionis, et praesertim Feria VI, occasione Festi Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis in aliquo Altari laterali propter velum quo, iuxta quamdam consuetudinem, ibi Passionis tempore nedum Cruces et sacrae Imagines, sed totum Altare maius, comprehenso sacro Tabernaculo, a summo usque deorsum contegitur? Sacra eadem Congregatio sub die 21 Aprilis 1873 respondit : « Non prohiberi quominus SSmum Sacramentum, si opus sit, in casu exponatur in aliquo Altari laterali : in tegendis autem sacris Imaginibus et Cruce tempore Passionis servandum esse, quoad fieri potest, probatum Ecclesiae usum ad tramitem Caeremonialis Episcoporum ».

Modo vero iterum recurrit Rm̃us Vicarius Generalis illius Archidioeceseos pro decisione alterius dubii nimirum : An praefata resolutio diei 21 Aprilis 1873 intelligenda sit etiam de publica Expositione SSm̃i Sacramenti, quae in eadem Dioecesi rite fiat in Dominica Palmarum et consecutivis diebus Maioris Hebdomadae (excepto tamen triduo mortis Christi Domini) idque in aliquo Ecclesiae Altari laterali ?

Et Sacra Congregatio proposito dubio rescribere rata est: « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 27 Septembris 1873.

3313. LAUDEN. (5564)

R. D. Angelus Castoldi Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Lauden. a Sacra Rituum Congregatione haec quae sequuntur postulavit ; nimirum :

Iuxta Decretum Generale eiusdem Sacrae Congregationis diei 31 Martii 1821 ad 7, non licet titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum addere aliquem versiculum : attamen, si non versiculum aliquem, licetne addere nomen alicuius Sancti, ac etiam nonnullorum Sanctorum, praecipue si illi Patroni Dioeceseos habeantur? Si responsum huius Sacrae Congregationis negativum esset, ab oratore suprascripto humillime rogaretur, ut fidelibus Laudensis Ecclesiae in publicis functionibus, in quibus Litaniae recitantur, congruenti loco nomina Sanctorum Episcoporum Confessorum Bassiani Principalis Patroni ac Alberti Patroni minus principalis Laudensis Ecclesiae, nec non Iuliani et Fotiani pariter Episcoporum Laudensium, atque Sanctorum Martyrum pariter Laudensium Naboris, Felicis et Danielis, item S. Confessoris Gualterii et Savinae Matron. Viduae Laudensis addi permittatur.

Si vero adhuc responsum esset negativum, enixe petitur ut saltem in Ecclesia Cathedrali nomina dictorum Sanctorum, quorum corpora in eadem Cathedrali venerantur et ex antiqua consuetudine invocari solent in Litaniis, eadem pia consuetudo ex gratia servari possit.

Sacra vero eadem Congregatio supradictis postulatis rescribere rata est : « Negative in omnibus, iuxta Decreta alias edita ». Atque ita rescripsit et servari mandavit in Dioecesi Laudensi.

Die 27 Septembris 1873.

3314. SEMINARII MISSIONUM (5565) AD EXTEROS.

Superior Seminarii Missionum ad Exteros Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit ; nimirum :

Die 27 Novembris 1857 Sacra Rituum Congregatio declaravit Festa S. Iosephi Sponsi Beatae Mariae Virginis ac S. Francisci Xaverii pariter in Missionibus esse celebranda ut Festa Patronorum Principalium. Die autem 5 Ianuarii 1862 iterum declaravit tam de S. Iosepho Sponso B. M. V. quam de S. Francisco Xaverio, utpote Patronis Principalibus, fieri debere Commemorationem in Suffragiis communibus. Denique die 6 Augusti 1863 eadem Sacra Rituum Congregatio benigne concessit ut, quoties in Officio occurrunt Suffragia seu Commemorationes communes, a Missionariis memoratis Ss. Ioseph Sponsi et Francisci Xaverii possint simul et communiter fieri per easdem Antiphonas, Versiculos, Responsoria et Orationem, quae ibidem a Sacra Congregatione specialiter in hunc finem approbata sunt.

A tempore igitur illius Decreti in praesentem usque diem Commemoratio Ss. Ioseph et Francisci Xaverii iuxta tenorem praedicti Decreti et indulti peracta fuit.

Nunc autem quidam dubitant num per recentiorem S. Iosephi erectionem ad titulum Patroni Ecclesiae universalis praelaudatum Decretum et indultum anni 1863 fuerit implicite abrogatum; et consequenter num adhuc Commemorationem Ss. Iosephi et Francisci Xaverii per communem Antiphonam rite concessam insimul facere liceat. Quamvis huiusmodi dubitatio bene fundata non videatur, cum eadem omnino hodie perseverent rationes quae in priori petitione Sacrae Congregationi exhibitae sunt, ad sedandos tamen quorumdam scrupulos, praefatus Superior solutionem sequentis dubii humiliter postulavit ; videlicet :

Utrum indultum diei 6 Augusti 1863, in quantum concedit Antiphonam pro Commemoratione Ss. Ioseph et Francisci Xaverii, fuerit abrogatum per elevationem S. Iosephi ad titulum Patroni universalis Ecclesiae ? Et quatenus affirmative, pro opportuna eiusdem indulti renovatione et convalidatione iterum suppliciterque rogavit.

Sacra autem Rituum Congregatio, audita sententia Rm̃i D. Augustini Caprara eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris Coadiutoris, rescribere rata est : « Ad pro-

positum dubium, Affirmative ; Ad postulatum vero, Negative; et Commemorationem S. Iosephi amodo ab Alumnis praedictis peragendam esse iuxta formam Brevis Apostolici: illam vero S. Francisci Xaverii in casu faciendam esse prout infra octavam eiusdem Sancti ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 27 Septembris 1873.

3315. ERIEN. (5566)

Rmus D. hodiernus Episcopus Erien. in Foederatis Americae Provinciis, dubius haerens circa quasdam caeremonias aliasque res ad cultum divinum spectantes, quae sequuntur dubia Sacrae Congregationi de Propaganda Fide solvenda proposuit ; nimirum:

Dubium I. Episcopus quidam Americanus nuper exposuit Sacrae Rituum Congregationi, quod ob clericorum paucitatem impossibile evadat ut iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum Diaconi assistentes adhibeantur in Missa pontificaliter ab Episcopo celebrata: insuper, quod decet ut in Festis solemnioribus Episcopus pontificaliter celebret, quia contrarium populo in scandalum foret. Quaesivit inde : An iis in adiunctis liceat Diacono et Subdiacono Missae supplere locum Diaconorum assistentium? Cui respondit laudata Sacra Congregatio : Affirmative, attenta necessitate.

Quaeritur modo num hoc indultum comprehendat etiam casum illum quo neque Presbyter assistens haberi potest, ita ut cum solo Diacono Missae et Subdiacono sine Presbytero assistente Missa pontificalis celebrari possit ? (1)

Dubium II. In Ordinatione Ostiarii Pontificale praescribit ut Archidiaconus tradat ordinatis funes campanarum, faciens eos pulsare campanas. Quaeritur utrum insistatur pluralitati campanarum, an potius sufficiat una campana ubi plures non habentur?

Dubium III. Aliquae Ecclesiae, ut Cathedralis, non habent turrim coniunctam cum ipsa Ecclesia, sed pluribus passibus ab ea distantem. Quaeritur: an Ostiarii neo-ordinati debeant egredi extra Ecclesiam et per apertum pergere ad turrim campanas ibi appensas pulsaturi, vel sufficiat quassare tintinnabula Altaris ad fores Ecclesiae ?

Dubium IV. Quid agendum si nulla campana adsit in casu praedictae Ordinationis? sufficientne tintinnabula ?

(1) E. Dub. II. et III.

Dubium V. In Ordinatione Lectoris iniungit Pontificale ut Pontifex tradat omnibus codicem de quo sunt lecturi. Quaeritur quid per codicem intelligatur, utrum volumen Sacrae Scripturae, an Missale, an Rituale?

Dubium VI. In eadem Lectoris Ordinatione cohortatio Pontificis (paulo ab initio) continet haec verba : « Lectorem siquidem oportet legere ea quae (vel ei qui) praedicat ». Quaeritur an etiam particula vel rubro colore descripta et subiuncta duo verba « ei qui » sint pronuncianda.

Dubium VII. In Ordinatione Subdiaconi praescribitur ut ordinando tradatur liber Epistolarum, et in Ordinatione Diaconi ut tradatur liber Evangeliorum. Quaeritur : utrum volumen Sacrae Scripturae vel Missale locum dictorum librorum supplere possint, ubi eiusmodi liber Epistolarum vel Evangeliorum non habetur?

Quum autem praedicta dubia a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad hanc Sacrorum Rituum fuerint remissa pro opportuna solutione, Sacra haec Congregatio, omnibus mature accurateque perpensis, dubiis respondendum censuit :

Ad I. « Negative ; sed attenta necessitate, Diaconum et Subdiaconum Missae vicem Presbyteri assistentis implere posse in casu Sacra Congregatio benigne concedit ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « In casu codicem esse Missale, vel Breviarium vel volumen Sacrae Scripturae ».

Ad VI. « Episcopum dicere posse in casu, vel « Lectorem siquidem oportet legere ea quae praedicat » vel « Lectorem siquidem oportet legere ei qui praedicat ».

Ad VII. « In Ordinatione Diaconi vel Subdiaconi eis tradi posse Missale ».

Atque ita rescripsit, indulsit ac servari mandavit.

Die 27 Septembris 1873.

3316. ORDINIS CISTERCIENSIS CONGREGATIONIS DE SENANQUE. (5567)

Fr. Maria Bernardus Dioeceseos Foroiulien. in Gallia et totius Congregationis de

Senanque Sacri Ordinis Cisterciensis Vicarius Generalis insequentium dubiorum solutionem expetiit; nimirum:

Dubium I. An, Breviarium Cisterciense approbando, Sacra Congregatio Rituum Monachos ad Officium Defunctorum, quod ex Rubricis eiusdem Breviarii generalibus qualibet Feria per annum recitari debet, eodem modo quo adstricti fuerint a Capitulo generali totius Ordinis anni 1618, nempe sub veniali, intenderit obligare?

Dubium II. In Missalis generalibus Rubricis (Tit. XI de Missa quotidiana Defunctorum) legitur: Quotidie, demptis Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto, dicitur privatim Missa de Requiem pro defunctis nostris Fratribus, Propinquis, Familiaribus nec non Benefactoribus vel de die cum applicatione Sacrificii pro iisdem defunctis. Quaeritur ergo: An remaneat stricta obligatio hanc Missam quotidie applicandi?

Dubium III. Item quaeritur de obligatione Missae Defunctorum prima die cuiusque hebdomadae iuxta eiusdem Missalis Rubricas generales (Tit. V. 1 et 2) celebrandae?

Sacra porro eadem Congregatio, re mature perpensa, propositis dubiis rescribere rata est: « Affirmative ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 27 Septembris 1873.

3317. SANCTI SALVATORIS IN BRASILIA. (5568)

Rm̃us D. hodiernus Archiepiscopus Sancti Salvatoris in Brasilia a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. Sacerdoti cum Ministris sacris indutis vestibus Feria V in Coena Domini lotionem pedum facienti, aliis iam rite peractis, ceu sancti Evangelii lectione etc., licebit ne caeremoniam interrumpere, ac tanquam spectator adstare ipse poterit, dum laicus cuiusvis Sodalitatis moderator seu praefectus pauperum pedes in Ecclesia lavet?

Dubium II. Laicus in casu supra relato hoc ne solemne peragere poterit in media Ecclesia ante eumdem locum, qui vulgo Sepulcrum appellatur, ubi SSm̃um pro adoratione est expositum?

Dubium III. Si vero id fieri nequeat, anne eamdem pedum lotionem laicus Sodalitii Moderator seu Praefectus in sacello privato, vel in interiori domo vulgo *Hospital da Misericordia* nuncupata ubi pauperes aegroti curandi accipiuntur, celebrare poterit? Et, si possit, quomodo? quo ritu? quibus ministrantibus? Clericis an secularibus?

Dubium IV. Sin autem ea consuetudo laici Sodalitii Moderatoris seu Praefecti praeferendi Sacerdoti, qui cum sacris Ministris ad faciendam lotionem sit paratus, alicubi vigeat, aut inferri intendatur, estne eliminanda?

Dubium V. Hunc abusum aut solummodo eiusdem tentamen, etiam in locis et Ecclesiis exemptis, Ordinarius iure proprio vel saltem ut Sanctae Sedis Apostolicae Delegatus cohibere ne poterit?

Sacra porro eadem Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta nec non voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Non licere; et lotionem pedum faciendam esse a Sacerdote, adiuvantibus sacris Ministris, iuxta praescriptum Rubricae Missalis Feria V in Coena Domini ».

Ad II. « Nec a Sacerdotibus perfici debere Mandatum ante Sacellum ubi SSm̃um Sacramentum asservatur: et si Ecclesia tantae magnitudinis non sit ut locus ab eodem Sacello remotus haberi possit, extra Ecclesiam perficiatur ».

Ad III. « A Sodalitii Moderatore seu Praefecto, ut in casu, Mandatum perfici posse in interiori Domo *Hospital da Misericordia*, absque tamen incenso, cantu Evangelii aliisque caeremoniis a Rubrica praescriptis, sed tantum cum adsistentibus laicis qui aquam ei ministrent ».

Ad IV. « Esse abusum intolerabilem et omnino eliminandum ».

Ad V. « Iure ordinario cohibere posse et debere ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7 Februarii 1874.

3318. FIRMANA. (5570)

Hodierni Syndicus et Assessores repraesentantes populum oppidi Molleani intra limites Archidioeceseos Firmanae a Sacra Rituum Congregatione humillime postularunt ut Corpus Beati Petri a Molleano ex Ordine Minorum de Observantia S. Francisci, quod usque nunc conquievit in Ecclesia adiecta Coenobio eiusdem Ordinis in Civitate Camertium, potiusquam in posterum maneat in Cathedrali Ecclesia ad quam translatum

est, transferatur ad Ecclesiam adiectam Coenobio Alumnorum sui Ordinis in memorato oppido de Molleano ubi fidelium venerationi exponatur; decens enim omnino est ut idem Corpus quum quiescere non possit ubi e mortali vita excessit, quiescat ubi vitales primum auras aspexit.

Sacra vero eadem Congregatio, auditis informatione et voto Emi et Rmi D. Cardinalis Archiepiscopi Firmani, Rmi D. Archiepiscopi Camerinensis et Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis de Observantia, audita quoque sententia Rmi D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris Coadiutoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, precibus ipsis rescribere rata est: « Corpus Beati Petri a Molleano Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci iure suo spectare ad Ecclesiam dicti Ordinis Civitatis Camertium, ubi ad haec usque tempora publico ecclesiastico cultu ditatum quievit: interim vero, perdurante sacrilega praefatae Ecclesiae invasione, removendum non esse ab Ecclesia Cathedrali Camertium: ubi ad praesens honorifice asservatur loco depositi ».

Die 7 Februarii 1874.

3319. ALBEN. (5571)

PROVINCIAE PEDEMONTANAE.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Alben., asserentes se ab immemorabili tempore, nemine contradicente, consuevisse elargiri Benedictionem cum SSmo Sacramento, amictos superpelliceo, cappa, Stola et velo humerali, in Dominicis et in Festis minus solemnibus ac per octavam SSmi Corporis Christi, a Sacra Rituum Congregatione humillime postularunt ut haec antiqua praxis etiam in posterum ab ipsis servari valeat, etsi Sacrae ipsius Congregationis Decretis non omnino conformis esse videatur.

Sacra vero eadem Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Dentur Decreta in una Urbinaten. diei 23 Ianuarii 1700 ad I, et in una Salutiarum diei 29 Novembris 1856 ad IV. Atque iisdem Decretis amodo Canonicos Cathedralis Albensis sese conformare debere mandavit, non obstante quacumque in contrarium consuetudine ».

Die 7 Februarii 1874.

3320. LISBONEN. (5572)

Componentes Mensam Sodalitatis Mancipiorum Divini Infantis, canonice erectae in Ecclesia a Divino Infante nuncupata in Civitate Lisbonensi, Sacrorum Rituum Congregationi exposuerunt se ex antiquissima consuetudine exponere Sacram Imaginem Iesu Infantis in maiori Altari, tum quando in praecipuis anni festivitatibus fidelium venerationi SSmum Sacramentum exponitur, tum etiam quando eiusdem Sacramenti Expositio fit in forma Quadraginta Horarum. Quum vero modo aliqui dubitent an iste usus conformis sit Decretis; oratores supradicti ab eadem Sacra Congregatione humillime exquisierunt ut invectam praxim ipsis servare permitteret.

Sacra vero Congregatio, referente eiusdem Secretario, enunciatis precibus rescribere rata est: « Non esse tolerandam consuetudinem; exponi autem poterit Imago Divini Infantis in alio Altari ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7 Februarii 1874.

3321. RHEMEN. (5573)

Rmus D. hodiernus Archiepiscopus Rhemen. exposuit quod omnibus Parochiarum Rectoribus Dioeceseos Rhemen. in Gallia per indultum Sacrae Rituum Congregationis diei 24 Augusti 1854 fuerit concessum ut solemnitas Purificationis B. M. V. ad insequentem Dominicam transferri valeret. In precibus autem non agebatur de Benedictione cereorum quae praedicto die fieri debet. Quapropter suprascriptus Rmus orator ab eadem Sacra Congregatione humillime postulavit ut Benedictio cereorum ad insequentem Dominicam item transferri valeat ac Festum ipsum Purificationis.

Sacra vero Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est: « Benedictio et distributio candelarum et Processio in Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis fieri debent ipsa die 2 Februarii ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Februarii 1874.

3322. ORDINIS (5574)

S. IOANNIS DE DEO.

Rmus P. Ioannes Maria Alfieri hodiernus Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo a Sacra

Rituum Congregatione humiliter expostulavit ut insequentia dubia circa modum deferendi intra Missam sacram Communionem ad infirmos vigentem in valetudinariis sui Ordinis declarare dignaretur; nimirum:

Dubium I. An recitato ad Altare *Confiteor, Misereatur, Ecce Agnus, Domine non sum dignus,* possit permitti quod Sacerdos cum Pyxide sine velo humerali deferat ad infirmos sacram Communionem, saltem a duobus candelas deferentibus comitatus et adhibita etiam umbella, si fieri potest, praesertim si ab Altari distent infirmi?

Dubium II. An modo supradicto deferri possit sacra Communio non solum in toto valetudinario sive a parte antea sive a parte postea Altaris; sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus, etsi Altare non videatur, tamen vox Sacerdotis celebrantis auditur?

Dubium III. An permitti possit ut, loco Sacerdotis SSmam Eucharistiam deferentis ad infirmos, alter vel etiam laicus orationes recitet?

Sacra vero Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, attentis peculiaribus circumstantiis, rescribere rata est:

Ad I et II. « Nihil obstat; dummodo tamen in delatione SSmi Sacramenti umbella omnino adhibeatur ».

Ad III. « Nihil obstat quominus adstantes recitent aliquas preces, dum distribuitur sacra Eucharistia ».

Atque ita rescripsit.

Die 7 Februarii 1874.

3323. RHEMEN. (5575)

Rmus D. Ioannes Franciscus Landriot Archiepiscopus Rhemen. in Gallia a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem efflagitavit; nimirum:

Dubium I. An Praefatio specialiter concessa pro Festo Dedicationis Ecclesiarum Archidioeceseos Rhemensis, etiam dici debeat in Festis Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris et Basilicae SS. Apostolorum Petri et Pauli?

Dubium II. An posito quod illa Praefatio recitari non debeat, attamen praefatis diebus usurpari possit?

Sacra vero Congregatio rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7 Februarii 1874.

3324. ORDINIS (5576)
MINORUM DE OBSERVANTIA.

Rmus Pater hodiernus Superior Conventus Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia in Civitate Hierosolymitana a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit ut in Processione peragenda in solemnitate SSmi Corporis Christi admitti possint pueri, modo quo Angeli depingi solent, vestiti, quorum alii flores per viam spargant, alii fumigantes deferant thuribulos, alii uvam ac frumenti spicas in manibus gestent, quia id pergratum est spectatoribus cunctis non solum Catholicis sed et Schismaticis et ipsis Turcis.

Sacra vero eadem Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est: « Tam relate ad ritum, quam relate ad modum vestiendi, remittitur arbitrio Rmi D. Patriarchae Hierosolymitani ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Februarii 1874.

3325. LIBURNEN. (5577)

Rmus D. Iulius Metti Episcopus Liburnen. Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod in Cathedrali Ecclesia Liburnensi, cum propter Cleri paucitatem inveniri non possint ultra duodecim Presbyteros, etiam septem Diaconi totidemque Subdiaconi, qui assistant Missae Pontificali pro conficiendis sacris Oleis Feria V in Coena Domini, usus invaluit supplendi deficientiae Diaconorum et Subdiaconorum per simplices Clericos Dalmatica vel Tunicella indutos ad decorem solemnitatis; ita tamen ut saltem primus Diaconus et primus Subdiaconus qui vasa ferunt, sint vere in sacris constituti. Quum autem supradictus Episcopus dubitet an hic usus retineri possit, ab eadem Sacra Congregatione declarari postulavit:

1. An sine speciali obtenta facultate talis substitutio Clericorum pro Diaconis aut Subdiaconis servari possit in casu? et quatenus negative,

2. Facultatem ipsam supplex exposcit; quia aliter impossibile omnino foret numerum Ministrorum a Rubrica Pontificalis praescriptum implere.

Sacra porro eadem Congregatio censuit,

si SSmo Domino Nostro placuerit: « Concedi posse Episcopo oratori licentiam conficiendi Olea sacra cum numero Ministrorum minori illo, qui praescribitur in Pontificali Romano, quatenus sufficiens numerus Presbyterorum in Dioecesi Liburnensi non reperiatur et aliter commode haberi nequeat, super quo eius conscientia oneratur; et dummodo in reliquis quantum fieri potest Pontificali praedicto se conformet ».

Die 7 Februarii 1874.

Facta autem de his SSmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua iuxta praedicta benigne annuit, die 26 eiusdem mensis et anni.

3326. MARIANOPOLITANA. (5578)

Hodiernus Parochus Ecclesiae a Nativitate Deiparae vulgo *de la Reine de la Magdaleine* nuncupatae in ditione Canadensi Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod praedicta parochialis Ecclesia una cum Altari maiori rite fuerint consecrata die 18 Novembris 1841. Duodecim vero post annos frons Ecclesiae ruinam minitans destructa et renovata fuit. Frons vero ipsa vix duodecimam partem totius Ecclesiae constituebat. Altare quoque maius fuit ab antiquo loco amotum sed paucis pedibus. His positis, insequentia dubia pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

Dubium I. An Ecclesia ob demolitionem suae frontis consecrationem amiserit, ita ut ea iterum consecrari debeat; vel potius nova unius Altaris maioris consecratio peragenda sit?

Dubium II. An praedictum Altare consecrari debeat, si Ecclesia stat consecrata?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii iuxta Decreta alias edita rescribere rata est:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Februarii 1874.

3327. AGRIGENTINA. (5580)

Rmus D. hodiernus Episcopus Agrigentinus exposuit quod iuxta Decretum generale Sacrae Rituum Congregationis Regulares cuiuscumque Ordinis et Instituti tenentur in omnibus exacte observare id quod praescribitur in Rituali, Caeremoniali et Rubricis Missalis Romani. Porro in Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. III, ubi agitur de Vesperis cum cantu, statuitur quod assistentes cum pluviali debent esse de gremio Ecclesiae. Idque sapienter: cum inter Regulares sint nonnulli qui habent ritus et caeremonias sibi proprias, veluti PP. Carmelitae, Praedicatores aliique. Et haec dispositio quae in Caeremoniali statuitur quoad Vesperas cum cantu, ob paritatem rationis facile extendi potest ad omnes alias functiones ecclesiasticas, uti Matutini, Tertiae et Missae cum cantu, nec non extendi potest ad Completorium solemniter cantatum cum assistentibus cum pluviali, ut alicubi fieri solet.

Hisce expositis, ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit insequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. In illis locis, in quibus adest sufficiens numerus Sacerdotum Secularium et Regularium, possunt ne in eadem functione, puta Missa, Completorio etc., ut supra, ministrare Seculares et Regulares simul, vel Regulares unius vel alterius Instituti, quatenus nempe Celebrans sit Secularis et Ministri aut unus ipsorum Regularis, et vicissim; vel quatenus Celebrans et Ministri sint omnes Regulares, sed non omnes eiusdem Instituti?

Dubium II. Et si affirmative, valet id quoad Regulares Carmelitas, Praedicatores et alios habentes caeremonias sibi proprias?

Dubium III. Et si affirmative pro aliis Ecclesiis, valet id pro illis Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in quibus adest sufficiens numerus ministrorum de gremio ipsarum?

Sacra vero eadem Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

Ad I. « In omnibus sacris functionibus, praesertim in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, in quibus adest numerus sufficiens Ministrorum de gremio ipsarum Ecclesiarum, convenit ut Celebrans et Ministri sint de gremio Ecclesiae: quatenus vero sufficiens hic numerus desit, oportet ut sacri Ministri, qui extra gremium Ecclesiae assumuntur, eamdem Ecclesiae illius Liturgiam sequantur, ne ulla prorsus in sacris exercendis ritibus ac caeremoniis difformitas habeatur ».

Ad II et III. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Martii 1874.

3328. DE ZACATHECAS. (5581)

Rm̃us D. Iosephus Maria a Refugio Guerra Episcopus de Zacathecas in Republica Mexicana Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. In Missa quae cum cantu celebratur, sed sine Ministris sacris, omnes incensationes omittendae sunt. Usus tamen contrarius praevaluit in his regionibus. Sed quatenus haec consuetudo non sit tolerabilis, omittendae ne sunt etiam in Missa quae cum expositione Venerabilis celebratur?

Dubium II. In Missis, quae cum cantu et expositione SSm̃i Sacramenti celebrantur, quaenam Oratio anteponenda? commemoratio nempe Venerabilis, vel collecta Spiritus Sancti, quae occurrit ut imperata? Hic non eadem est omnium super hac re sententia.

Dubium III. Cum in hac Cathedrali non habeantur in praesentiarum nisi tres Canonici, Missae Feriales vel de Vigilia, quae occurrunt post Missam de Festo, non per Canonicos ipsos, sed per Cappellanos Chori cantantur. Quaeritur: Anne in iisdem Missis adesse debeat Magister Caeremoniarum, vel tantum cum Canonici ad Altare celebrant? (1)

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « In Missa quae cum cantu, sed sine Ministris celebratur, incensationes omnes omittendae sunt; si vero, dum haec Missa cantatur, SSm̃um Sacramentum super Altare est expositum, incensationes in Missa pariter omittendae sunt; et SSm̃um Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponatur ».

Ad II. « Commemoratio SSm̃i Sacramenti in casu est facienda post alias omnes Orationes de praecepto et ante omnes collectas etiam imperatas ».

Ad III. « Servetur consuetudo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 18 Martii 1874.

3329. LAVANTINA. (5582)

Rm̃us D. Iacobus Maximilianus Stepischnegg Episcopus Lavantin. a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentis dubii solutionem expetiit, nimirum: Num Missa votiva pro Sponso et Sponsa dici et in ea benedictio nuptialis fieri possit etiam in casu quo Sponsi infra hanc Missam sacram Communionem non percipiant?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est: « Affirmative; curent tamen Parochi et animarum Rectores adhortari fideles nupturos, ut in Missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent ». Atque ita rescripsit.

Die 21 Martii 1874.

3330. MEDIOLANEN. (5583)

Rm̃us D. Franciscus Maria Rossi, Praepositus S. Ambrosii et Vicarius Generalis Mediolanen., Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod in nova subterranea crypta apud Basilicam Ambrosianam Mediolanensem effossa ad recondendum corpora Patronorum Urbis, primitivo eorum loco servata fuerunt sepulcra SS. MM. Gervasii et Protasii, itemque S. Ambrosii Ep. C. et D. Supra vero praedicta sepulcra mensae Altarium duae constitutae sunt ad Sacrum faciendum: attamen in vacuitate ipsorum sepulcrorum rursus authenticae quaedam Reliquiae conditae fuerunt eorumdem SS. Martyrum et S. Ambrosii rite recognitae. Quum autem dubium exortum fuerit:

An supra dictas mensas Altarium, incumbentes adamussim locis dictarum Reliquiarum, Missae celebrari possint absque additamento petrae, quam vocant, sacrae, posterioribus seculis quasi in supplementum lypsanorum Martyrum inductae; praedictus orator eiusdem dubii solutionem humillime imploravit.

Et Sacra Congregatio, audita sententia in scriptis Rm̃i D. Augustini Caprara Coadiutoris Assessoris eiusdem Sacrae Congregationis, rescribendum censuit: « In casu de quo agitur, in iisdem mensis Altare portatile esse apponendum ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 24 Martii 1874.

3331. SANCTI HIPPOLYTI. (5584)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Sancti Hippolyti Sacrae Rituum Congregationi ex-

(1) E. Dub. IV.

posuit quod in nonnullis suae Dioeceseos parochialibus Ecclesiis quarum populus non est numerosus, ex longo iam tempore invaluerit mos, ut aqua baptismalis tantummodo in Sabbato Sancto Paschatis benedicatur et pro toto anno reservetur; benedictio autem aquae baptismalis in Vigilia Pentecostes omittatur. Ad monitionem a Decano factam, Parochi isti non solum antiquissimam consuetudinem invocarunt, sed etiam ad Ritualis Romani Rubricam provocarunt, quae habet: « Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta, in Sabbato Sancto Paschatis vel Sabbato Pentecostes »; unde inferebant sufficere ut vel Sabbato maioris Hebdomadae vel in Vigilia Pentecostes fiat benedictio aquae baptismalis, nec oportere ex Rubricae mandato eamdem fieri utroque Sabbato.

Quapropter supradictus orator ab eadem Sacra Congregatione humillime exquisivit: Num consuetudo isthaec tolerari queat benedicendi aquam baptismalem in istis Parochiis dumtaxat semel per annum, Sabbato videlicet sancto Paschatis?

Et Sacra Congregatio, re mature perpensa, iuxta alias Decreta, ac praesertim in una Lucana diei 12 Aprilis 1755, et in una Urbevetana diei 7 Decembris 1844, rescribendum censuit: « Aquam baptismalem in Parochiis esse benedicendam in Sabbatis Paschae et Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, quae omnino eliminari debet ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Aprilis 1874.

3332. LISBONEN. (5585)

Expositum fuit nonnullos inveniri usus in Patriarchatu Lisbonensi in Expositione SSmi Sacramenti in forma Quadraginta Horarum et in solemnibus Processionibus quae magna pompa et ingenti concursu fidelium fiunt tempore Passionis; qui, partim praxi in Alma Urbe vigenti, partim vero etiam Sacrae Rituum Congregationis Decretis adversantur. Quoniam vero iidem usus et ab immemorabili ibi vigent et ad fidelium pietatem fovendam omnino idonei atque apti inveniuntur, dubitatur num expediat illos removere. Hinc ut in re secure omnino procedatur, nonnulla circa praefatos usus dubia proposita sunt quae sequuntur; nimirum:

I. Permittitur ne vel saltem toleratur antiqua consuetudo tenendi sacras Imagines detectas in Cappella vel Altari, stante Expositione Quadraginta Horarum?

II. Permittitur ne vel toleratur consuetudo sermocinandi intra Missarum solemnia, durante eadem Expositione?

III. Permittitur ne etiam consuetudo omittendi vel dumtaxat recitandi Missam de Pace die medio?

IV. Permittitur ne vel saltem toleratur fieri Processiones tempore Passionis cum Imaginibus detectis?

V. Quid vero faciendum, si adsint aliqua pia legata pro talibus Processionibus faciendis intra praedictum tempus?

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia in scriptis tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris tum R. D. Coadiutoris Assessoris ipsius Sacrae Congregationis et Rmi D. Coadiutoris Promotoris Sanctae Fidei, re mature perpensa, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I, II et III. « Res remittitur prudentiae et arbitrio Emi et Rmi Patriarchae ad tramitem Decreti diei 12 Iulii 1749 in Patavina, quod sic se habet: Instructionem Clementinam extra Urbem non obligare, laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Provisum in IV ».

Romae die 4 Iunii 1874.

3333. TAURINEN. (5586)

Rmus D. Laurentius Gastaldi Archiepiscopus Taurinen. Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod in Metropolitana Ecclesia Taurinensi et in Ecclesiis Collegiatis Archidioeceseos Cappae usum habentibus nonnulla adinvenerit ab immemorabili servata, quae rubricis Missalis, Ritualis ac Caeremonialis Episcoporum vel omnino contraria, vel saltem minus conformia videntur. Haec autem sunt:

1. Canonici Cappa induti, superposita Stola ac velo humerali, benedictionem cum SSmo Sacramento impertiuntur.

2. In Missis ac Vesperis solemnibus Acolythi manibus iunctis e sacrario ad Altare accedunt et recedunt, et loco candelabrorum sustinent intorticia ad Evangelium in Missa et ad Orationem in Vesperis.

3. Canonicus Subdiaconus, excepta Missa solemni Pontificali, Calicem e credentia ad Altare et e converso non defert, nec adhibet velum humerale pro patena sustinenda, quae remanet subtus corporale uti in Missis privatis.

4. Vesperae quae solemnitates praecedunt, seclusa tantum Festivitate S. Ioannis Baptistae, nunquam decantantur solemniter.

5. Organa non silent Dominicis Adventus et Quadragesimae, sola excepta Dominica Palmarum.

Hisce notatis, praedictus R̃mus Archiepiscopus sequentia duo dubia solvenda proposuit; nimirum:

Dubium I. An liceat Capitulo Metropolitano Taurinensi et item supramemoratis Collegiatis, quae exposita ac enarrata sunt, servare?

Dubium II. An in casu negativo, Archiepiscopus praecipere debeat Rubricarum observantiam, omnino posthabitis praedictis consuetudinibus?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo; et iuxta alias decreta in Civitate et Archidioecesi servandum est Caeremoniale; atque Archiepiscopus pro sua prudentia providere debet ut abusus circa ritus et caeremonias ecclesiasticas introducti, iuxta eiusdem Caeremonialis praescriptum corrigantur ».

Die 22 Iunii 1874.

3334. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5587)

R̃mus D. Raphael Valentinus Valdivieso Archiepiscopus S. Iacobi de Chile a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. Cum in hac Regione ab antiquo consuetudo sit ut a celebrante Praelato vel simplici Presbytero Seculari aut Regulari (multo magis Episcopo in partibus Infidelium aut alienae Dioeceseos) qui concionem facturus est inter Missarum solemnia benedictionem immediate post Diaconum Evangelium cantaturum petat; quaeritur: An, attenta praelaudata consuetudine, hoc tolerari possit?

Dubium II. Et quatenus affirmative, quibusnam verbis uti possit qui benedictionem concionanti impartitur?

Dubium III. Etiam quaeritur, anne is qui facultate gaudet concedendi Indulgentias, sive ipse solemniter celebret, sive, in Missa ab alio celebrata, post Evangelium concionem faciat, possit supradictas Indulgentias audientibus concedere, illasque in pulpito vel ambone publicare?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Servari potest: qui vero concionem facturus est, non immediate post Diaconum Evangelium cantaturum benedictionem petat, sed cantato Evangelio et Celebrante thurificato ».

Ad II. « Celebrans qui benedictionem dat concionatori, iisdem verbis uti potest, quibus utitur dum Diaconum, qui Evangelium cantaturus est, benedicit, mutatis tantum verbis *Evangelium suum* in verba *sancta sua*, et dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne ac competenter annunties verba sancta sua. In nomine Patris etc.* ».

Ad III. « Servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XXV, ubi clare habetur, quando et quomodo Indulgentiae ab Episcopo dandae et publicandae sint ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 1 Iulii 1874.

3335. SEBENICEN. (5588)

R̃mus D. hodiernus Vicarius Capitularis Dioeceseos Sebenicen., Sede illa Episcopali vacante, ad auferendam controversiam quamdam, quae inter RR. DD. Canonicos et Parochum Cathedralis praefatae Ecclesiae erat exorta, relate ad Altare in quo servandum foret Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium duorum dubiorum solutionem exquisivit; nimirum:

Dubium I. An, attenta peculiari structura Ecclesiae Cathedralis Sebenicen. et seculari consuetudine in eadem vigente, retineri possit SS̃mum Eucharistiae Sacramentum in Altari maiori; eo vel magis quod id non vetetur a Caeremoniali Episcoporum, sed solum uti minus opportunum perhibeatur?

Dubium II. An durante Pontificali R̃mi Episcopi, etsi ipse ad homiliam faciendam usque ad extremitatem Presbyterii se conferat, Sanctissima Eucharistia sit a maiori Altari removenda?

Sacra eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 6 Februarii 1875.

3336. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5589)

Quum non levis exarserit controversia in Archidioecesi S. Iacobi de Chile super veritate Apparitionis Beatae Mariae Virginis in Choro Coenobii Barcinonensis Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum; Rmus Archiepiscopus sui muneris esse duxit rem omnem pandere Sacrorum Rituum Congregationi, et ab eadem insequentium dubiorum solutionem humillime exquirere; nimirum:

Dubium I. An ita constet de authenticitate supradictae Apparitionis Beatae Mariae Virginis ut libri, in queis talis apparitio veluti miraculum narratur, typis dari, nec non orationes, quae de eodem prodigio mentionem faciunt, in publicis precibus recitari valeant?

Dubium II. An in Ecclesia publicae venerationi fidelium tale miraculum depictum vel sculptum proponere ac Beatae Virginis Imaginem habitu Ordinis sedentem inter Religiosos in actu recitationis Horarum Canonicarum exponere liceat?

Sacra porro Congregatio, audita relatione de omnibus ab eiusdem Secretario facta, omnibus mature accurateque perpensis auditoque voto R. P. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, rescribere rata est:

Ad I. « Quamvis memorata apparitio a Sede Apostolica approbata non sit, attamen nec fuit ab eadem reprobata vel damnata, sed potius permissa tamquam pie credenda, fide tantum humana, iuxta piam, uti perhibent, traditionem etiam idoneis testimoniis ac monumentis confirmatam. Itaque nihil vetat quominus pari ratione a Rmo Archiepiscopo oratore permittatur; facta, si de opere typis vulgato agatur, desuper in eodem sensu opportuna declaratione seu protestatione ad tramitem Decretorum s. m. Urbani Papae VIII ».

Ad II. « Imagines praedictas tolerari posse; dummodo non exponantur super Altare ».

Romae die 6 Februarii 1875.

3337. MANTUANA. (5590)

Exposuit Rmus Episcopus Mantuanus Sacrorum Rituum Congregationi in Dioecesi sibi commissa SSmum Viaticum deferri ad infirmos secreto sine ullo exterioris cultus signo, etsi desint gravia motiva quae ita fieri suadeant; itemque in Missa solemni etiam Pontificali Diaconum canere Evangelium super *praedella* Altaris, in qua se sistunt etiam Subdiaconus, Acolythi et Thuriferarius. Licet autem ipsemet iam modis omnibus curaverit ut in utraque re serventur quae ab ecclesiasticis sanctionibus et a Rubricis praescribuntur; ab eadem Sacra Congregatione humillime postulavit ut dignaretur declarare quid de praedictis usibus sit sentiendum, et an, attenta consuetudine, sint tolerandi.

Sacra autem Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta nec non voto Rmi Domini Augustini Caprara eiusdem Sacrae Congregationis Assessoris ac Sanctae Fidei Subpromotoris, declaravit: « Praedictos usus non esse consuetudines, sed abusus omnino abolendos »; iniunxitque Rmo Episcopo ut eosdem, etiam nomine Sacrae Congregationis prohibeat, prout magis expedire cognoverit.

Romae die 6 Februarii 1875.

3338. BALNEOREGIEN. (5591)

Rmus D. hodiernus Episcopus Balneoregien. haec quae sequuntur Sacrorum Rituum Congregationi exposuit; nimirum: Balneoregii Civitas duobus Pagis constituitur, *Civita* nempe et *Rota:* Pagus *Civita* antiquitus erat pars nobilior in qua sita erat Ecclesia Cathedralis et Sedes Episcopalis. A continuis terraemotibus *Civita* fere solo aequata, Innocentius XII sua Bulla decimo Calendas Martias 1699, quae incipit *Super universas,* suppressit cathedralitatem dictae Ecclesiae, eamque in simplicem Parochialem erexit, eiusque administrationem uni ex Canonicis assignavit perpetuo exempto a Chori obligatione, Sedemque Episcopalem ac Cathedralem *Rotam* transtulit. Post translationem, Calendarii expositores, ut antea, diem 29 Septembris quotannis Anniversarium Dedicationis antiquae Cathedralis assignarunt sub ritu duplicis primae classis cum octava pro Civitate, et duplicis primae classis sine octava pro Dioecesi: quod et modo obtinet, quamvis nulla fiat mentio in praefata Bulla de privilegio. Quum autem id praefato Rmo Episcopo haud recte factum videatur, ab eadem Sacra Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. An nova Ecclesia Cathedralis, ultra Anniversarium Dedicationis propriae, teneatur celebrare Anniversarium Dedica-

tionis Cathedralis antiquae, et quidem sub ritu duplici primae classis cum octava, et Dioecesis sub ritu duplici primae classis sine octava?

Dubium II. An saltem ad id teneatur ratione consuetudinis plusquam centenariae?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa, rescribere rata est ad utrumque dubium: « Negative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Aprilis 1875.

3339. NICOTEREN. (5592)

ET TROPIEN.

Rm̃us D. Aloisius Vaccari Episcopus Sinopen. et Coadiutor Rm̃i Domini hodierni Episcopi Nicoteren. et Tropien. exposuit quod in Dioecesibus Nicoteren. et Tropien. plures inveniantur sepulturae, quae tribus ab Altare cubitibus non distant, uti ecclesiasticae leges statuunt. Quoniam vero aliae sepulturae construi nequeant, atque antiquas removere locum praebere possit offensionibus, praefatus orator a S. R. C. humillime postulavit ut sepulturas iam existentes conservare liceat, sub conditione tamen quod in posterum in sepulturarum constructione leges ab ecclesiasticis sanctionibus praescriptae adamussim observentur.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per Secretarium facta, rescribere rata est: « Corpora defunctorum iam condita in sepulcris, quae non distant ab Altari iuxta praescriptiones canonicas, removeantur, si id commode fieri poterit; posthac vero in iisdem neutiquam cadavera sepeliantur ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Aprilis 1875.

3340. VICENTINA. (5593)

Exposuit Cathedrale Capitulum Vicentinum vertente anno 1873 legitime congregatum edixisse ut in propria Ecclesia Vesperae diebus ferialibus quocumque anni tempore, excepta Quadragesima, persolverentur una post meridiem hora cum tribus quadrantibus. Verum post aliquod tempus nonnullis ex praedictis Canonicis dubium occurit an innovatio esset conformis spiritui Ecclesiae; ac apud Episcopum institerunt, ut antiqua praxis redintegraretur. Ipse vero statuit ad Sacrorum Rituum Congregationem recurrere; ac ab eadem humiliter exquisivit quid de facta innovatione esset censendum.

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem eiusdem Secretarii, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Innovationem esse improbandam ». Atque ita declaravit.

Die 2 Aprilis 1875.

3341. MEXICANA. (5594)

Ex immemorabili tempore in Metropolitana Mexici mos inolevit ut Praeconium Paschale non per Diaconum, qui Missae inservit, decantetur, sed per subcantorem aut aliquem ex Clericis Chori qui cantum calleat. Quum autem morem hunc immutare admirationi dare posset locum, Rm̃us D. Pelagius Antonius Labastida hodiernus Archiepiscopus a S. R. C. praefati usus continuationem humiliter imploravit.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per eiusdem Secretarium facta, rescribere rata est: « Pro gratia; dummodo cantor sit in ordine Diaconatus, facto verbo cum SSm̃o ».

Die 2 Aprilis 1875.

Facta autem de praedictis SSm̃o D. N. Pio Papae IX fideli relatione per Secretarium, Sanctitas Sua benigne annuere dignata est pro gratia ad tramitem rescripti Sacrae Congregationis. Die 8 eiusdem mensis et anni.

3342. MEXICANA. (5595)

Rm̃us D. Pelagius Antonius Labastida Archiepiscopus Mexicanus a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit, ut saltem in Ecclesia sua Metropolitana et in Ecclesia Collegiata B. M. V. de Guadalupe servari valeat mos ab antiquissimo invectus tempore in omnibus Archidioeceseos Ecclesiis apponendi in Missa cantata duo Missalia, unum nempe in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per Secretarium facta, rescribere rata est:

« Serventur Rubricae; et detur Decretum in Tuden. diei 7 Septembris 1816 ad 7 ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Aprilis 1875.

3343. LEMOVICEN. (5596)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Lemovicen. Sacrae Rituum Congregationi sequen-

tia duo dubia enucleanda proposuit; nimirum:

Dubium I. An Episcopi, sive ex iure ordinario sive ex consuetudine omnes benedictiones descriptas in Rituali Romano et reservatas, in quibus non intervenit sacra unctio, Sacerdotibus minoribus delegare possint?

Dubium II. An Vicarii Generales, sive ex facultatibus ordinariis sive ex delegatione speciali, nomine Episcopi istas benedictiones delegare possint?

Si responsa fuerint negativa, praefatus orator humillime postulavit ut Sacra Congregatio sanet omnes benedictiones datas in Dioecesi Lemovicensi usque ad hanc diem sine delegatione valida.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Quoad vero postulatum rescripsit: « Attenta rei difficultate, Rmus orator acquiescat ».

Atque ita rescripsit.

Die 2 Aprilis 1875.

3344. CARTHAGINIEN. (5597)

IN INDIIS.

Exposuit Rmus Episcopus Carthaginiensis in sua Dioecesi iamdiu vigere usum quod corpora defunctorum, postquam per decem et octo menses deposita fuerunt in sepulturis coemeteriorum, extrahi inde possint ac clausa in capsis deponi in cavis effossis sub pavimentis Ecclesiarum. Cava autem ipsa unum vel etiam plura continentia cadavera marmoreo cooperiuntur lapide, nomen et ortus ac obitus diem referente, atque ita disposito, ut a planitie pavimenti ne parum quidem emineat. Anteactis temporibus ex male intellecta tolerantia intra Ecclesias sepulta etiam fuerunt corpora Hebraeorum ac Protestantium. Abusus hic remotus quidem fuit, ac modo adamussim hac super re ecclesiasticae servantur praescriptiones: attamen tam ingens est inter Catholicos numerus petentium sepeliri cadavera suorum defunctorum in Ecclesiis, ut plura ex huiusmodi cavis sint referta. Ex hoc autem timeri merito potest ne Ecclesiae, si terraemotu quassentur, concidant. Hinc licet Ecclesiis ipsis solvatur aliqua eleemosyna iudicio Episcopi determinanda ad hoc obtinendum privilegium, Rmus tamen Episcopus congruum duxit ad Sacram Rituum Congregationem recursum habere, ac ab eadem postulare: Num, attentis expositis, licentia sepeliendi cadavera fidelium defunctorum in Ecclesiis sit, nec ne, in posterum concedenda?

Sacra vero Congregatio, audita relatione de omnibus ab eiusdem Secretario facta, censuit esse rescribendum quod usus superius expositus improbandus non sit, quatenus serventur singulae canonicae dispositiones et quatenus id sacrae aedis stabilitati non noceat: quoad vero ossa et cadavera acatholicorum iam condita in Ecclesiis, removeantur si adhuc dignosci possint, adhibita omni prudentia: et Ecclesiae ipsae reconcilientur (si id iam non praestitit Rmus Episcopus); eo quia ex tumulatione cadaverum acatholicorum pollutae fuerint.

Romae die 23 Aprilis 1875.

3345. MEDIOLANEN. (5598)

Ex parte Curiae Ecclesiasticae Mediolanen. expositum fuit huic Sacrorum Rituum Congregationi quod inter ceteras Reliquias Sanctorum, quae in eadem Curia asservantur, una existat insignis quidem, attamen sine nomine Sancti. Quum autem eodem modo requiratur a Parocho quodam eiusdem Archidioeceseos, etsi de ipsius authenticitate dubitari nequeat, anceps tamen haeret praefata Curia, an ab Ordinario authenticari valeat ac donari, ut publicae exponatur venerationi. Hinc ut securius in re procedat, ab eadem Sacra Congregatione humiliter declarari petit:

1. Num Reliquiae, quas constat easdem esse, quae ineunte praesenti seculo asservabantur sub Altari sacelli Archipraesulum Mediolanensium, quamvis nomine careant Sancti, cuius Corporis particulae sunt, ab Ordinario authenticari et Parocho pie petenti donari possint?

2. Et quatenus affirmative, quaenam forma adhibenda in authentica?

Sacra vero Congregatio, referente eiusdem Secretario auditoque voto alterius ex suis Theologis Consultoribus, re mature accurateque perpensa rescribendum censuit:

« Quoad authenticitatem Reliquiae, Affirmative, seu satis constare; quoad distributionem eiusdem, non expedire ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 23 Aprilis 1875.

3346. NANNETEN. (5599)

Rmus Nannetens. Episcopus huic Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod alumni Ordinis S. Francisci, nuncupati Recollecti, S. Nazarii in Urbe Nannetensi Sacellum proprio coenobio adiectum erexerint illudque Cordi misericordi Iesu dedicarint. Quum vero a multis dubitetur, an licitum sit adhibere vocabulum *misericors* loco vocabuli *sacratissimum* quod hucusque usu fuit receptum, vel saltem an novitatem redoleat hanc appellationem adhibere; ipsemet a praefata Sacra Congregatione humiliter declarari petiit:

An appellatio *misericors Cor* sit admittenda vel potius impedienda in casu?

Sacra vero Congregatio, ad relationem sui Secretarii, re mature accurateque perpensa rescripsit: « Significetur Rmo Episcopo oratori quod servanda sit appellatio communis nempe *sacratissimum Cor* ».

Romae die 23 Aprilis 1875.

3347. NUSCANA. (5600)

Rmus D. hodiernus Episcopus Nuscanus, in relatione status Ecclesiae sibi concreditae transmissa ad Sacram Congregationem Concilii, sequens postulatum sub N. IX proposuit; nimirum: Quum in Nuscana Dioecesi desit mos praesentandi quotannis Episcopo obedientiam ab omnibus Ecclesiarum moderatoribus cum oblatione cerei, et offerendi, si Cathedralis excipiatur, candelam die 2 Februarii benedictam et palmam; quaeritur: An Episcopus imponere possit has laudabiles consuetudines omnes? vel saltem primam, eamque Dominica II post Pascha vel potius ultima Dominica Iulii qua Festum patrocinii S. Amati primi illius Dioecesis Episcopi ac Patroni celebratur?

Quum vero idem postulatum a praedicta Sacra Congregatione Concilii pro opportuna resolutione fuerit ad hanc Sacrorum Rituum transmissa,

Sacra haec Congregatio ad relationem sui Secretarii declarare rata est: « Nulla liturgica aut canonica lege Ecclesiae non Cathedrales tenentur ad illos obedientiae actus, de quibus in proposita quaestione fit mentio ». Atque ita declaravit.

Die 23 Aprilis 1875.

3348. TORNACEN. (5602)

A seculo decimo sexto, dum Calviniana haeresis in Civitate Tornacensi effervebat, in professione fidei in Cathedrali coepit sequens adhiberi caeremonia in Choro; nempe: dum cantatur Symbolum, Subdiaconus Missae, accepto Evangeliorum libro, Canonicorum et Seminaristarum Missae assistentium circuit stalla, unicuique praebens librum clausum, quem singuli manu dextera tangunt dicentes: *Credo* et *Confiteor*.

Quum autem Canonici praefatae Cathedralis hanc consuetudinem retinere vehementer cupiant, de venia Rmi D. Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione opportunum privilegium humillime postulaverunt.

Sacra vero Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit:

« Consuetudinem, de qua in precibus, Sacrae Liturgiae legibus non esse conformem ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Aprilis 1875.

3349. LISBONEN. (5603)

Exposuit Emus ac Rmus Card. Patriarcha Lisbonen. huic Sacrorum Rituum Congregationi in Patriarchatu suo, scientibus et consentientibus Ordinariis, invaluisse consuetudinem exponendi SSmum Sacramentum in quibusdam festivitatibus praevio quodam machinismo ad hoc specialiter constructo vel in manu alicuius statuae Beatae Mariae Virginis, vel iuxta latus vulneratum sculptae imaginis D. N. I. C. e Cruce pendentis. Nunc vero anceps haerens: An haec consuetudo, non obstante longaevo tempore quo viget, sit continuanda, ab hac Sacra Congregatione declarari petiit.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est quod

« Proposita consuetudo sit omnino abolenda. Statuae enim non sunt apponendae in Altari, in quo SSmum Sacramentum est expositum; et Sacramentum ipsum exponendum est sub Throno, eminentiori loco: hae vero praescriptiones consuetudini propositae sunt omnino contrariae ».

Romae die 23 Aprilis 1875.

3350. LISBONEN. (5604)

Emus ac Rmus Patriarcha Lisbonen. haec quae sequuntur Sacrorum Rituum Congregationi exposuit; nimirum: A Rubrica Missalis de Ritu servando in celebratione Missae Tit. VI, N. 8, praecipitur ut quandocum-

que Celebrans cantat Missam sine sacris ministris, cantetur Epistola ab aliquo Lectore superpelliceo induto. Si vero nullus adsit Lector, ut saepissime accidit in Monialium Ecclesiis et in Ecclesiis ruralibus, quid agendum sit neque a Rubrica neque a Decretis praescribitur. Hinc ab Eminentia Sua eidem Sacrae Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione fuere proposita; videlicet:

Dubium I. Sufficitne ut in casu legatur tantum Epistola ab ipso Celebrante; vel ab eodem debet cantari?

Dubium II. In Ecclesiis Monialium potestne ab aliqua Moniali Epistola cantari in Chôro?

Dubium III. Omittendusne omnino est cantus Epistolae?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescripsit:

« Scribatur Emo Patriarchae Lisbonensi ad mentem. Et mens est: Quod quum Missa cantetur sine Ministris et nullus sit Clericus inserviens qui superpelliceo indutus Epistolam decantet iuxta Rubricas, satius erit quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso Celebrante: nunquam vero in Ecclesiis Monialium decantetur ab una ex ipsis ».

Romae die 23 Aprilis 1875.

3351. ORDINIS (5606)

CISTERCIENSIS

CONGREGATIONIS TRAPPISTARUM

DE RANCÈ.

Rmus Pater D. Benedictus, Abbas Monasterii Westmallensis intra limites Archidioeceseos Mechlinien. et Vicarius Generalis Trappistarum de Rancè in Belgio, ut finem imponat cuidam controversiae nuper inter alumnos suos exortae, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi enodandum proposuit; videlicet:

An Trappenses Belgii, non obstantibus Constitutionibus Abbatis de Rancè, quas in rebus ad disciplinam et vitam regularem pertinentibus sequuntur, retinere possint et debeant ritus ecclesiasticos apud ipsos diuturna consuetudine firmatos, eosdemque conformes praescriptionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, approbatosque consuetudine Ecclesiae Romanae?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, nec non voto Rmi Patris hodierni Procuratoris Generalis Ordinis Cisterciensis, re mature accurateque perpensa, proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative; ac laudandos esse Trappenses Belgii ob obedientiam tam prompte et tam plene praestitam Decretis Sanctae Sedis pridem emanatis ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Aprilis 1875.

3352. DE VENEZUELA. (5607)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae de Venezuela a Sacrorum Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. In hac Ecclesia Cathedrali de Venezuela ad benedictionem Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes loco Cerei Paschalis alius Cereus adhibetur; quia magnitudo Cerei Paschalis non permittit eum asportare ad dictam benedictionem. Hinc quaeritur: An huiusmodi consuetudo possit tolerari?

Dubium II. An in Missis de Instrumentis Dominicae Passionis, quae in hac Dioecesi de speciali concessione celebrantur in Feriis sextis Quadragesimae, paramenta sacerdotalia debeant esse coloris rubri; vel potius violacei?

Dubium III. An in Ecclesia Cathedrali celebrari debeat, cum Missa votiva a Rubricis designata, non tantum Anniversarium Consecrationis, sed etiam Electionis Episcopi?

Dubium IV. An Sacerdos in anniversariis defunctorum, quae ex devotione petuntur, satisfaciat celebrando Missam de Sancto, quando, iuxta Rubricas, non possit celebrari de Requiem?

Dubium V. An commemoratio Feriarum tertiae et quartae Rogationum omitti debeat in Missis primae vel secundae classis?

Dubium VI. An in Missis votivis, quae pro re gravi celebrantur in Ecclesiis, ubi una tantum cantatur Missa, fieri debeant commemorationes quae admittuntur in Festis primae classis, videlicet de Dominica vel de Feria maiori?

Dubium VII. An pro Ecclesiis maioribus, in quibus, diebus ieiunii, Diaconus et Subdiaconus servire debent in Missa cum Planetis ante pectus plicatis, veniant etiam Ecclesiae parochiales?

Dubium VIII. An commemoratio Festo-

rum quae in anno simplificantur omitti debeat in secundis Vesperis, quando sequitur Festum primae vel secundae classis?

Dubium IX. An recurrente aliqua die libera infra octavam, in feria VI post octavam Ascensionis Officium recitari debeat de die infra octavam; vel potius de feria VI?

Sacra vero Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; dummodo etiam Cereus alter sit benedictus, in eoque infixa sint quinque grana thuris ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative, accedente mandato Episcopi; et detur Decretum in una Granaten. die 14 Augusti 1858 ».

Ad IV. « Affirmative; et detur Decretum generale diei 5 Augusti anni 1662 ».

Ad V. « Affirmative, diebus primae classis; Negative, diebus secundae classis ».

Ad VI. « Negative; et detur Decretum in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei 29 Ianuarii 1752 ad 7 ».

Ad VII. « Affirmative; ad effectum de quo in casu ».

Ad VIII. « Affirmative vel Negative, iuxta regulas Tabellae concurrentiae; non secus ac si de ipsis factum esset Officium ».

Ad IX. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 23 Aprilis 1875.

3353. URGELLEN. (5608)

R. D. Clemens Pujol a Secretis Episcopatus Urgellen., nomine Rm̃i Episcopi, Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod in iurisdictionibus antea exemptis, nunc vero virtute Bullae Sanctitatis Suae: *Quae diversa*, ipsi Dioecesi Urgellen. aggregatis, scilicet in Abbatiatu Gernensi, in Pabordatu Murensi, in Prioratu a Mujá, in Parochiis Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani intra fines huius Dioeceseos contentis et in iurisdictione dicta de Montodó, Sancti Patroni speciales celebrantur. Hinc sequens proposuit dubium:

An dictis in iurisdictionibus celebrari debeant Sancti Patroni generales Dioeceseos? Et quatenus affirmative, an in ipsis debeant celebrari Festivitates Sanctorum Patronorum quae hucusque celebratae sunt?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, inspectoque articulo Conventionis, rescribendum censuit:

« Ad primam dubii partem, Affirmative; ad secundam, Negative; exceptis Patronis uniuscuiusque Loci propriis ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 19 Iunii 1875.

3354. ORDINIS CARTHUSIANORUM. (5609)

Rm̃us Pater hodiernus Procurator Generalis Ordinis Carthusianorum a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarari petiit:

An Sacerdos, qui die Natalis Domini unam Missam celebrat, legere teneatur Missam horae congruentem, scilicet primam si ante auroram (ex privilegio), secundam si in aurora, tertiam si post auroram celebrat; an vero absolute legere debeat tertiam, quae cum Officio canonico magis convenit, prouti in quibusdam Calendariis praefertur, ubi legitur: Qui unam Missam celebrat, tertiam legat cum Evangelio Epiphaniae in fine?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, re mature accurateque perpensa rescribendum censuit:

« Sacerdos qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam quae respondeat circiter horae iuxta Rubricas peculiares eiusdem diei ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 19 Iunii 1875.

3355. LUCERINA. (5610)

Rm̃us D. Ioseph Maria Cotellessa Episcopus Lucerin. a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

Utrum Sacerdos possit duas tantum Missas celebrare in die Nativitatis D. N. I. C. Siquidem, cum privilegium ter celebrandi eodem die repraesentet Mysterium generationis aeternae, temporalis et per gratiam in anima iusti, id non videtur significari si in praedicta Festivitate duae tantum celebrentur Missae?

Sacra Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, re mature accurateque perpensa, rescribere rata est:

« Affirmative; seu Sacerdotem posse pro suo lubitu in die Nativitatis Domini duas tantum Missas celebrare ». Atque ita declaravit.

Die 19 Iunii 1875.

3356. CIVITATIS CASTELLI. (5611)

Rm̃us Dominus Iosephus Moreschi Episcopus Civitatis Castelli exposuit Sacrorum Rituum Congregationi quod ipse, ultima die Expositionis SSm̃i Sacramenti in sua Cathedrali in forma Quadraginta Horarum, benedictionem cum SSm̃o Sacramento elargitur, sacris pridem paramentis in sacrario indutus cum Diacono et Subdiacono, reliquis autem Canonicis chorali tantum habitu indutis. In eundo autem ad Ecclesiam et Altare, quaestio orta est:

An Canonici praecedere vel subsequi debeant Episcopum indutum sacris paramentis cum Diacono et Subdiacono: varie enim interpretantur verba Libri I, Cap. XV, § 9 Caeremonialis Episcoporum? Hinc quaestionem ipsam Sacrae Rituum Congregationi enodandam proposuit.

Sacra porro Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae a Secretario facta, rescribendum censuit:

« In casu de quo agitur, Canonici choralibus vestibus induti praecedant Episcopum ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 19 Iunii 1875.

3357. FLORENTINA. (5613)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Florentinae suppliciter Sacram Rituum Congregationem exoravit ut declarare dignaretur quomodo se gerere debeant Rectores Ecclesiarum parochialium, si tempore Expositionis SSm̃i Sacramenti pro Oratione XL horarum occurrat exequias esse faciendas super cadaver, quod servari nequeat inhumatum usque dum perficiatur praedicta Oratio XL horarum. Caeremoniario supplicanti visum est sequi in omnibus methodum quam tradit Cavalieri Tom. II, pag. 233, N. VIII; sed cum haec sententia praedicti Caeremoniarii nonnullis haud placeat, qui dicunt praedictas exequias faciendas esse, non obstante expositione SSm̃i Sacramenti, eo quod S. R. C. nullum hac de re Decretum emanasse inveniatur; idcirco ad eamdem recursum habuit, ut hanc controversiam resolvere dignaretur et certam dare normam pro casibus supra notatis.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit:

« Iuxta Instructionem Clementinam iis diebus abstinendum esse a celebrandis Missis defunctorum, sive solemnibus sive lectis, ac Missa solemnis pro defuncto cani posse die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario (1) a die obitus vel depositionis defuncti ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 19 Iunii 1875.

3358. MEXICANA. (5614)

Rm̃us D. Pelagius Antonius de Labastida y Davalos Archiepiscopus Mexicanus exposuit in Metropolitana sua Sabbato maioris hebdomadae inolevisse usum adhibendi parvum Cereum non benedictum in benedictione Fontis; siquidem impossibile omnino foret adhibere illum qui benedicitur, utpote magnae molis. Postulavit itaque ut praedicta die, duo benedici valeant Cerei, alter ad latus Altaris adhibendus, et alter deferendus in Processione et adhibendus in benedictione fontis.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per Secretarium facta, nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere censuit:

« In benedictione Fontis adhiberi potest alius Cereus minoris molis, dummodo alias fuerit benedictus ». Atque ita respondit.

Die 19 Iunii 1875.

3359. SOANEN. (5615)
ET PITILIANEN.

R. D. Antonius Fabriziani Caeremoniarius Episcopalis Ecclesiae Cathedralis Soanen. ac Pitilianen. humillime hoc dubium solvendum proposuit; nimirum:

An ex Decretis hactenus a Sacra Rituum Congregatione editis circa consecrationem Oleorum sanctorum intelligendum sit quod non solum ob penuriam 12 Presbyterorum sed etiam ob penuriam 7 Diaconorum et 7 Subdiaconorum requiratur dispensatio?

(1) Vide etiam Decr. sub die 19 Maii 1896.

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem sui Secretarii respondit:

« Affirmative; seu imploranda est dispensatio a Sancta Sede toties quoties occurrat defectus tum Presbyterorum tum Ministrorum in casu consecrationis Oleorum sanctorum ». Atque ita respondit et declaravit.

Die 19 Iunii 1875.

3360. VOLATERRANA. (5616)

Rm̃us D. Ferdinandus Capponi Episcopus Volaterranus Sacrae Rituum Congregationi humillime insequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. In Calendario Dioecesano, ex antiquissima consuetudine, Officium S. Canuti Regis et Martyris ponitur pro Clero Cathedralis Ecclesiae die XIV Februarii, eo quod die XIX Ianuarii Festo duplici impedita sit, nempe SS. Marii et sociorum Martyrum ob insignem illorum Reliquiam in Cathedrali existentem.

Quaeritur itaque: Num consuetudo haec retinenda sit; vel potius standum Rubricis, quae semiduplicia ad libitum vetant transferri, sed omitti iubent si impediantur, ut in casu?

Dubium II. Quando SSm̃um Sacramentum in Ara maiori Cathedralis Ecclesiae publice et solemniter expositum est, removendum ne est baldachinum de Throno Episcopali, etsi Episcopus pro sacris functionibus peragendis super Thronum ipsum non sedeat; vel retineri potest ad ornamentum Ecclesiae Cathedralis?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur consuetudo, facto verbo cum SSm̃o ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Die 19 Iunii 1875.

Facta autem de primo ex praedictis dubiis SSm̃o D. N. Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

Die 1 Iulii 1875.

3361. PETROCORICEN. (5617)

Rm̃us Dominus Nicolaus Iosephus Dobert, Episcopus Petrocoricen. et Sarlaten. in Galliis, ea quae sequuntur Sacrorum Rituum Congregationi exposuit; nimirum: Ab instauratione Ecclesiarum et Capitulorum in Galliis initio huius seculi, Canonici sive Titulares sive Honorarii, qui pro habitu Canonicali rochettum et mozzettam deferunt, his utuntur non solum in Ecclesia Cathedrali vel quando capitulariter incedunt aut Episcopo sacram aliquam functionem peragenti assistunt, sed etiam passim in Dioecesi, quando ad aliquam Ecclesiam sive ad concionandum sive ad alicui caeremoniae interessendum se conferunt. Et haec agendi ratio in omnibus aliis Galliarum Dioecesibus pariter tenetur; ita ut certo dici possit consuetudinem hanc generalem esse in Galliis et longo annorum decursu comprobatam. Sed cum ex una parte eidem consuetudini obstare videantur varia Sacrae Congregationis Rituum Decreta; ex altera autem parte ipsa haec consuetudo destrui non posset absque admiratione in populo et molestia pro Canonicis, qui a tanto tempore habitum canonicalem ubique in Dioecesi deferunt, praefatus orator ab eadem Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit:

Num illam tolerare valeat, saltemque quoadusque iussu Sanctae Sedis in ceteris Galliae Dioecesibus destruatur; an vero teneatur hanc consuetudinem statim e sua Dioecesi evellere?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est: « Nihil esse innovandum ».

Die 2 Augusti 1875.

3362. BRIXIEN. (5618)

Rm̃us Episcopus Brixiensis, Litteris datis die 28 Iulii nuper elapsi, exposuit Sacrorum Rituum Congregationi in Calendario Dioecesano adhuc peragi Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. tertia ex VI Feriis mensis Martii sub ritu duplici primae classis, itemque Festum Annuntiationis B. M. V. cum octava celebrari, tum in Quadragesima, tum, si Festum ipsum transferendum sit, post Pascha. Verum, quum haec Festa concessa fuerint quum Dioecesis Veronen. erat sub Dominio Veneto; exortum est dubium an ex mutatione Dominii praefata indulta vigere desierint. Quapropter, ut omne in hac re dubium removeatur, ipsemet, a Sacrorum Rituum Congregatione opportunam declarationem humiliter exquisivit.

Sacra vero Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribere decrevit:

« Eadem indulta, ab Apostolica Sede toti Dominio Veneto facta, non obstante mutatione Dominii ipsius, in suo robore perseverare ».

Romae die 7 Augusti 1875.

3363. PARISIEN. (5620)

D. De Baudet Parisiensis, ut consuleret paupertati Ecclesiarum in Gallia, novam invenit methodum comburendi incensum sine carbonibus in ecclesiasticis functionibus. Itaque compositionem efformavit, quae, super quatuor partibus, una ex incenso et aliis tribus ex resinosis materiis constat. Haec autem compositio vel in thuribulo vel in alio vase posita, lumine admoto accensa, suavem effundit odorem, eaque substituitur combustioni thuris in igne, quoties in ecclesiasticis functionibus praescribitur. Haec autem compositio, tum ob minores expensas, uti asseritur, tum ob commoditatem, non solum in multis Galliae Paroeciis adhibetur, sed etiam ab aliquo ex Rm̃is Ordinariis illius Nationis laudata fuit. Hinc praefatus orator, ut hoc suum inventum aliis quoque per orbem Ecclesiis prodesse posset, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit, ut illud approbare vellet; ac indulgere ut Ecclesiae omnes, quae voluerint, valeant substituere combustioni thuris in igne uti hucusque factum est, combustionem compositionis a se inventae quoties thurificatio in ecclesiasticis functionibus adhiberi debet.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione de omnibus ab eiusdem Secretario facta, nec non votis duorum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Novam methodum combustionis thuris a Dño de Baudet Parisiensi propositam in sacris functionibus esse omnino improbandam ». Atque ita rescripsit et ubique servari mandavit.

Die 7 Augusti 1875.

3364. CUNEEN. (5621)

Rm̃us D. hodiernus Episcopus Cuneensis nonnullas iam consecravit in sua Dioecesi Ecclesias; plures alias, Deo favente, consecraturus. Ut vero omnia rite persolvat, sequentia dubia ad rem hanc spectantia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. Praeter parochiales Ecclesias quae ex praescripto Concilii Romani sub Benedicto XIII (Tit. XXV) consecrari debent, possuntne quaevis aliae publicae Ecclesiae consecrari, uti sunt: 1. Sacella campestria, penes quae Sacerdos ut plurimum residet, ibique celebrat, et Sacramenta ministrat; 2. Oratoria Confraternitatum a parochialibus seiuncta; 3. Quae vulgo dicuntur Sanctuaria, in quibus vel aestivo solummodo tempore, vel aliquoties tantum Missae sacrificium celebratur?

Dubium II. Altare ex Rubrica debet esse lapideum. Quum autem ab Ara portatili in eo differat Altare fixum quod istud coniunctum esse debeat cum stipite, et idcirco stipes cum mensa unum quid constituat; consequi videtur stipitem ipsum debere, non secus ac mensam, esse lapideum. Attamen Canonistarum eorumque celebriorum scripta evolvens, eosdem consentientes reperit in docendo inferiorem mensae structuram esse posse lateritiam, et satis esse, si tabula seu mensa sit ex lapide. Liturgici scriptores vel penitus silent, vel adeo leviter rem attingunt ut certam non tradant regulam; praeter unum recentissimum, Pium Martinucci, qui in suo Manuali sacrarum caeremoniarum Romae edito anno mox elapso Lib. VII, Cap. XVIII, N. 2 aperte tradit: Stipitem posse quidem esse lateritium, sed quatuor columellis lapideis saltem instrui debere, quibus mensa insideat, quaeque cum mensa ipsa per sacram unctionem coniungantur. Hisce praemissis, sufficitne Altaris fixi stipitem esse lateritium; vel oportet esse lapideum, saltem qua ratione innuitur a laudato scriptore? (1)

Dubium III. Pontificale Romanum in Rubrica praeliminari (ad Ecclesiae consecrationem) praescribit paranda duo intorticia accensa, quae semper praecedant Pontificem; et incipiente Episcopo exterius circumire Ecclesiam, id fieri praecipit praecedentibus duobus Acolythis cum candelis accensis: in utroque loco nulla fit mentio de Cruce processionali, quae tunc solum deferenda praescribitur, quum Episcopus cum Clero procedit ad reliquias in Ecclesiam consecrandam solemniter transferen-

(1) E. Dub. III.

das. Nonnullis tamen visum fuit Crucem hastatam adhibendam esse ab ipso functionis initio, huc fortasse translata Rubrica Ritualis Romani (Ritus benedicendi novam Ecclesiam) ubi legitur: Praelata Cruce inter duos Clericos deferentes cereos accensos. Hisce positis, estne Crux processionalis ante Episcopum deferenda ab initio functionis, an tantummodo ad translationem Reliquiarum?

Dubium IV. Pontificale ipsum, postquam praescripsit parandum aspersorium factum de herba hyssopi, huius postea tantum expresse meminit, quum benedicta aqua cum sale, cinere et vino, fieri incipiunt primo circum Altare, tum intus Ecclesiam aspersiones de hac ipsa aqua. Estne etiam, sicuti quibusdam placet, adhibendum aspersorium de herba hyssopi in aspergendo exteriores Ecclesiae parietes?

Dubium V. Iuxta Pontificale Romanum feretrum Reliquiarum deferendum est a quatuor Sacerdotibus. Debentne isti sacerdotalia paramenta induere, scilicet amictum, albam, cingulum et Planetam, sicut tradit superius laudatus Pius Martinucci, an sufficit ipsos superpelliceo indui?

Dubium VI. Antequam Episcopus Ecclesiam cum feretro Reliquiarum ingrediatur, inungere debet cum sacro Chrismate ostium Ecclesiae exterius. Inungendane porta ipsa, ut plurimum lignea; an potius inungendi duo stipites lapidei vel lateritii; quemadmodum docet mox laudatus scriptor?

Sacra vero eadem Congregatio, referente Secretario, omnibus mature accurateque perpensis, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Incumbere debent Episcopi ut Ecclesiae saltem Cathedrales et Parochiales solemniter consecrentur. Quoad minores Ecclesias, si nolint uti iure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdotibus eas benedicendi ».

Ad II. « Ut Altare consecrandum sit lapideum, oportet, ut etiam in eius stipite saltem latera, seu columellae quibus mensa sustentatur, sint ex lapide ».

Ad III. « Non est improbanda consuetudo passim recepta deferendi in casu Crucem hastatam ab initio sacrae functionis ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Decet ut ex usu passim recepto Sacerdotes in casu sint sacris vestibus induti ».

Ad VI. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 7 Augusti 1875.

3365. CLODIEN. (5622)

Rm̃us D. Dominicus Agostini Episcopus Clodien. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime postulavit ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

Dubium I. Cum in Clodiensi Dioecesi ab ultimis praeteriti seculi annis Festa Sanctae Margaritae de Cortona et Sancti Didaci Confessoris de ritu semiduplici ad ritum duplicem fuerint evecta, quin speciale super hoc obtentum fuerit privilegium; et cum Sacra Rituum Congregatio declaraverit de hac elevatione, quae asserebatur facta a Pontifice Pio VI, non constare; quaeritur: An ob consuetudinem pene secularem eadem Dioecesis pergere possit ad haec Festa sub ritu duplici celebranda?

Dubium II. Stante consuetudine ab immemorabili, Feria VI in Parasceve inter alias Orationes praescriptas addendi particularem Orationem pro Episcopo proprio; quaeritur: An, non obstantibus Decretis in contrarium, haec immemorabilis consuetudo continuari possit?

Dubium III. Episcopus potest ne praecipere ut Collecta pro re gravi, v. g. pro Papa, recitetur etiam in duplici primae classis sub unica conclusione?

Dubium IV. An quando iuxta Rubricas cantari potest Missa votiva solemnis pro re gravi, si non cantatur Missa de Officio, debeant in Missa solemni adiungi Oratio de Officio et aliae Orationes praescriptae; vel una tantum dici debeat Oratio? Et an idem faciendum sit, quando canitur Missa solemnis de Festo, quod iuxta Rubricas transferri debet? vel etiam quando obtentum fuit ab aliqua Ecclesia privilegium vel canendi Missam vel omnes Missas recitandi, quae non concordant cum Officio illius Ecclesiae?

Dubium V. An in Missa pro Expositione vel Repositione Sanctissimi Sacramenti ad instar XL Horarum, quae cantatur in duplici primae aut secundae classis vel Dominica primae aut secundae classis, vel aliis diebus in quibus Missa de Sanctissimo Sacramento cantari non licet, parendum sit tabellae Cardinalis Vicarii quae praescribit ut cantetur Missa de Officio currenti cum sola Oratione Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione; vel potius Decreto Sa-

crae Congregationis 18 Decembris 1779 N. **2515** ad 1, quod praescribit ut Oratio Sanctissimi Sacramenti uniatur in fine aliarum commemorationum de praecepto?

Dubium VI. Ecclesia parochialis Sancti Iacobi Apostoli gaudet privilegio, paucis abhinc annis obtento, quolibet die Sabbati (diebus excipiendis exceptis) Missam de Beata Maria Virgine canendi. Quaeritur an in hac Missa Orationi Beatae Mariae Virginis adiungi debeant Oratio Officii et aliae Orationes praescriptae; vel ipsa cum *Credo* et unica Oratione sit celebranda?

Dubium VII. Cum in Dioecesi Clodien. mos invaluerit in Missis solemnibus, sive cum, sive sine Ministris, quae cum sonitu Organi celebrantur, abstinendi a canendo Graduali, Tractu, Sequentia, Offertorio, *Benedictus*, et Communione; quaeritur an hic mos repugnet vel Rubricis vel Decretis Sacrorum Rituum Congregationis?

Dubium VIII. In Cathedrali quolibet anno Sabbato post Dominicam Passionis (vel ipso impedito Festo duplici primae vel secundae classis, Feria sexta antecedenti) celebratur Officium defunctorum cum Missa de Requie ex eleemosynis a civibus collectis, quamvis Festum duplex maius eo die occurrat. Quaeritur an hoc propter consuetudinem fieri liceat; et si non licet, petitur a Sacra Congregatione facultas necessaria ad hoc agendum?

Dubium IX. An tam pro recitatione Officii divini, quam pro ieiunio naturali ante Communionem praescripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus ieiunii, conformare se quis possit tempore dicto medio; vel iuxta proprium placitum tempori vero vel medio, ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhaereat?

Dubium X. An quando iuxta Rubricas potest celebrari Missa solemnis de Festo, quod transferri debet, liceat canere etiam Vesperas votivas de eodem Festo cum unica Oratione, quin ulli suffragentur pro obligatione recitandi Horas canonicas? (1)

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondere censuit:

Ad I et II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative; si revera sit pro re gravi ».

Ad IV. « Quoad primam et secundam quaestionem: in Missis solemnibus pro re gravi, ac in illis de Festo quod iuxta Rubricas transferri debet, unicam Orationem esse dicendam ubi onus Missae Conventualis non est; quoad tertiam vero quaestionem, Orationem Officii diei et aliorum occurrentium in Missis privatis addendas esse, et etiam in illa cum cantu, si de Festo currenti prius alia Missa non celebretur, nisi aliter constet, ex speciali indulto ».

Ad V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VI. « In Missis votivis Beatae Mariae Virginis, ut in casu, Commemorationes esse faciendas iuxta Rubricas, et *Credo* omittendum ».

Ad VII. « Affirmative; et detur Decretum in una Conimbricen. diei 14 Aprilis 1753 ad 2 ».

Ad VIII. « Sacra Rituum Congregatio indulget ut in casu unica Missa solemnis de Requie cani valeat, nisi occurrat duplex primae vel secundae classis aut Festum de praecepto servandum ».

Ad IX. « Posse stare publicis horologiis ».

Ad X. « Affirmative; dummodo qui ad Horas canonicas tenentur, privatim recitent Vesperas occurrentis Officii ».

Atque ita rescripsit, indulsit et declaravit.

Die 7 Augusti 1875.

3366. GORITIEN. (5623)

Rmus Goritien. Archiepiscopus exposuit Sacrae Rituum Congregationi quod plures Ecclesiae Vicariales adsint in sua Archidioecesi, sic nuncupatae quia ab aliqua Ecclesia parochiali omnino dependent, quae functiones Hebdomadae Sanctae vel iam peragunt vel peragere omnino cupiunt. Auferre privilegium istud Ecclesiis Vicarialibus, quibus iam vel in parte vel in totum concessum est, omnino impossibile evadit; negare vero Ecclesiis quae modo petunt, in detrimentum verteret christianae pietatis. Siquidem, quum Ecclesiae ipsae in montanis sitae sint et ab Ecclesia parochiali non parum distent, fideles iisdem Ecclesiis Vicarialibus subiecti, potiusquam adeant Ecclesiam parochialem, domi remanere eligunt. Quum autem anceps haereat Archiepiscopus quid in casu isto sit faciendum, siquidem ipse putat per Constitutionem s. m. Clementis

(1) E. Dub. XI.

Papae XI diei 15 Martii 1712 prohiberi functiones Hebdomadae Sanctae in Ecclesiis, quae non sint Collegiatae, Parochiales et Curatae, quales non sunt Ecclesiae, de quibus modo agitur; ab eadem Sacra Congregatione expostulavit quomodo ipse se gerere debeat, tum quoad Ecclesias Vicariales, quae hucusque pacifice gavisae sunt vel omnibus vel aliquibus functionibus in Hebdomada Sancta, tum et vel maxime quoad illas Ecclesias Vicariales quae in posterum ex causis satis gravibus petierint facultatem huiusmodi functiones peragendi.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione de omnibus ab eiusdem Secretario facta, nec non voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Archiepiscopum iuxta suum arbitrium et prudentiam concedere posse praedictis Ecclesiis Vicarialibus facultatem peragendi functiones Hebdomadae Sanctae; dummodo eaedem fieri possint iuxta praescriptum Missalis Romani. Quod si in Ecclesiis ipsis deficiant sacri Ministri, poterit etiam Archiepiscopus iisdem Ecclesiis facultatem concedere peragendi functiones Hebdomadae Sanctae, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti Papae XIII, anno 1725 iussu editi pro Paroeciis ruralibus ».

« Statuit insuper Sacra Congregatio Constitutionem s. m. Clementis Papae XI diei 15 Martii 1712 ita intelligi debere; nimirum in eo triduo mortis Christi interdici tantum celebrationem Missarum, quae non sunt Conventuales. Insuper monuit Caeremoniale in functionibus Hebdomadae Sanctae, praescriptum ab Antecessore Archiepiscopo Goritien. cl. me. Francisco Xaverio sub die 22 Ianuarii anni 1850, utpote arbitrarium, esse omnino prohibendum et abolendum in ista Archidioecesi; prouti prohiberi et aboleri mandat eadem Sacra Congregatio ».

Romae die 4 Septembris 1875.

3367. DE ZACATHECAS. (5624)

Rm̃us Dominus Iosephus Maria a Refugio Guerra, in Republica Septemtrionalis Americae Episcopus de Zacathecas, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi enodandum proposuit; videlicet:

Anne Cappellanus, qui immediate assistit Episcopo in celebratione Missae privatae, etiam Stolam superimpositam habere debeat?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito dubio rescripsit:

« Negative; et detur Decretum in una Valentinen. diei 12 Martii 1836, ad 1 ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 4 Septembris 1875.

3368. ERIEN. (5627)

Rm̃us D. Tobias Mullen, Episcopus Eriensis in Foederatis Americae Septemtrionalis Provinciis, sequentium dubiorum solutionem humiliter a Sacrorum Rituum Congregatione postulavit; nimirum:

Dubium I. Si Sacerdos celebrat sine ministro, debetne bis dicere *Confiteor* ante Introitum?

Dubium II. Facta in Missa digitorum ablutione post Communionem, debetne Sacerdos plicare purificatorium; an illud expansum seu non plicatum imponere Calici?

Dubium III. In Baptismo parvulorum Rituale praecipit, ut Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui et tangat aures et nares infantis: in Baptismo autem adultorum pollicem ad id adhiberi praecipitur. Quaeritur num in Baptismo quoque parvulorum in casu adhibendus sit pollex; an potius digitus index?

Dubium IV. In Missa pontificali, cantato Evangelio, debetne Episcopus incensari adhuc tenens ambabus manibus baculum; an ante incensationem debet reddere baculum?

Dubium V. Sacrorum Rituum Congregatio die 27 Augusti 1707 ad 2, in una Bracharen. declaravit, quod in Missa, in qua uni tantum confertur Subdiaconatus vel Diaconatus non debeat promotus Subdiaconus vel Diaconus cantare Epistolam vel Evangelium, ut in Ordinationibus generalibus. Hinc quaeritur: An omnino sit omittenda Epistola et Evangelium in casu; vel saltem legi debeat per promotum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Servetur Rubrica ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad V. « Legat promotus, dum Episcopus legit; et detur Decretum in una Marsorum diei 12 Novembris 1831 ad IX ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 4 Septembris 1875.

3369. QUEBECEN. (5628)

Ex indulto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 15 Decembris 1833 concessum est, ut in Ecclesiis Archidioeceseos Quebecen. Missae de Requie arbitrio Rmi Archiepiscopi pro tempore cani valeant diebus, in quibus occurrat Festum ritus duplicis minoris tantum; exceptis tamen festis de praecepto servandis, octavis ac feriis privilegiatis. Quum vero in hoc indulto agatur de Missis de Requie cum cantu, extra tamen diem obitus, tertium, septimum et trigesimum ac anniversarium; hodiernus Rmus Dominus Archiepiscopus Quebecen., ad finem imponendum diversis interpretationibus et consuetudinibus in eadem Archidioecesi existentibus a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. An indultum praedictum extendatur ad Missas cum cantu, etiamsi non habeantur Ministri sacri nec fiat absolutio in fine? (1)

Dubium II. An in earumdem fine facienda sit absolutio?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Ad libitum; nisi accedat mandatum illius qui eleemosynam obtulit ».

Atque ita respondit.

Die 4 Septembris 1875.

3370. PRAEFECTURAE (5629)

APOSTOLICAE

HOLSTEIN, SLEWIGIS.

Rmo D. hodierno Vicario Apostolico Holstein Slewigis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide circa celebrationem Missarum de Requie concessum fuit privilegium quod sic se habet: « Singulis secundis Feriis non impeditis Officio novem Lectionum, vel eis impeditis die immediate sequenti, celebrando Missam de Requie in quocumque Altari portatili privilegium conceditur liberandi animas secundum eius intentionem a Purgatorii poenis per modum suffragii ». Quum circa hoc privilegium nonnullae exortae fuerint difficultates, praefatus Rmus orator ab eadem Sacra Congregatione insequentium dubiorum solutionem expetiit; nimirum:

Dubium I. An tale Officium IX Lectionum dictum privilegium prohibens etiam illud censendum sit quod ritu semiduplici celebretur?

Dubium II. An in casu quo, impedita feria II, etiam dies immediate sequens seu feria III similiter impedita sit Officio IX Lectionum (id quod saepe evenit secundum Calendarii nostri dispositionem), privilegium supradictum pro tali hebdomada omnino cesset?

Quum autem memorata Congregatio eadem dubia pro opportuna solutione ad Sacrorum Rituum Congregationem transmiserit; haec, audita relatione a Secretario facta nec non voto Rmi D. Sacrae Rituum Congregationis Assessoris ac Sanctae Fidei Subpromotoris, declaravit:

Ad I. « In casu de quo agitur celebrationem Missarum lectarum de Requie, praeter Vigilias, Ferias et Octavas privilegiatas ac Festa de praecepto servanda, impediri tantummodo ob occurrentiam Officiorum IX Lectionum quae gaudeant ritu duplicis maioris, aut duplicis primae vel secundae classis ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita declaravit.

Die 4 Septembris 1875.

3371. IACEN. (5631)

Lucius Ferraris, in suo opere *Bibliotheca canonica iuridica, moralis etc.* sub verbo *Insignia,* postquam auctoritate et doctrina vindicavit iuris esse Sanctae Sedis concedere Insignia Canonicis Cathedralis vel Collegiatae, N. 38 in additionibus ex aliena manu sic habet: Non omittendum vero quod Insignia minora posse ab Episcopo concedi sensit Sacra Congregatio. Insuper Archiepiscopus Messanen. anno 1819 die 1 Octobris auctoritate propria facultatem utendi tam in Choro quam in Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus, almutia violacei coloris duodecim Presbyteris, et nigri coloris quatuor Presbyteris Ecclesiae parochialis Communis Turrarum, tunc ditionis Messanensis, nunc vero Iacensis, concessit. Qua facultate praedicti Presbyteri usi sunt usque ad annum 1846; quo ob defectum *Regii Exequatur* illa uti facultate impediti fuere. Quaeritur tamen:

(1) E. Dub. II. et III.

1. An nomine *Insignia minora* comprehendantur almutiae sine caputio violacei vel nigri coloris quod gestare solet in Choro, Processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus Clerus alicuius Communis vel Ecclesiae vulgo *Ricettizia?* Et quatenus affirmative,

2. An vigore praedictae declarationis S. Congregationis, possit illas Episcopus Presbyteris et Clericis alicuius Paroeciae suae Dioeceseos servitio eiusdem Paroeciae addictis concedere?

3. An denique privilegium Presbyteris Paroeciae Turrarum ab Archiepiscopo Messanensi concessum sustineri possit?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribendum censuit:

« Negative in omnibus; et dentur Decreta in Hydruntina diei 1 Septembris 1612, in Caputaquen. diei 12 Iulii 1628, ac praesertim in una Asculan. et Ceriniolen. diei 6 Maii 1872 ». Atque ita rescripsit ac in Dioecesi Iacensi servari mandavit.

Die 4 Septembris 1875.

3372. ARETINA. (5632)

Rmus D. Iosephus Giusti Episcopus Aretin. Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia solvenda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. An Ecclesia, iam consecrata et postea mutata in sepulcretum, indigeat nova consecratione vel tantum benedictione, ut cultui divino restituatur; quum modo Parochus et populus velint illam iterum reducere ad usum Ecclesiae, quum coemeterium vulgo *a sterro* circa ipsam efformatum sit?

Dubium II. Extat Aretii Ecclesia, cui nomen Sancta Maria de Plebe, monumentalis, quae affabre instauratur, antiquissima et in qua insigne adest Capitulum. In instauratione fieri debuit murus integer et absis; tota Ecclesia novo tectorio est inducta et affabre instaurantur partes quaecumque deficientes. Hisce positis, quaeritur an, cum divino cultui est restituenda, debeat iterum consecrari?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Secretario, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « In casu Ecclesiam ad maiorem solummodo decentiam ac reverentiam esse benedicendam ».

Ad II. « Affirmative; seu indigere nova consecratione ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 4 Septembris 1875.

3373. CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS. (5633)

R. Pater Leopoldus Dujardin, Congregationis SSmi Redemptoris Sacerdos Professus Tornaci in Belgio commorans, exposuit quod ad promovendam fidelium devotionem erga Beatam Virginem Mariam, aliquot abhinc annis Officium parvum eiusdem Beatae Virginis in gallicam linguam verterit, eamque versionem una cum textu latino praelo cuderit; servatis Decretis a Sacra Rituum Congregatione hac super re editis. Cum autem idem orator resciverit requiri deinceps in omni translatione praedicti Officii parvi approbationem Sacrorum Rituum Congregationis, ab eadem humillime petiit ut praefata versio approbaretur.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rem remisit Rmo Domino Episcopo Tornacen.; qui constito sibi quod lectio adhibita in editione enunciata sit ab Ecclesia approbata (super quo ipsius conscientia onerata remanet), facultatem tribuat oratori editionem tam factam, vel alias, quae in posterum fient, exponendi. Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 4 Septembris 1875.

3374. VIRODUNEN. (5634)

Rmus D. Augustinus Hacquard Episcopus Virodunen. exponens in Dioecesi sua, ad thurificandas personas ceu res quascumque, viguisse, et non obstante introductione Liturgiae Romanae quae in eadem Dioecesi ab anno 1862 locum habuit, adhuc vigere immemorabilem consuetudinem thuribuli non manuducendi sed laxatis catenulis iactandi, a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarari petiit: Num ritus huiusmodi, tam diuturno more inveteratus, servari deinceps legitime possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est:

« Quamvis consuetudo de qua supra differat ab usu Liturgiae totius Ecclesiae Latinae, attamen, inspecta consuetudine locali, potest tolerari, quatenus nequeat re-

formari absque admiratione fidelium ». Atque ita respondit.

Die 4 Septembris 1875.

3375. BITUNTINA. (5635)

Rm̃us D. Vincentius Matarozzi Episcopus Ruben. et Bituntin. exposuit quod in Civitate Bituntina ex antiqua consuetudine, semper ac aliquis ex Confratribus Sodalitatum est morti proximus, exponitur Venerabile Sacramentum per triduum in Ostensorio, in quo ipsa Hostia patenter videtur; quod Ostensorium ponitur super mensa Altaris, sine umbella, cum duodecim luminibus; et hac expositione durante, Sacerdos et duo vel quatuor laici genuflexi adorant SSm̃um Sacramentum: ad quam adorationem pene nullus de populo accedit. Hanc consuetudinem quae semper visa est oratori praefato abusus, quia facta est sine debita solemnitate et quia contraria tot Decretis Sacrae Rituum Congregationis, ipse prohibuit. Verum minimi facientes illius prohibitionem, Confraternitatum Moderatores, pene semper ac prohibuit, exposuerunt SSm̃um modo uti in casu exposito. Nunc temporis Confraternitates ipsae instanter rogant ut haec antiqua consuetudo servetur in posterum. Episcopus itaque orator a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulat declarari:

I. Num hoc ipse permittere possit?

Insuper in octava Corporis Christi mane et vespere in Cathedrali Ecclesia defertur Venerabile Sacramentum a proprio Altari ad Altare maius in quo manet expositum tempore Missae Conventualis et Horarum Canonicarum. Verum antequam SSm̃um deferatur ad Altare maius et antequam ab hoc Altari reponatur in tabernaculo, Canonicus tenens manibus Ostensorium cum SSm̃o accedit ad ianuam presbyterii, canit verba: *Ecce Panis Angelorum etc.* ac cantata a Capitulo stropha sequenti, processionaliter defert SSm̃um ad proprium Altare, cum quo data benedictione reponitur in tabernaculo. Cum nullum orator cognoscat Decretum id prohibens vel permittens, petit:

II. Num huiusmodi antiqua consuetudo sit permittenda vel prohibenda?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

Ad I. quaestionem: « Episcopum eam supplicationem permittere posse, dummodo serventur quae habentur in Instructione Clementina quoad expositionis modum ».

Ad II. quaestionem: « Servetur praescriptum in Caeremoniali Episcoporum et in Constitutione *Accepimus* s. m. Benedicti Papae XIV, diei 16 Aprilis 1746 ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 4 Septembris 1875.

3376. POLICASTREN. (5636)

Rm̃us D. Iosephus Maria Cione Episcopus Policastren. cupiens ut in Sacra Liturgia omnia peragantur ad tramitem Decretorum, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. An possit tolerari antiqua erectio Altaris pro celebrando Sacrificio Missae super Tribuna prominente in publica Cappella gentilitia? Haec Tribuna, quae habet formam tabulati superpositi portae Cappellae, extat in muro Cappellae ipsius ac ad ipsam patet accessus tam ex Cappella per gradus, quam ex domo patronorum per portam interiorem, reservato iure in limine fundationis. Altare autem erectum in dicta Tribuna situm est e conspectu Altaris maioris; ita ut Sacerdos in illo celebrans terga vertat Altari maiori.

Dubium II. An tales Tribunae aut aliae aperitiones quae a domibus patronorum spectant in Cappellas gentilitias, admissae, uti supponendum est, in limine fundationis ac ab Episcopis semper permissae aut toleratae, sine crate vel lignea vel ferrea, aut alio repagulo quod impediat videre personas, tolerari possint; ne locus fiat innovationibus, quae murmurationes ac quaerimonias excitare possent?

Dubium III. An quum occasione solemnitatis alicuius in Altari maiori ponatur machina luminibus ornata usque ad laqueare Ecclesiae et in machina baldachinum pro exponendo Sanctissimo Sacramento apponatur, adhiberi valeant candelae confectae ex cera stearica vel ex alia materia purificata, similitudinem cerae praeferente, exceptis tamen illis quae sunt in gradu Altaris et immediate ante baldachinum, in quo est expositum Sanctissimum Sacramentum.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, nec non voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Rm̃us Episcopus sedulo inquirat,

an forte legitimum aliquod privilegium hac de re existat favore patroni, certis ecclesiasticis documentis comprobatum; et quatenus nihil repertum fuerit, Altare super Tribunam erectum, prout exponitur in casu, interdicat ».

Ad II. « Ubicumque commode et sine scandalo fieri possit, expedit ut huiusmodi Tribunis crates apponantur ».

Ad III. « Dentur Decreta in una Massilien. diei 16 Septembris 1843, quod sic se habet: Instantibus nonnullis Episcopis permultisque cereorum fabricatoribus cum R̃mo Episcopo Massiliensi, ac referente Em̃o et R̃mo D. Cardinali Cosimo de Corsi ponente, rescriptum fuit: Consulantur Rubricae; et in altera Divionen. diei 7 Septembris 1850, in qua precibus R̃mi D. Episcopi Divionen. pro continuatione usus cerae stearinae rescriptum fuit: Nihil innovetur ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 4 Septembris 1875.

3377. BAIONEN. (5637)

Hodiernus Magister sacrarum Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Bayonen., ut in functionibus ecclesiasticis omnia rite et secundum ordinem fiant, a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem exquisivit; nimirum:

Dubium I. An celebrans Missam cum cantu sine Ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et Ministrum qui folia vertat et Calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque Calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat iuxta opportunitatem, nec non ipsum tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in Missis sine cantu, omnia supraenunciata a semetipso peragendo et non ope Ministri?

Dubium II. Quoad reverentias Episcopo debitas in loco suae iurisdictionis haec praescribit Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XVIII, § 3: Regulariter quoties ipsi Canonici transeunt directe ante Episcopum, caput et humeros profunde inclinant, Beneficiati autem et ceteri de Clero genuflectere debent, transeundo tam ante Altare quam ante Episcopum. Ad quem locum, ait Catalanus in suis Commentariis, debent et ipsi Mansionarii, sicut et ceteri de Clero, genuflectere: est enim solorum Canonicorum praerogativa, qui ex eo quod Consiliarii Episcopi sunt eiusque senatus, non genuflectunt quidem ante Episcopum, sed caput atque humeros inclinant. Unde quaeritur: An Canonici honorarii caput atque humeros inclinare; vel genuflectere ante Episcopum debeant?

Dubium III. Legitur in Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. III, § 1: Cum eo (Canonico hebdomadario) parantur quatuor aut sex Presbyteri de gremio ipsius Ecclesiae, non tamen Canonici. Quaeritur autem: Num haec exceptio extendi debeat ad Canonicos honorarios?

Dubium IV. Et si assistentiam isti praestare possint in casu, debetne induere pluviale super roccheto cum eo utantur?

Dubium V. Si affirmative, debentne capere amictum?

Dubium VI. Quatenus declaretur Canonicos honorarios pluvialibus indutos posse assistere Canonico celebranti in Vesperis, debent ne thurificari post celebrantem, antequam Canonici titulares thurificentur? (1)

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV, V et VI. « Provisum in III ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 25 Septembris 1875.

3378. ORDINIS (5638)

CISTERCIENSIUM

CONGREGATIONIS TRAPPISTARUM

DE RANCÈ.

Fr. Hieronymus Procurator Generalis antiquioris observantiae B. M. V. de Trappa a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. In praedicto Ordine quotannis fiunt quatuor anniversaria solemnia defunctorum, quae integre cum cantu celebrantur in Vesperis, Matutino cum Laudibus et Missa.

(1) E. Dub. VII.

iuxta Rubricas pro istis anniversariis celebrandis assignari debet dies qui non sit impeditus quocumque Festo aut etiam Feria habente Missam propriam. Quaeritur: An talis possit assignari dies qui immediate subsequitur diem Festum vel Dominicum; ita ut Vesperae Defunctorum cantentur post Vesperas Festi vel Dominicae praecedentis, prout fit pro Commemoratione omnium fidelium defunctorum in Festo omnium Sanctorum?

Dubium II. Horae Canonicae in eodem Ordine terminantur cum Antiphona Beatae Mariae (Spiritus Sanctus). Ex usu recepto additur *Pater* et *Ave*, licet hoc nullibi reperiatur praescriptum in Rubricis. Quaeritur: An omitti possit *Pater* et *Ave?* (1)

Dubium III. Quandoque in nostris Monasteriis Sacerdotes extranei honoris gratia invitantur ad dicendam Missam Conventualem, sive cum cantu celebretur sive absque cantu. Quaeritur: An praedicti Sacerdotes sic celebrantes, assistente Communitate, possint uti Missali Ordinis et dicere Missas nostrae Religioni concessas?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audito voto Rm̃i D. hodierni Procuratoris Generalis Ordinis Cisterciensis, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Esse piam consuetudinem, quae retineri potest ubi viget ».

Ad III. « Affirmative; seu debere ».

Atque ita respondit.

Die 25 Septembris 1875.

3379. ORDINIS CISTERCIENSIS. (5639)

Fr. Bruno Abbas Cisterciensium Monasterii vulgo *de Mont Melleray* in Hibernia Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod Sacrista Ecclesiae Monasterio adiectae, quum in sacris aris invenisset avulsos lapides qui tegebant Reliquias, quique ob humiditatem calcem qua conglutinabantur, amiserant, congruum duxit illos iterum nova adhibita calce firmare; attamen, ut ipse asserit, sacras Reliquias nullimode tetigit aut dimovit. Quum autem exortum sit dubium num propter hoc eaedem Arae execratae reputandae sint, praefatus Abbas ab eadem Sacra Congregatione opportunam in re declarationem expetiit; et, in casu quod essent execratae, postulavit ut earumdem consecrationem ipse perficere valeat, quum hoc privilegium Abbatibus Cisterciensibus sit concessum.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

« Si sepulcrum apertum non sit, sed tantummodo novo caemento firmatum, Negative; Si secus, Affirmative; facto verbo cum SSm̃o ».

Die 25 Septembris 1875.

Facta autem de praedictis SSm̃o D. N. Pio Papae IX per Secretarium fideli de omnibus relatione, Sanctitas Sua, sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, sanationem ad cautelam, quatenus opus sit, impertita est. Die 30 iisdem mense et anno.

3380. MEXICANA. (5640)

Quum paucis abhinc mensibus in notitiam Archiepiscopi Mexicani pervenerint responsa Rm̃o D. Episcopo Dioeceseos Montis Albani in Galliis die 14 Augusti 1858 a Sacrorum Rituum Congregatione data, super Matrimonii benedictione, extra tempus debitum quandoque impertienda, praedictus Archiepiscopus pro opportuna declaratione sequentia dubia eidem Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Utrum praefata responsa Rm̃o Episcopo Dioeceseos Montis Albani data ita sint generalia, ut omnes omnino Dioeceses afficiant, etiam eas in quibus immemorabiles in contrarium adsunt consuetudines? Et quatenus affirmative, quaeritur:

Dubium II. Utrum permitti possit constans praxis in hac Archidioecesi vigens, iuxta quam Parochi vel alii Sacerdotes, de ipsius Parochi licentia, tempore clauso matrimoniis assistunt ad hunc finem tantum, ut sponsos privatim coniungant, minime vero ut illos solemniter benedicant, quin tamen licentiam seu veniam ab Ordinario exquirant? (2)

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta nec non voto R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris, propositis dubiis respondendum censuit:

(1) E. Dub. III. — (2) E. Dub. III et IV.

Ad I. « Affirmative ; et consuetudinem contrariam esse eliminandam uti abusum ».
Ad II. « Negative, nisi accedat Archiepiscopi venia ».
Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 25 Septembris 1875.

3381. LUCERINA. (5642)

Sodalitas a Sancta Cruce nuncupata, in Civitate et Dioecesi Lucerina, canonice erecta usque ab anno 1500 in Ecclesia olim Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium, aucta titulo Virginis Dolorosae ex Apostolicis Litteris in forma Brevis diei 4 Iulii 1821 et aggregata Archisodalitati SSmae Trinitatis de Urbe usque ab anno 1610 et postea evecta ad gradum Archisodalitatis Litteris Apostolicis pariter in forma Brevis diei 13 Martii 1855, haec quae sequuntur Sacrorum Rituum Congregationi exposuit; nimirum:

Praedicta Sodalitas ordine erectionis, si non prima, saltem est secunda. Verum quidem est alias ibi existentes Sodalitates successu temporis praecedentiam obtinuisse, eo quod fuerint antea ad gradum Archisodalitatis evectae ; ast quum Archisodalitas oratrix id etiam obtinuerit, ac consequenter omnes modo sint conditione pares, ipsa ab eadem Sacra Congregatione humiliter postulavit ut praecedentia eidem Archisodalitati tribuatur, quae ex ordine fundationis eidem competit.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia Rmi D. Episcopi Lucerini de informatione et voto requisiti nec non voto R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris, declaravit :

« Praecedentiam praedictae Archisodalitatis incipere a die expeditionis memoratarum Litterarum Apostolicarum diei 13 Martii 1855 ». Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 25 Septembris 1875.

3382. TAURINEN. (5643)

Rmus D. Laurentius Gastaldi Archiepiscopus Taurinen. Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium exposuit quod in Civitate vulgo *Savigliano* intra limites Archidioeceseos suae multis abhinc seculis extabat Abbatia Monachorum Ordinis S. Benedicti cum Ecclesia parochiali sub titulo S. Petri. Suppresso Monasterio per civiles leges modo vigentes, et dissoluta communitate Monachorum , conservata solum fuit Paroecia ; ac Parocho eiusque coadiutoribus aliqua monasterii pars fuit pro habitatione assignata. Anno elapso alumnus ex memorato Ordine S. Benedicti, qui suppressionis tempore Parochi munere iam fungebatur eoque nunc etiam fungitur, in Abbatem praedictae Ecclesiae electus fuit a Superioribus Congregationis Cassinensis Italiae.

Quum monasterium amplius non existat ac Monachi sint dispersi, quaesitum fuit a suprascripto Rmo D. Archiepiscopo Taurinensi : An praefatus Abbas, qui tamen nondum benedictionem Abbatialem accepit, possit in dicta Ecclesia functiones abbatiales peragere , uti ante suppressionem Abbati pro tempore illius monasterii earumdem peragendarum ius erat.

Sacra vero Congregatio Episcoporum et Regularium quum preces ipsas pro opportuna resolutione ad Sacrorum Rituum Congregationem transmiserit ; haec, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit :

« Per illegitimam suppressionem enunciati Monasterii S. Petri nihil quoad ius peragendi abbatiales functiones in Ecclesia eidem adnexa fuisse immutatum ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 17 Decembris 1875.

3383. TRICARICEN. (5644)

Rmus D. hodiernus Episcopus Tricaricen. a Sacrorum Rituum Congregatione humillime insequentis dubii solutionem expetiit ; nimirum :

Utrum liceat in Feria VI in Parasceve et in Sabbato Sancto ante Missam audire Confessiones fidelium in Cathedrali aliisque Ecclesiis parochialibus ; et an consuetudo contraria quae id retinet, sit reprobanda?

Sacra autem Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit :

« Affirmative ; et assertam contrariam consuetudinem omnino reprobandam ». Atque ita rescripsit.

Die 17 Decembris 1875.

3384. GADICEN. (5645)
seu
GADITANA.

Sorores Scholarum Piarum degentes in ista Civitate Gaditana ab hac Sacra Rituum

Congregatione de consensu Episcopi exquisierunt, ut in earumdem Ecclesia semel in mense fieri valeat Expositio SS. Sacramenti; etsi sacra caeremonia incipiat, nonnullis anni temporibus post solis occasum ac de nocte finem habeat.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est :

« Esse in facultate Rm̃i D. Ordinarii Dioecesani indultum de quo in precibus concedere ; ideoque ipse in casu provideat pro suo arbitrio et prudentia ».

Romae die 17 Decembris 1875.

3385. SAGIEN. (5646)

Rm̃us D. Carolus Fridericus Rousselet Episcopus Sagiensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit quod Ecclesia parochialis loci vulgo dicti *Marchemerison* vertente seculo undecimo fuit aedificata. Quibusdam si credatur signis, haec Ecclesia consecrata fuit ; recentissime enim nonnullas Cruces, quales in consecrationibus adhibentur, in parietibus depictae instaurationis occasione inventae sunt. Dubium tamen oritur eo quod in Altari maiori, quod fixum et unica lapide constans apparet, nulla extant consecrationis vestigia, nullae sunt cruces, nullum reliquiis condendis adest sepulcrum. Quapropter huic Altari lapideo ornamentis ligneis iamdiu incluso Altare portatile fuit adiunctum.

Quum autem instauratio huius Ecclesiae in finem vertat, ab eadem Sacra Congregatione praefatus Episcopus humiliter exquisivit sequentium dubiorum solutionem ; nimirum :

Dubium I. An praefata Ecclesia consideranda sit tamquam consecrata ?

Dubium II. An liceat iterum pingere Cruces parietales?

Dubium III. An Altare maius sit denuo consecrandum ?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est :

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative ; nisi consecretur Ecclesia : ad quam tamen consecrationem faciendam quamprimum Sacra Congregatio hortatur Episcopum, quum agatur de Ecclesia parochiali ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 17 Decembris 1875.

3386. SAGIEN. (5647)

Rm̃us D. Carolus Fridericus Rousselet Episcopus Sagiensis Sacrorum Rituum Congregationi haec quae sequuntur exposuit ; nimirum : In Dioecesi sua duae erant Paroeciae vicinae, altera sub titulo et patrocinio S. Walburgae Virginis, altera Sanctae Columbae Virginis et Martyris ; quarum incolae in unum ita erant coadunati ut una haberi videretur Parochia. Utraque autem Ecclesia nimis exigua atque ruina collabente, et aliunde inter incolas saepe exorientibus divisionibus, gubernium civile decem abhinc annis, omnibus consentientibus, e duabus unicam fecit communitatem. Omnium animis paulatim compositis, quae prius erat impossibilis, pulcherrimae aedificatio Ecclesiae facilis evasit. Quae quidem Ecclesia in territorio Paroeciae S. Walburgae sita, pristinis Ecclesiis aut iam dirutis aut proxime diruendis, nuperrime fuit benedicta sub titulo Ss. Walburgae et Columbae. Attamen licet unica sit deinceps communitas civilis, duae usque nunc remanserunt Paroeciae cum administratione propria et duo Parochi una commorantes ; quorum unus tamquam alterius vicarius sub omni respectu existimatur.

Quibus sic expositis, Episcopus orator humiliter eidem Sacrae Congregationi insequentia circa Titulorum et Patronorum Officium dissolvenda dubia proposuit ; nimirum :

Dubium I. S. Walburga Virgo quae die 1 Maii, et S. Columba Virgo et Martyr quae die 31 Decembris, in Martyrologio describuntur, debentne considerari tamquam Titulares et Patronae ex aequo ?

Dubium II. Si affirmative, quodnam Officium recitandum et quo die Festum celebrandum est ?

Dubium III. S. Walburga remanente Titulari et Patrona principali cum Officio debito, Sancta Columba debetne considerari tamquam Titularis et Patrona minus principalis cum Officio duplici maiori ?

Dubium IV. Quid de ambabus in Suffragiis dicendum ?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Festum S. Walburgae Virginis celebrandum erit die 1 Maii sub ritu duplicis primae classis cum octava, cum Officio et Missa de Communi Virginum primo loco; translato ad primam diem liberam tamquam in sedem fixam Officio SS. Apostolorum Philippi et Iacobi. Festum vero S. Columbae V. et M. permittitur ut celebretur die 30, loco diei 31 Decembris in Martyrologio assignatae, cum Officio et Missa de Communi Virginum et Martyrum primo loco, et Oratione *Deus qui inter cetera,* sub ritu pariter duplicis primae classis, tamen absque octava, ratione temporis ».

Ad III. « Provisum in primo ».

Ad IV. « Fiat commemoratio de ambabus simul, tam in Laudibus quam in Vesperis, cum Antiphona, ℣., ℟. et Oratione ut in Communi plurium Virginum et Martyrum ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 17 Decembris 1875.

3387. ASCULANA (5649)

IN PICENO.

R. D. Iosephus Bianconi Parochus Castri vulgo *Poggese* intra limites Dioeceseos Asculanae exposuit se die 4 Septembris anni 1873 coepisse possessionem Ecclesiae parochialis oppidi praedicti, quam sacris indumentis ac supellectilibus omnino carentem invenit.

Quum autem nova emere ex lino vel cannabe confecta, uti Rubricae ac Decreta Sacrae Rituum Congregationis praescribunt, illi impossibile prorsus sit ob redituum defectum; quumque ipse possideat magnam quantitatem telae ex urticis confectae, ab eadem Sacra Congregatione humiliter postulavit ut pro dictis sacris indumentis ac supellectilibus conficiendis pro usu Ecclesiae suae parochialis postrema hac tela uti queat.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta nec non sententia Rm̃i D. Episcopi Asculani de informatione et voto requisiti, rescribere rata est:

« Negative; et servetur Decretum Generale diei 15 Maii 1819 ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 17 Decembris 1875.

3388. ORIOLEN. (5650)

Rm̃us Dñus Episcopus Oriolensis, ut in Congregatione quae ad honorem SS. Eucharistiae Sacramenti nuper in Civitate Alonensi instituta est, sub vulgari nomine *Congregacion de la Guardia y Oracion al SSm̃o Sacramento,* omnia ordinate et iuxta Rubricas fiant, a S. Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. An quando Clerus a sacristia procedit ad Altare ad exponendum SSm̃um Sacramentum, possint etiam Congregati laici se illis cum luminaribus sociare? et in tali casu quo loco procedere debeant?

Dubium II. Quem locum tenere debeant Congregati laici, quando cum luminaribus intersunt Processionibus SSm̃i Sacramenti?

Dubium III. Num Congregati laici possint ingredi Presbyterium, ibique per aliquod tempus orationi vacare?

Dubium IV. Num ingressus in Presbyterium, de quo in praecedente dubio, permittatur etiam dum in Choro celebratur divinum Officium?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam: Procedere eos debere ante Clerum ».

Ad II. « Ante Clerum Secularem et Regularem; atque etiam ante Confraternitates, si adsint, sacco induti ».

Ad III. « Negative; sed extra Presbyterium parandum aliquod scamnum, ubi se sistere possint Congregati tempore orationis ».

Ad IV. « Provisum in tertio ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 22 Ianuarii 1876.

3389. VICEN. (5651)

R. D. Philippus Lumà Beneficiatus Ecclesiae Cathedralis Vicen., quum ab Illm̃o Patriarcha Indiarum nominatus sit Parochus pro praesidio militum praefatae Civitatis Vicensis, atque pro militibus transeuntibus et accidentaliter in ea manentibus, quumque Ecclesia, in qua Parochi munere fungitur, dicata sit Deo in honorem S. Margaritae Virginis Martyris, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit declarari: An ipse te-

neatur persolvere Officium et celebrare Missam enunciatae S. Margaritae sub ritu Titularibus competenti, quum in Dioecesi de eadem Sancta fiat tantum commemoratio?

Sacra Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, respondit: « Affirmative; et oratorem teneri in recitatione Horarum Canonicarum et in celebratione sacrosancti Missae Sacrificii se conformare Calendario Ecclesiae, in qua Parochi munere fungitur: servatis Rubricis ». Atque ita declaravit.

Die 22 Ianuarii 1876.

3390. MECHLINIEN. (5652)

Memoriale Rituum iussu Benedicti Papae XIII editum permittitur adhiberi pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis parochialibus. In Dioecesi autem Mechliniensi plures existunt Ecclesiae non parochiales et Oratoria Regularium, Fratrum Religiosorum et Monialium seu feminarum Religiosarum, in quibus ob defectum sive Ministrorum, sive Paramentorum, Officia Hebdomadae Sanctae, aliaque similia solemniter celebrari nequeunt; convenienter vero persolvi possunt iuxta praefatum parvum Memoriale Rituum, prout in pluribus ex dictis Ecclesiis et Oratoriis iam fieri solet. Porro nonnullis dubitantibus num sibi eo Memoriali uti liceret, et dubia sua exponentibus Compositori Calendarii Dioecesani; iste, ad quaestionem dirimendam, approbante Emo et Rmo D. Card. Archiepiscopo, ad S. Congregationem recurrit et humiliter ab eadem exquisivit:

An in dictis minoribus Ecclesiis non parochialibus et oratoriis Officia Hebdomadae Sanctae aliaque similia iuxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi possint?

Et, quatenus negative, supplicatur ut S. Rituum Congregatio eius usum in praefatis Ecclesiis et Oratoriis Dioecesis Mechlinien. indulgere dignetur.

Sacra Rituum Congregatio, re mature accurateque perpensa, auditoque voto Rmi D. Assessoris eiusdem S. Congregationis, rescribendum censuit:

Ad Dubium: « Negative ».

Ad Postulatum: « Pro gratia, iuxta modum; nimirum ut petita facultas concedatur solummodo Oratoriis sive publicis sive privatis Monialium sub clausurae lege viventium; et aliis Oratoriis sive Ecclesiis publicis pro locorum necessitate sive magna utilitate, iuxta prudens Rmi D. Ordinarii pro tempore arbitrium; et facto verbo cum SSmo ».

Die 16 Martii 1876.

Facta autem de praedictis SSmo Dom. Nostro Pio Papae IX per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, ad tramitem supradictae resolutionis, limitato tamen tempore ad proximum quinquennium. Die 23 iisdem mense et anno.

3391. DE ZACATHECAS. (5653)

Rmus D. Ioseph Maria a Refugio Guerra Episcopus de Zacathecas in Mexicana Republica Americae Septemptrionalis sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi enodandum proposuit; nimirum:

Quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei praecedentis; in istis namque regionibus non omnium eadem est super hac re sententia.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente ipsius Secretario, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum ». Atque ita rescripsit.

Die 16 Martii 1876.

3392. BLESEN. (5654)

Rmus hodiernus Episcopus Blesen. indultum obtinuit a Sacra Rituum Congregatione pro facultate subdelegandi suos Vicarios Generales, Ecclesiarum Rectores etc. ad benedictionem sacrae illius supellectilis, pro qua sacra unctio non adhibetur.

Quum vero nulla inveniatur formula pro benedictione Indumenti sacerdotalis aut levitici praeter eam, quae reperitur in Pontificali, et ideo Episcopis videtur reservata; Sacerdotes subdelegati recurrere debent ad benedictionem pro Indumentis sacerdotalibus in genere Missali additam. Isthaec autem benedictio in omnibus circumstantiis non apparet omnino consentanea, ex. gr. pro benedictione Cinguli.

Unde praedictus Rmus orator humillime a S. Rituum Congregatione postulavit, ut Sacerdotes ab ipsomet subdelegati uti valeant formula a Pontificali data pro benedictione cuiuslibet indumenti, quae insuper est formula minus solemnis.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est:

« Sacerdotes subdelegati utantur benedictione quae legitur in Rituali Romano ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 16 Martii 1876.

3393. PATAVINA. (5656)

R̃mus Episcopus Patavin. exposuit se, ex indulto Sacrae Rituum Congregationis diei 29 Iulii anni 1875, in Cathedrali Ecclesia de consensu Capituli octo Canonicos honorarios nominasse cum privilegiis et honorificentiis, quibus fruuntur Protonotarii Apostolici *ad instar,* iuxta Constitutionem Apostolicam *Apostolicae Sedis officium* die 29 Augusti 1872.

Verum cum praedicti Canonici honorarii a Titularibus forsan requirantur, ut loco ipsorum Missam decantent, quumque honorarii hoc in casu uti nequeant iuxta praelaudatam Constitutionem palmatoria et Canone, quibus quidem privilegiis sese ornatos Canonicos Titulares existimant; hinc R̃mus Episcopus a SS̃mo Dño Nostro humiliter postulavit, ob decorem sacrarum functionum, ut praedicti Canonici honorarii, in Cathedrali tantum, palmatoriam et Canonem ad Missam; atque in cantu Vesperarum palmatoriam valeant adhibere.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per Secretarium facta, rescribendum censuit:

« Canonicos honorarios esse aequiparandos Canonicis Titularibus quoad usum Insignium, cum sacris funguntur ministeriis in Choro Cathedralis: omnes tamen moneantur, ut servent praescripta in Constitutione recenter edita de privilegiis Protonotariorum ».

Romae die 16 Martii 1876.

3394. OLINDEN. (5657)

Sacerdos quidam Dioecesis Olinden. in Brasilia de licentia sui Episcopi a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime imploravit; nimirum:

Dubium I. Estne toleranda praxis extrahendi e tabernaculo sacram Pixidem, eamque velatam sub umbella collocandi, populo benedicendi gratia?

Dubium II. In Ecclesiis in quibus de Ordinarii licentia SS̃mum Sacramentum asservatur, et in quibus populo benedictio cum sacra Pixide fere impertitur festis diebus, potest ne populus benedici quandoque cum SS̃mo Sacramento in Ostensorio posito, in Festis saltem principalioribus, quin ab Ordinario requiratur facultas?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente ipsius Secretario, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Negative; et detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV, hoc est: Eucharistiae tabernaculum solum aperiatur et Sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis obiiciatur. Verum penitus interdicitur Sacram Pyxidem extra Tabernaculum efferri ac velatam sub umbella collocari; cum nullum huius ritus vestigium apud liturgicos scriptores, nullaque Sedis Apostolicae, quam sequi omnino debemus, consuetudo deprehendatur ».

Ad II. « Detur resolutio in Ariminen. diei 11 Septembris 1847; quum enim quaesitum fuerit: Num servanda sit immemorabilis consuetudo dimittendi populum fidelem cum benedictione SS̃mi Sacramenti in Sacra Pyxide occlusi, ac in Festis cum Ostensorio? responsum fuit ad mentem; et mens est ut quoties nil inconveniens deprehendat R̃mus Ordinarius, permittat continuationem eiusdem consuetudinis ».

Atque ita rescripsit.

Die 16 Martii 1876.

3395. ORIOLEN. (5659)

R̃mus D. Episcopus Oriolen. a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit pro Congregatione in Civitate Alonensi sub vulgari nomine instituta *de la Guardia y Oracion al SS̃mo Sacramento* insequentia privilegia; nimirum:

1. Quod Congregati, tempore Missae Solemnis et Vesperarum, thurificari possint post Magistratus aliosque Dignitarios.

2. Quod Congregati in Processionibus cum SS̃mo Sacramento deferre valeant intorticia hinc inde a lateribus baldachini.

3. Quod inserviens, indutus rubra veste nuncupata *gramaglia,* manuque clavam gestans vulgo *Mazza,* comitari possit Congregatos, absoluto servitio precum per turnum ante SS̃mum Sacramentum, causa indicandi stationes et genuflexiones.

Sacra vero Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescripsit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Permitti posse ut sex vel octo

e Congregatis cum intorticiis accensis incedant e lateribus baldachini, sub quo SSmum Sacramentum defertur: reliqui vero ipsum SSmum Sacramentum sequantur ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 28 Martii 1876.

3396. BONAËREN. (5660)

R. D. Antonius Espinosa Secretarius Archiepiscopalis Curiae *de Buenos Ayres* in America Meridionali a Sacra Rituum Congregatione humiliter sequentis dubii solutionem exquisivit; nimirum:

Cum SSmo D. N. Pio Papae IX placuerit Sanctum Iosephum Patronum universalis Ecclesiae declarare, detegi ne potest vel debet eius Imago, quando eius Festum occurrit in hebdomada Passionis?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Negative, iuxta Decretum in una Ianuen. diei 16 Novembris 1649 ad 2 et 3 ». Atque ita rescripsit, et servari mandavit.

Die 3 Aprilis 1876.

3397. MISSIONARIORUM (5661)
OBLATORUM
IMMACULATAE CONCEPTIONIS
B. M. VIRGINIS.

Sacerdos Ioseph Fabre Superior Generalis Missionariorum Oblatorum Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expetiit; nimirum:

Dubium I. In Ecclesiis parochialibus, quibus Missionarii Oblati deserviunt per unum ex suis, possunt ne dicti Missionarii publicis in Officiis suum sequi Calendarium rite approbatum?

Dubium II. Quatenus affirmative, an possint suum Calendarium rite approbatum imponere Sacerdotibus qui in dictis Ecclesiis celebrare postulant?

Dubium III. Quatenus affirmative (generaliter loquendo) an idem possint in speciali casu, quo ab Ordinariis praepositi fuerint quibusdam celebrioribus Sanctuariis, ad quae freqaenter conveniunt fidelium et Sacerdotum concursus, et quae sunt loca quasi in omni Dioecesi Clero communia, sive sint parochiales Ecclesiae sive non?

Dubium IV. An Religiosorum communitas, Ecclesiae publicae cuidam addicta, teneatur ad Officium Patroni Titularis huius Ecclesiae et per totam octavam? (1)

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

« Ad II et III. « Provisum in primo ».

Ad IV. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 7 Aprilis 1876.

3398. CAPUANA. (5662)

Hodiernus Calendarii Metropolitanae Ecclesiae Capuanae Ordinator, de licentia sui Rmi Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enucleanda proposuit; nimirum (2):

In Metropolitana Ecclesia Capuana adsunt duo Caeremoniarii Mansionarii, qui in obeundo alternis vicibus Caeremoniarii officio utuntur consueto habitu chorali, nempe cappa, hyemali tempore pellibus suboscuri coloris, et aestivo serico violaceo obducta, instar aliorum Mansionariorum iisdem cappis utentium. Sed cum in Caeremoniali Episcoporum Lib. I, Cap. V, § 4, diserte edicitur eorum habitum esse debere vestem inferiorem coloris violacei, et desuper cottam mundam; hinc quaeritur:

1. An tolerari possit Caeremoniarios praedictos cappa praedicta indutos officio Caeremoniarii fungi in ecclesiasticis functionibus; vel potius induere debeant ipsi habitum iuxta Caeremoniale?

Et quatenus affirmative ad secundam partem, quaeritur:

2. An iidem Caeremoniarii sine habitu chorali ministrantes gaudeant distributionibus quotidianis suorum Beneficiorum iuxta Decretum Sacrae Congregationis Concilii diei 27 Iulii 1839 in Pisana?

Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa et considerata, proposito dubio rescribere rata est:

« Ad primam quaestionem: Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum iuxta Decreta alias edita ».

(1) E. Dub. V. — (2) E. Dub. I.

« Ad secundam quaestionem: Affirmative, iuxta Decretum S. Congregationis Concilii diei 27 Iulii 1839 in Pisana ad VIII ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 10 Aprilis 1876.

3399. SEBENICEN. (5663)

Rmus D. Antonius Carminati, dum adhuc Vicarii Capitularis Dioeceseos Sebenicen. munere fungebatur, ad evitandam varietatem opinionum inter membra Rmi Capituli, a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. An in functionibus funebribus Celebrans, dum accedit ad Altare et dum redit in sacristiam, reverentiam facere debeat Choro?

Dubium II. An quando Celebrans genuflectit ad *Incarnatus est* et ad *Verbum caro factum est* in ultimo Evangelio, Clerus qui tunc non sedet, debeat genuflectere?

Dubium III. An quando decantatur *Credo* in Missa solemni, quo tempore Clerus sedet, debeant ad versum *Et incarnatus est* genuflectere cum Clero inferiori etiam Canonici, qui in supremo stallo sedent; vel ipsis solis sedentibus, debeant detegere caput et profunde inclinare?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescripsit:

Ad I et II. « Affirmative ».

Ad III. « Servetur praescriptum in Caeremoniali Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, § 53 ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 27 Maii 1876.

3400. RUREMUNDEN. (5664)

Quum in ordinandis festis aliisque ad sacram liturgiam spectantibus in Dioecesi Ruremundensi quaedam dubia exorta fuerint, hodiernus Ordinis Dioecesani conscriptor, de venia Rmi Episcopi, humiliter exoravit ut Sacra Rituum Congregatio eadem solvere dignaretur.

Dubia autem sunt quae sequuntur; nimirum:

Dubium I. Si Festum Annuntiationis B. Mariae Virg. occurrat Feria V in Coena Domini, locorum Ordinarii curare debent, ut quaedam Missae privatae celebrentur ante Missam solemnem, quo facilius fideles Missam audiendi praeceptum implere possint. Sed quaeritur: Num idem adhuc servandum sit in locis ubi Festum praefatum abrogatum fuit? Siquidem, iuxta mentem Sanctae Sedis, Officium publicum in Festis abrogatis vel translatis peragendum est prouti ante Festorum reductionem?

Dubium II. Cum ex benigna Sacrae Rituum Congregationis concessione, quotannis in Ruremundensi Dioecesi celebratur Festum Divisionis SS. Apostolorum die 4 Iulii, quaeritur:

1. Num hoc die Festo etiam commemoratio facienda sit diei infra octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli?

2. Quisnam color adhibendus sit in Festo praefato; rubeusne, utpote proprius Apostolorum; vel albus, quomodo fit in plurimis Festis secundariis Ss. Apostolorum?

Dubium III. Quum iam in Oratione *A cunctis* nomen S. Ioseph exprimendum sit de praecepto, quaeritur: Num in Missis votivis in honorem S. Ioseph celebrandis, tempore quo haec Oratio tertio loco dicenda venit, Orationi praefatae substituenda sit Oratio *Concede,* quae primo loco ponitur inter Orationes diversas, uti alias declaratum fuit?

Dubium IV. Quum, Decreto 27 Februarii 1847 (N. **2939**) ad 3, Sacra Rituum Congregatio rescripsit Professores, nec non Seminaristas in maioribus Ordinibus constitutos teneri ad octavam Titularis Ecclesiae Seminarii Ruremundensis, seu, ut loquitur Sacra eadem Congregatio, Ecclesiae adnexae; hinc dubium ortum est num orator Ruremundensis dicendo *Seminarii Ecclesia* recto vocabulo usus fuerit. Petitur igitur licentia casum accuratius exponendi.

Est enim Ecclesia Seminarii Ruremundensis antiqua Ecclesia Monasterii Carthusianorum, seculo praeterito exeunte suppressi, cuius etiam cetera aedificia ab alumnis occupantur. Hodiedum Ecclesia haec infra hebdomadam passim clausa manet extraneis, sed fideli populo patet diebus solemnibus ac festivis. Etsi igitur haec aedes sacra ex rei natura et externa quoque aedificii amplitudine merito Ecclesia dici debeat, ex fine tamen et usu hodierno potius Oratorium publicum dicendum esse videtur; quippe quae modo non tam fidelis populi libero usui destinata videtur quam alicuius Familiae vel Collegii commoditati. Hinc quaeritur utrum responsum diei 27 Februarii 1847 datum, servandum sit, nec ne?

Dubium V. Quum fidelium cadavera nonnisi in Ecclesia aut coemeterio iam rite be-

nedicto sepeliri debeant, et proinde fere supervacaneum foret praescribere benedictionem novi sepulcri, si haec omitti posset, ubi sermo est de coemeterio benedicto; quumque etiam Rituale Romanum praecipere videatur sepulcrum, si non est benedictum, a Sacerdote semper benedicendum esse priusquam illud prima vice sepulturae inserviat, nulla distinctione facta an sepulcrum effossum sit in Ecclesia aut in coemeterio, quod semper rite benedictum supponendum est; quum tamen varii auctores Ritualis verba alio modo intelligant; quaeritur:

1. An sepulcrum, quod novum foditur in coemeterio rite benedicto, prima tamen vice benedicendum sit?

2. Si negative ad primum, an igitur praescriptio haec tantum respiciat cryptam seu sepulcrum lapideum in coemeterio vel Ecclesia aedificatum, non autem simplicem foveam in Ecclesia effossam?

3. An si benedictionis formula omitti debeat, nihilominus cadaveris et tumuli aspersio ac incensatio servanda sint, quemadmodum pro sepultura parvulorum praescribitur?

Dubium VI. Iuxta Decretum Urbani VIII, 23 Martii 1630, in Patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, eligi possunt; verum in hac Dioecesi sequentes existunt irregularitates: Ecclesia parochialis de *Houtem* S. Gerlacum Confessorem, Ecclesia parochialis de *Susteren* S. Amelbergam Virginem, Ecclesia parochialis *de Berg-Terblyt* Ss. Monulphum et Gondulphum Confessores Pontifices tamquam Patronos principales venerantur. Occurrunt quidem Sancti praedicti in Calendario Dioecesano a S. R. C. una cum eorum Officiis et Missis die 5 Septembris 1867 approbato, ac Clero Ruremundensi concesso; ast in Martyrologio Romano minime inveniuntur. Notum est praeterea Ecclesias primo et secundo loco enumeratas ante perturbationem gallicanam Ecclesias fuisse Religiosorum, diversisque ab hodiernis Patronis dedicatas. Praesumendum quidem est has Patronorum mutationes initio huius seculi rite ac canonice factas fuisse, quamvis rationes dubitandi non desint. Humillime ideo petitur ut S. R. C. *pro gratia* has Patronorum praefatorum electiones, in quantum opus fuerit, sanare ac confirmare dignetur, ne ex Patronorum innovatione perturbatio in populo oriatur.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Negative, nisi de speciali indulto ».

Ad II. « Ad primam quaestionem, Affirmative; ad secundam quaestionem, Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Recitandam esse Orationem *A cunctis,* omisso nomine S. Ioseph ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Ad primam quaestionem, Negative; ad secundam, Affirmative; ad tertiam, Serventur Rubricae ».

Ad VI. « Pro gratia, saltem ad cautelam; facto verbo cum SSmo ».

Die 27 Maii 1876.

Facta autem, die 1 Iunii eodem anno 1876, de postremo hoc dubio per praedictum Secretarium SSmo D. N. Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua benigne sanavit, quatenus opus sit, defectum legitimae electionis Patronorum, de qua in precibus.

3401. DINIEN. (5665)

Rmus D. Episcopus Diniensis sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi proposuit, eorumque solutionem enixe postulavit; nimirum:

A tercentis circiter annis Ecclesia S. Hieronymi Confessoris Doctoris facta est Ecclesia Cathedralis simul et Parochialis Civitatis Diniensis, licet adhuc existat antiqua Cathedralis Ecclesia B. Mariae Virgini in Coelum Assumptae dicata, multis nunc milliariis extra urbem solitarie posita, ideoque derelicta.

Rebus ita se habentibus, quaeritur:

Dubium I. Num S. Hieronymus Titularis Ecclesiae Cathedralis actualis gaudeat omnibus iuribus quae competunt Titularibus Cathedralium, et num ipsius Festum celebrari debeat sub ritu duplici primae classis cum octava, non tantum a Clero praedictae Ecclesiae adscripto, sed etiam ab omnibus Sacerdotibus in Urbe commorantibus, notanterque a Directoribus utriusque Seminarii et a Cappellanis Xenodochii et Monialium etc.

Dubium II. — 1. Quodnam Suffragium faciendum sit a Directoribus Seminarii, sive maioris sive minoris, quibus nulla Ecclesia publica est adnexa, a Cappellanis Xenodochii et Monialium, a Clericis in sacris et a

Sacerdotibus in maiori Seminario coadunatis tempore recessus ecclesiastici?

2. Sufficit ne Suffragium B. Mariae Virginis Titularis antiquae Cathedralis per communem antiphonam *Sancta Maria succurre miseris?*

3. Ponendum ne Suffragium S. Hieronymi Titularis Cathedralis hodiernae?

4. Faciendum ne est Suffragium Ss. Domnini et Vincentii Civitatis Patronorum per Antiphonam apud nos usitatam, quae duobus hisce Patronis communis est cum Oratione?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative in omnibus ».

Ad II. « Ad primam partem, praeter Communia, tenentur tantum ad Suffragium Patroni Dioeceseos vel Loci ».

Ad 2. « Sufficit; quamvis commemoratio non ponenda sit in casu pro B. Virgine, qua Titulari ».

Ad 3. « Negative ».

Ad 4. « Provisum in 1, hoc est: Affirmative, et modo in Dioecesi usitato ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 27 Maii 1876.

3402. RAVENNATEN. (5666)

Sacerdos Caesar Uberti Metropolitanae Ecclesiae et Rmi Archiepiscopi Ravennaten. Caeremoniarius humiliter a Sacra Rituum Congregatione postulavit declarationem insequentium dubiorum; videlicet:

Dubium I. In quadam Ecclesia huius Civitatis quotidie post secundam Missam, Sacerdos imposito sibi velo humerali extrahit e ciborio SSmum Sacramentum, et cum eo immediate benedicit populum et statim recondit, quin prius vel postea aliquid dicat vel cantet. Quaeritur an huiusmodi usus retineri possit?

Dubium II. Sorores et Educandae cuiusdam Conservatorii, quoties transeunt ante SSmum Sacramentum in tabernaculo reconditum, nolunt genuflectere, sed tantum sese inclinant, dicentes indecens esse mulieres genuflectere unico genu. Tolerandusne est huiusmodi usus? Et quatenus negative,

Dubium III. An idem dicendum de genuflexione, quae debetur Episcopo proprio?

Dubium IV. Num mulieres sacris functionibus adstantes vel etiam private orantes, per fenestram (vulgo *Coretto*) quae intus Ecclesiam, interiectis transennis, inspicit, teneantur caput velare?

Dubium V. An Rubrica Missalis pro aspersione Aquae benedictae, in Dominicis facienda, sit praeceptiva quoad repetitionem Antiphonae *Asperges me* vel *Vidi aquam?*

Dubium VI. Et quatenus sit praeceptiva, quaeritur an repeti etiam debeat a cantoribus in Choro, vel sufficiat ut Sacerdos submisse repetat una cum Ministris?

Dubium VII. An ad benedictionem Sacrorum Oleorum Feria V in Coena Domini, pro complendo numero Diaconorum et Subdiaconorum, inservire possint Clerici in minoribus constituti, vel tonsurati tantum, absque tamen Manipulo et Stola?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita relatione alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Usum, prouti exponitur, non licere ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Antiphonam a celebrante et a cantoribus esse repetendam ».

Ad VII. « Detur Decretum in una Liburnen. die 7 Februarii 1874 ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 7 Iulii 1876.

3403. ROSSANEN. (5667)

R. D. Sacerdos Aloisius Rapani Canonicus et in Metropolitana Ecclesia Rossanen. Caeremoniarum Magister Sacrae Rituum Congregationi haec humiliter exposuit; nimirum, quod in praedicta Ecclesia ad maiorem fidelium utilitatem singulis diebus infra octavam Corporis Christi, SSmum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi exponi soleat, tum mane ante Matutini recitationem, tum a meridie antequam Vesperae decantentur.

Expleta vero mane Horae Nonae recitatione, et Vesperarum a meridie, intra Ecclesiae ambitum processionaliter SSmum Sacramentum circumfertur, ac demum benedictione impertita, in tabernaculum reponitur. Attamen die Sabbati infra octavam, Processione peracta post Completorium, benedictio impertitur; et ad Matutini cum Laudibus recitationem (quae anticipanda est, quia insequenti Dominica solemnis fit Pro-

cessio a Confraternitate SSmi Sacramenti et universo Capitulo) rursus Eucharistiae Sacramentum exponitur, et recitatione expleta, absque ulla benedictione in tabernaculo recluditur.

Quibus expositis, suprascriptus orator insequentium dubiorum solutionem ab eadem Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit; nempe:

I. An Sabbato infra octavam Corporis Christi, Processione facta post Completorium et benedictione impertita, rursus exponi queat SSmum Eucharistiae Sacramentum, ut Indulgentias, quae Matutini et Laudum recitationi adsistentibus concessae sunt, fideles lucrentur? Et quatenus affirmative,

II. An rursus post Matutini cum Laudibus recitationem alia benedictio populo impertiri debeat, quemadmodum data fuit expleto Completorio?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 8 Iulii 1876.

3404. VENETIARUM. (5669)

R. D. Petrus Frattini Parochus S. Lucae Evangelistae in Civitate Venetiarum Sacrae Rituum Congregationi exposuit se praeter Ecclesiam parochialem habere etiam aliam Ecclesiam subsidiariam Ss. Benedicto Abb. et Scholasticae Virg. dicatam; in qua sub omnimoda Parochi dependentia alius Sacerdos titulo Vicarii continuo residet, ut Sacramenta Eucharistiae et Poenitentiae administret, aliasque peragat functiones. Quae quidem Ecclesia cum olim Paroecia fuerit, ideo praesertim orator ab eadem S. R. C. humillime postulat, ut non obstante Decreto alias edito eiusdem Sacrae Congregationis, praefatus Vicarius celebrare valeat Officia Dedicationis Ecclesiae et Sanctorum Titularium sub ritu duplici primae classis cum octava.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

« Pro gratia, quoad Missas tantum; exclusa octava pro Festis in Quadragesima occurrentibus, et servatis Rubricis ». Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 15 Iulii 1876.

3405. SANTANDERIEN. (5670)

Rmus D. Vincentius Calvo y Valero Episcopus Santanderien. a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit, num liceat uti curru ad mortuos efferendos in Coemeterium; ideoque an liceat Parocho et Clero, ritu ecclesiastico, ita delatum fidelem ad sepulturam associare?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, respondendum censuit: « Ecclesiae ritum iubere fidelium cadavera, utcumque deferuntur sive ad Ecclesiam sive ad Coemeterium, semper a Sacerdote esse associanda ». Atque ita respondit.

Die 15 Iulii 1876.

3406. DUBIUM. (5671)

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione an iis in Ecclesiis, in quibus Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli fit cum octava, die 2 Octobris, qua fit de Ss. Angelis Custodibus, tum Officio tum Missae addi debeat commemoratio octavae eiusdem S. Michaelis Archangeli?

Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Iulii 1876.

3407. SANCTIMONIALIUM (5672) ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS.

R. D. Franciscus Petronio Canonicus Titularis Capituli Iustinopolitani et editor Calendarii unitarum Dioecesium Tergestinae et Iustinopolitanae de consensu Ordinarii sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi enodandum humillime proposuit; nimirum:

Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis in Monasterio Tergestino S. Cypriani degentes et Episcopo subiectae celebrant, iuxta Decretum approbatum a s. m. Pio Papa VI, Festum S. Patriarchae Benedicti cum octava adeo privilegiata, ut singulis diebus octavae locum habeant solummodo Duplicia primae vel secundae classis.

Quaeritur utrum haec octava excludens duplicia I et II classis, excludat etiam Officium Dominicae minoris intra ipsam occurrentis (casus eiusmodi occurrentiae locum habet, quoties Festum S. Benedicti transfertur pari cum privilegio in Feriam III post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam); ita ut de Dominica tantummodo commemoratio sit facienda cum ultima Lectione de Homilia? (1)

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita etiam sententia in scriptis alterius ex suis Consultoribus, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative; et servetur Rubrica generalis Breviarii Romani, Tit. IV de Dominicis, Num. 2 ». Atque ita rescripsit.

Die 17 Iulii 1876.

3408. IACIEN. (5673)

Rmus D. Gerlandus Genuardi Episcopus Iaciensis, anceps haerens an nonnullae consuetudines, quas invenit in Dioecesi sibi commissa, tolerari possint, a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. An Parochi Iaciensis Dioecesis, ex Messanensi Archidioecesi avulsi, in ecclesiasticis functionibus mantelletta violacea, et in Missa solemni quatuor Ministris pluvialibus indutis, atque annulo gemmis ornato iugiter uti possint?

Dubium II. An in eadem Dioecesi tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante, Presbyter assistens cum pluviali adhibeatur?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo, quod Clerus et populus, dum SSmum Sacramentum expositum manet, sedeant?

Sacra vero Rituum Congregatio, re mature accurateque perpensa, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative in omnibus ».

Ad II. « Negative; et abusum esse eliminandum ».

Ad III. « Affirmative; secluso scandalo aut irreverentia ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 28 Iulii 1876.

3409. CASERTANA. (5674)

Inter Parochos Foraniae Terrae Lamnei vulgo *Terra di Lagno,* intra limites Dioecesis Casertanae, et Archipresbyterum Parochum Vicarium foraneum eiusdem Terrae, qui nuper adnumeratus fuit Cappellanis honorariis Suae Sanctitatis extra Urbem, orta est haec quaestio:

Parochi, innixi Decreto S. R. C. relato a Lucio Ferraris verbo *Parochus, Art. II, Num. 65, ad 3,* contendunt Parochum Protonotarium Apostolicum non posse induere extra propriam Ecclesiam habitum praelatitium, praesertim in ritualibus Processionibus Sancti Marci, Rogationum et SSmi Corporis Christi ad quas cuncti collegialiter conveniunt.

Parochus contra Cappellanus honorarius Suae Sanctitatis sese praelatitium habitum, aut saltem subtanam violaceam et tibialia eiusdem coloris, cum superpelliceo et Stola gestare contendit.

Quum autem valde expediat ut haec quaestio quam primum de medio tollatur; Rmus D. Henricus De Rossi hodiernus Episcopus a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarare petiit: Quid sentiendum in casu?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declaravit:

« Nihil obstare quominus Parochus insimul Cappellanus honorarius Sanctitatis Suae in omnibus ecclesiasticis functionibus, tam intra quam extra propriam Ecclesiam, habitu talari violaceo una cum fascia serica eiusdem coloris utatur, exceptis tamen tibialibus, quae semper nigri coloris esse debent ». Atque ita rescripsit.

Die 1 Augusti 1876.

3410. AMBIANEN. (5676)

R. D. Leo Deschamps Canonicus et Magister Caeremoniarum in Cathedrali Basilica Ambianen., nomine tum Rmi Episcopi tum Capituli Cathedralis, insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. An thurificatio Altaris in quo asservatur SSmum Sacramentum, quando est distinctum ab Altari Chori, sit praeceptiva, quum Vesperae canuntur a simplici Sacerdote vel Canonico?

Dubium II. An talis obligatio adsit, quando Vesperae celebrantur ab Episcopo Loci Ordinario?

(1) E. Dub. II, III, IV et V.

Dubium III. In casu affirmativo etiam pro Episcopo, quinam sint Ministri, qui in eiusmodi casu illum comitari debeant?

Dubium IV. An Altare debeat thurificari ad *Benedictus*, quando Laudes canuntur?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative; et detur Decretum in una Nullius Dioecesis Provinciae Treviren. sub die 19 Septembris 1665 ad I ».

Ad II. « Negative; et servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. I, § 14 et Cap. II, § 9 ».

Ad III. « Provisum in secundo ».

Ad IV. « Negative; nisi solemniter canantur ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Augusti 1876.

3411. VALLISPRATEN. (5680)

Rm̃us D. Eugenius O' Connel Episcopus Vallispraten. a Sacra Congregatione de Propaganda Fide insequentis dubii solutionem humiliter postulavit; nimirum:

Num, salvo Caeremoniali Episcoporum, liceat Episcopis in Dominicis festisque diebus Missae solemni assistere, solummodo mozzetta et rochetto vestitis?

Quum vero S. Congregatio de Propaganda Fide preces ipsas ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna solutione transmiserit; haec, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito dubio rescribere rata est:

« Negative, iuxta Decreta alias edita ».

Die 22 Ianuarii 1877.

3412. CALATAYERONEN. (5682)

In illa Dioeceseos Calatayeronen. parte, quae olim pertinebat ad Archidioecesim Syracusarum, usque ab erectione Sedis conservata fuit consuetudo, ut quando Episcopus celebraret in Pontificalibus, a Dignitatibus et Canonicis obedientia praestaretur per osculum manus. Quum postremis hisce annis, ob temporum adiuncta, diu suo Pastore viduata remanserit Sedes Calatayeronen., ipsius Cathedralis Ecclesiae Canonici proprio marte decreverunt se amplius obedientiam non esse praestituros proprio Episcopo; siquidem caeremoniam illam Caeremoniali Episcoporum contrariam esse asserebant. Quum autem in prima Pontificali Missa ab hodierno Rm̃o Dño Episcopo Calatayeronen. celebrata ex omissione huius obedientiae gravis in populo rumor exarserit, rei notitia ad Episcopum pervenit, qui hac de re cum suo Capitulo conquestus est, illumque est cohortatus ad debitam sibi obedientiam de more praestandam, quin tamen id obtinere potuerit. Quapropter laudatus Episcopus ad Sacram Rituum Congregationem recursum habuit.

Quae postquam congruum tempus Capitulo Calatayeronensi adsignavisset ut sua iura ad Sacram Congregationem deduceret, nunc iuribus ipsis hinc inde exhibitis mature consideratis, perpendens consuetudinem vigentem favere omnino Episcopo, eamque arbitrarie fuisse a Canonicis interruptam, ad evitanda scandala praesertim, quae ex denegatione praedicta oriebantur, sub die 15 Iulii anni superioris, provisionale Decretum in Causa edendum censuit; quod scilicet: « Nihil esset innovandum quoad consuetudinem praestandae obedientiae Rm̃o Episcopo in Pontificalibus a singulis Canonicis per osculum manus; salvo tamen iisdem iure agendi in petitorio ».

Quum vero Capitulum, obtento beneficio, ius suum agendi in petitorio uti voluerit, locus factus est concordationi dubii, quod sic partibus praesentibus fuit exaratum: An et quomodo constet de iure Episcopi exigendi in Pontificalibus a singulis Dignitatibus et Canonicis praesentationem obsequii per osculum manus?

Quum autem dubium ipsum ab Em̃o et Rm̃o Dño Card. Aloisio Oreglia a Sancto Stephano, huius Causae Ponente constituto, propositum fuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis; Em̃i et Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, utraque parte voce et scripto informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, rescribendum censuerunt:

« Constare, et amplius ». Atque ita rescripserunt ac servari mandaverunt.

Die 3 Februarii 1877.

3413. GRANATEN. (5683)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Granatensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia exposuit; nimirum:

In Metropolitana Ecclesia immemorabilis invaluit consuetudo (occasione data, ut fer-

tur, a profanationibus et contumeliis olim a tergo Altaris effectis) ut pro solemni thurificatione in maiori tantum Altari Ecclesiae Metropolitanae ad formam tabernaculi extructo (quod commode decoreque Celebrans potest circumire, siquidem latera quatuor perfectissime aequalia similiterque exhibeat exornata) et hoc dumtaxat ad Introitum Missae et ad *Magnificat* in Vesperis et ad *Benedictus* in Matutinis iuxta Rubricas, Sacerdos postquam praescriptos ductus cum thuribulo explevit, circulum Altaris perficiat a cornu Epistolae ad cornu usque Evangelii, quin tamen ullum ex vigintiquinque ductibus omittat suo loco et tempore vel ullum tantum adiiciat; sed solummodo gyrum faciat Altaris, ut sic fiat protestatio circa sanctitatem et decorem totius tabernaculi. Iuxta praxim Capituli huius Metropolitanae Ecclesiae, thurificatio sequenti ratione locum obtinet. Celebrans perficit tres ductus ad crucem, tres ad candelabra, duos ad latus tres ad planitiem Altaris in cornu Epistolae: tum gyrum facit a tergo tabernaculi et cum ad cornu Evangelii pervenerit, implet eodem modo quae sancita sunt a Rubricis usque ad terminum. Quae cum ita se habeant, praefatus Magister Caeremoniarum ab eadem Sacra Congregatione humiliter exquisivit: An possit memorata praxis ut laudabilis retineri, pro tabernaculo tantum Metropolitanae Ecclesiae Granatensis, argumentis allatis extantibus?

Sacra autem Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere rata est:

« Affirmative ».

Die 3 Februarii 1877.

3414. NULLIUS (5684)

SANCTI MARTINI

AD MONTEM CIMINUM.

Rmus Dnus Ioannes Iannoni Abbas et Ordinarius Nullius S. Martini ad Montem Ciminum Sacrae Rituum Congregationi exposuit non solum post Constitutiones editas pro Capitulo Abbatiali a cl. me. Card. Gabriele Ferretti Abbatiae Protectore, sed etiam ab immemorabili consuevisse quod Feria V in Coena Domini Missa solemnis celebretur et Communio Clero et populo distribuatur a Parocho pro tempore, dum Abbas eadem die solum Missam lectam privatam et primo mane celebrare solet; quum autem praedicto Rmo Ordinario dubium subortum fuerit, num eadem consuetudo, etsi ab immemorabili invecta, sit iuri contraria, opportunam in re declarationem ab eadem Sacra Congregatione humiliter postulavit.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit:

« Servandam esse consuetudinem ». Atque ita declaravit.

Die 9 Martii 1877.

3415. RAVENNATEN. (5685)

Ex conditione a Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Ravennatensis imposita cuidam Parocho eiusdem Civitatis, ad concionandum invitato in praedicta Metropolitana, non assumendi scilicet tempore concionis mozzettam et rochettum et Stolam aurifrygiatam, gravis exarsit controversia inter Capitulum praefatum et Conventum Parochorum eiusdem Civitatis. Quum enim Parochi dicto Conventui adscripti existiment se praefata insignia etiam in Metropolitana ex pontificiis concessionibus deferre posse, de re graviter conquesti sunt, ac ad sua iura protuenda recursum habuere ad Archiepiscopum. Verum quum res incassum ceciderit nec partes ad concordiam induci potuerint, controversia a Canonicis ad Sacram Rituum Congregationem delata est.

Quae primum super recursu Canonicorum exquisivit ab Archiepiscopo, ut auditis interesse habentibus, informationem et votum suum proferret; postea vero idem effecit super recursu conventus Parochorum. Isti vero, de abusibus Canonicorum in usu privilegiorum conquesti sunt et examini Sacrae Congregationis quinquaginta et octo dubia proposuerunt.

Postquam autem Sacra Congregatio omnia recepit, singula dubia tum a Canonicis tum a Conventu Parochorum proposita ad trutinam revocans, intellexit totam controversiam reduci posse, unico dubio sic exarato: An Parochis urbanis Ravennatibus liceat deferre insignia per rescriptum s. m. Benedicti Papae XIII et Breve s. m. Pii Papae VII iisdem concessa, quoties in Metropolitana Ecclesia, etiam praesente Capitulo, sacras conciones habent?

Cui quidem dubio Sacra eadem Congregatio, auditis informatione et voto Rmi Dni Archiepiscopi, et iuribus ex utraque

parte deductis mature accurateque perpensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; facto verbo cum SSm̃o: quoad alia vero proposita dubia, tam ex parte Capituli quam ex parte Conventus Parochorum, respondit: Lectum ».

Die 23 Martii 1877.

Facta autem de praedictis SSm̃o Dño Nostro Pio Papae IX per Cardinalem Sacrae Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua propositi dubii resolutionem adprobare et ratam habere dignata est die 25 eodem mense et anno.

3416. NULLIUS (5686)

SANCTAE LUCIAE.

Litteris ad Sanctam Sedem Apostolicam datis die 14 elapsi mensis Martii, Vicarius Capitularis Nullius Sanctae Luciae postulavit ut sibi daretur facultas administrandi Sacramentum Confirmationis, quod in territorio ad istam Praelaturam pertinente septem abhinc annis administratum non fuit.

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione illius instantiae per Secretarium facta, rescribere rata est:

« Negative; et ad mentem ». Mens autem est quod Vicario notum fiat ut quamprimum provideat pro administratione huiusmodi Sacramenti, invitando nimirum ac etiam deprecando aliquem Episcopum ad illud conferendum fidelibus istius Praelaturae, in qua Vicarii Capitularis munus gerit.

Romae die 14 Aprilis 1877.

3417. OSCEN. (5687)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Oscensis a Sacra Rituum Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem expostulavit; nimirum:

Dubium I. Praxis viget in praedicta Ecclesia Cathedrali, quod ille, qui Magistri Caeremoniarum munere fungitur, debeat etiam inservire de Palmatoria Canonicis in omnibus officiis. Quum autem id impedimento sit ut propria Caeremoniarii munia exercere valeat, quaeritur: Cuinam incumbat in Missis solemnibus canonicalibus Palmatoriam sustinere, ubi adest privilegium?

Dubium II. Sunt etiam in praefata Cathedrali quidam usus ritui Ecclesiae universalis contrarii; sicut viceversa, nonnulla sunt ab Ecclesia praescripta, quae in eadem Oscensi Cathedrali non vigent. Quaeritur: Quodnam sit in utroque casu Magistri Caeremoniarum munus?

Dubium III. Ecclesia Cathedralis Oscensis duos habet Titulares, scilicet Transfigurationem Domini, et Nativitatem Sancti Ioannis Baptistae. Quaeritur itaque

1. Possunt ne esse duo Titulares unius Ecclesiae? Et quatenus affirmative,

2. Gaudet ne uterque privilegiis ex Rubrica?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature perpensa et considerata, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Detur Decretum in una Senarum die 3 Augusti anni 1839 ».

Ad II. « Detur Decretum Generale Dubiorum diei 17 Septembris anni 1822, ad I ».

Ad III. Ad primam quaestionem « Affirmative ».

Ad secundam quaestionem pariter « Affirmative; dummodo sint aeque principales ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 14 Aprilis 1877.

3418. ASCULANA IN PICENO. (5688)

Exposuit Episcopus Asculanus in Piceno huic Sacrae Rituum Congregationi quod sub antecessore suo ita facile obtinebatur venia baptizandi domi, ut id pauperibus, cum medici tantum attestatione de aliquo periculo infantis si deferretur ille in Ecclesiam; divitibus autem sine ratione aliqua, sed tantum honoris gratia, concederetur.

Quum autem huic obstare praxi percupiat, veretur tamen ne id possibile sit, tum ob inductam praxim, tum ob temporum circumstantias. Quapropter ut tutius hac in re procedere possit, ab eadem Sacra Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem expetivit; nimirum:

Dubium I. An quando medicus testatur de aliquo periculo inducendi ad Ecclesiam infantem cuiuscumque conditionis, permitti ab Episcopo possit ut ille baptizetur domi cum omnibus caeremoniis?

Dubium II. An concedi possit Baptisma cum omnibus caeremoniis ministrari domi filiis personarum, quae relate ad Dioecesim Principibus aequiparari possint, etsi infirmi non sint?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia R. P. D. Promotoris S. Fidei et Rm̃i Dñi Assessoris, Episcopo significandum duxit quod ipse omnino curare debeat, prudenter tamen et caute, removere abusus

qui in hac re irrepserunt; efficiatque ut infantes ad baptizandum, iuxta praescriptionem et communem praxim, ad Ecclesiam deferantur.

Romae die 27 Aprilis 1877.

3419. CAPUANA (5692)

PORTUS ALOISII

ET SSMAE CONCEPTIONIS DE CHILE.

Quum non solum in fidelium domibus, sed etiam modo in Ecclesiis, venerationi soleant exponi imagines B. M. V. assertas quasdam eiusdem Virginis apparitiones repraesentantes, Emus et Rmus D. Card. Franciscus Xaverius Apuzzo Archiepiscopus Capuanus, Rmus D. Gulielmus Scharishik Episcopus Portus Aloisii et Rmus D. Iosephus Solas Episcopus SSmae Conceptionis de Chile a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humiliter postularunt; nimirum:

Dubium I. An possit ab Ordinariis permitti, vel saltem tolerari, ut ad publicam fidelium venerationem exponantur in Ecclesiis imagines seu simulacra B. M. V. sub titulo de *Lourdes* et *de la Salette,* nec non Immaculatae Conceptionis lucis radios e manibus emittentis?

Dubium II. Num ab Apostolica Sede approbatae fuerint apparitiones seu revelationes, quae contigisse perhibentur, quaeque cultui B. M. V. sub memoratis titulis causam praebuerunt?

Dubium III. An pium Sodalitium B. M. V. *de la Salette* dicatum ab Ordinario Dioecesano admitti valeat?

Dubium IV. An Festum B. M. V. sub eodem titulo cum Missa et ritu duplici primae classis cum octava ibidem celebrari possit?

Dubium V. An Litaniae speciales Apparitionis B. M. V. *de la Salette* ibi recitari valeant?

Quae quidem dubia quum Cardinalis Praefectus in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis votis tum alterius ex Consultoribus Theologis tum Rmi D. Assessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere:

Ad I. « Affirmative; servatis tamen cautelis, praesertim Decreto Sacrosanctae Tridentinae Synodi de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum nec non sacris Imaginibus Sess. XXV praescriptis, et s. m. Urbani VIII Constitutione *Sacrosancta Tridentina Synodus,* diei 15 Maii 1642 confirmatis ».

Ad II. « Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam. Nihil proinde obstare quin Ordinarii pari ratione se gerant: facta desuper (si de opere typis vulgando agatur) in eodem sensu opportuna declaratione seu protestatione, ad tramitem Decretorum praelaudati Urbani Papae VIII ».

Ad III. « Affirmative; sed in admissione dicti Sodalitii stetur, quoad titulum, praxi adhibitae in approbatione eiusmodi Confraternitatis Romae erectae in Ecclesia Sancti Salvatoris in Thermis; nimirum *Beatae Mariae Virginis Reconciliatricis peccatorum,* vulgo *de la Salette* ».

Ad IV. « Negative; nisi de speciali et expressa Apostolica facultate ».

Ad V. « Negative ».

Atque ita rescripsere ac servari mandarunt.

Die 12 Maii 1877.

3420. VIVARIEN. (5693)

Rmus D. hodiernus Episcopus Vivarien. a Sacra Rituum Congregatione humiliter insequentis dubii solutionem expostulavit; nimirum:

An publicae venerationi, prouti in pluribus suae Dioeceseos locis iam obtinet, exponi possint simulacra seu statuae D. N. I. C. suum Cor sacratissimum monstrantis Beatae Margaritae Alacoque ad eius pedes provolutae?

Quod quidem dubium quum Cardinalis Praefectus in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, auditis votis tum alterius ex Consultoribus Theologis tum Rmi D. Assessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere:

« Negative, inconsulta Sede Apostolica; iuxta Decretum s. m. Alexandri Papae VII, die 27 Septembris 1659 (N. **1130**) ». Atque ita rescripsere ac servari mandarunt.

Die 12 Maii 1877.

3421. RATISBONEN. (5694)

Eques Fridericus Pustet Typographus Ratisbonensis, novam Missalis Romani editionem cudere volens, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime imploravit; nimirum:

Dubium I. In ultimo Tractus versu Festi Annuntiationis B. M. V. die 25 Martii legitur: *Adducentur in laetitia et exultatione: adducentur in templum regis.* Quum hic Tractus idem sit cum Tractu ex Missa *Dilexisti* de Communi Virginum, videtur legendum *afferentur in laetitia etc.*

Dubium II. Feria VI post Dominicam Passionis in Secreta Missae Septem Dolorum B. M. V. non videtur legendum: *Suae suorumque sub cruce sanctorum consortium multiplicato piissimo interventu;* sed potius *suo suorumque etc.*

Dubium III. In Ordine Missae post *Lavabo* in Oratione: *Suscipe, Sancta Trinitas,* plures recentiores Rubricistae graves dicunt loco *in honorem B. Mariae semper Virginis* esse legendum: *in honore B. M. semper Virginis.* Estne horum sententia sequenda et correctio hoc in loco Missalis facienda?

Dubium IV. Festum Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris die 9 Novembris in Rubricis Generalibus Missalis (Titul. XI de Symbolo) inter ea Festa numeratur, in quibus dicitur: *Credo.* Nonne est apponenda in hoc Festo Rubrica: *Et dicitur Credo;* uti in Festo Dedicationis Basilicae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die 18 Novembris?

Dubium V. Inter benedictiones diversas, quae in Missali inveniuntur: *Benedictio loci* concluditur: *nunc et in omnia saecula saeculorum.* Dum in Rituali a Sacra Rituum Congregatione approbato conclusio sonat: *nunc et semper.* Quid rectius?

Dubium VI. In Missa S. Bonifacii Episcopi et Martyris modo apponenda in corpore Missalis est ne pro *Lectio Libri Ecclesiastici,* substituendum: *Lectio Libri Sapientiae?*

Idem orator exquisivit etiam ut sequentia dubia circa cantum ecclesiasticum decidantur, quum in ea materia Magistri chorales valde inter se dissentiant; videlicet:

Dubium I. Estne canendum: *Gloria in excelsis* et *Ite Missa est* in tono de B. M. V. infra octavas Nativitatis Domini et Corporis Christi, uti iidem Magistri ex Graduali Romano a Sacra Rituum Congregatione approbato argumentantur?

Dubium II. Et si affirmative, estne canendum eodem modo etiam in Festo S. Stephani Prot., S. Ioannis Ap. Ev. et in Festis infra octavam Nativitatis, sicut in omnibus Festis infra octavam Corporis Christi incidentibus?

Dubium III. Et si rursus affirmative, estne canendum in genere: *Gloria in excelsis* et *Ite Missa est,* quoties Praefatio de Nativitate Domini dicenda est, in tono de B. M. V.?

Sacra vero Rituum Congregatio, re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Legendum: *adducentur in laetitia* ».

Ad II. « Legendum; *suo suorumque etc.* ».

Ad III. « Legendum: *in honorem* ».

Ad IV. « Legendum: *Et dicitur Credo* ».

Ad V. « Legendum *nunc et in omnia saecula saeculorum* ».

Ad VI. « In Missa S. Bonifacii ad Epistolam legendum: *Lectio Libri Sapientiae* ».

Relate vero ad dubia quoad cantum, rescribendum censuit:

Ad I, II et III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 25 Maii 1877.

3422. ARETINA. (5696)

Caeremoniarius Episcopi Aretini, quando Episcopus solemniter cantat Vesperas, solet distribuere antiphonas iuxta ordinem in Caeremoniali Episcoporum praescriptum; quarta autem antiphona intonatur a primo Canonico in Choro manente in cornu Evangelii; quum Cathedra episcopalis sita est in eodem cornu Evangelii et unita sedibus Canonicorum. Caeremoniarius vero Rmi Capituli S. Mariae Plebis eiusdem Civitatis putat quod quarta antiphona non a primo Canonico in Choro manente in cornu Evangelii, sed ab altero primo Canonico in Choro manente in cornu Epistolae sit intonanda; propterea quod antiphonae post celebrantem intonandae sint ab iis qui digniorem hinc inde Chori locum occupant; et propterea quod in hac antiphonarum intonatione non persona sed locus attenditur. Et hic secundus Caeremoniarius arbitratur quod post episcopalem Cathedram, ut supra positam, sit a cornu Epistolae, non a cornu Evangelii, primus Chori locus.

Ad quam quaestionem solvendam duo Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt dubia; videlicet:

Dubium I. Quinam sit primus Chori locus in Ecclesia Cathedrali post episcopalem Cathedram?

Dubium II. A quonam primo Canonico intonanda sit quarta antiphona in Vesperis solemniter ab Episcopo cantatis? ab eo nempe manente in cornu Epistolae, an ab altero manente in cornu Evangelii?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita relatione a Secretario facta, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Primus locus in casu est qui immediate sequitur Cathedram episcopalem ».

Ad II. « A primo Canonico e digrioribus seu senioribus ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 19 Iunii 1877.

3423. CASERTANA. (5699)

Nonnullis abhinc annis in Casertana Dioecesi quaestio orta est Parochos inter et Cappellanos Confraternitatum, quae publicum proprium Oratorium a parochiali Ecclesia seiunctum habent; nimirum: Ad quem spectet facere Officium funebre super cadaveribus, quae ad Confraternitatum Oratoria deferantur? ad Parochum nempe aut ad Cappellanum? Parochi contendunt huiusmodi Officium facere ad ipsos spectare, quando defunctus est proprius subditus, iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis, quae in una Urbis et Orbis sub die 10 Decembris 1703 ad Dubium 20: An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus in Oratoriis publicis Confraternitatum? Respondit: Affirmative; quando tumulandus est subditus Parochi, intra cuius fines est Oratorium.

Cappellani vero opponunt Decretum ab ipsa Sacra Rituum Congregatione in Mexicana sub die 3 Septembris 1746 emissum, in quo statutum legitur quod, si cadaver deferatur ad Ecclesiam a parochiali diversam, ad Rectorem seu Cappellanum huius Ecclesiae, non vero ad Parochum, spectat Officium funebre facere super corpus defuncti.

Hisce expositis, Rm̃us Dominus hodiernus Episcopus Casertanus ab eadem Sacra Rituum Congregatione petiit insequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. Utrum primo, an secundo Decreto standum sit in exposita controversia, ut sic liti Parochos inter et Cappellanos Confraternitatum finis imponatur?

Dubium II. Anne sub nomine Ecclesiae, ut in secundo Decreto, etiam publica Confraternitatum Oratoria comprehendantur?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « Stetur Decreto diei 10 Decembris 1703 ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 7 Iulii 1877.

3424. TREVIREN. (5700)

Rm̃us Dñus Ioannes Iacobus Idrast Episcopus Castoriensis, Auxiliaris Trevirensis, SSm̃o Domino Nostro Pio Papae IX exposuit quod Canonici et Vicarii omnes, duobus exceptis, aetate iam provecti sunt, ita ut pauci Missam Conventualem cantare possint; quatuor autem ita infirmitatibus laborent, ut ne Missam quidem celebrent. Quum autem orator, qui simul Canonici munere fungitur, iuxta Concilium provinciale Coloniense anno 1860, ad celebrationem Missae cantatae et Vesperarum, quae ei ex ordine sive turno in propria hebdomada incumbit, alium in sui locum subrogare obligatus sit, (quod ob circumstantias praedictas vix fieri potest) et quum difficultates istae de die in diem augeantur, quia modernae leges impediunt ne defunctis vel aegrotis Canonicis et Vicariis alii substituantur; hinc SSm̃um eumdem Dominum Nostrum de consensu Rm̃i Archiepiscopi Coloniensis instantissime rogavit ut ipsi licentiam hasce Missas cantatas ac Vesperas celebrandi clementer concedatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione expositorum ab eiusdem Secretario facta, rescribere rata est:

« Attentis ac durantibus circumstantiis, in defectu Canonici ad servitium Altaris ad quod teneretur orator, ipse destinet aliquem de numero Beneficiariorum vel alium de Clero ». Atque ita rescripsit et indulsit. Die 7 Iulii 1877.

3425. TAURINEN. (5701)

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, subsignata die ad Vaticanum habita, quum a Secretario proposita fuerit petitio artificis Taurinensis Ioseph Rua; ut admitti possit usus cuiusdam machinae ab ipso constructae, cuius ope elevaretur ac deponeretur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur?

Em̃i et Rm̃i Patres, re accurate perpensa, unanimi suffragio responderunt: « Negative ».

Die 7 Iulii 1877.

3426. GALLIARUM (5702)

SOCIETATIS PRESBYTERORUM

SSMI SACRAMENTI.

Hodiernus Praepositus Generalis Presbyterorum Congregationis SSmi Sacramenti Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia dissolvenda proposuit; nimirum:

Dubium I. De iure licet addere Commemorationem SSmi Sacramenti in Missis privatis in Ecclesiis ubi SSmum Sacramentum manet expositum. Hinc quaeritur: An ista Commemoratio sit omnino omittenda in Festis Domini Nostri Iesu Christi, v. g. in Missis de Mysteriis Passionis, in Feriis VI in Quadragesima, per Octavam Paschatis, Ascensionis, Transfigurationis etc.?

Dubium II. In quibusdam locis coram SSmo Sacramento cantantur haec verba: *Adoremus in aeternum SSmum Sacramentum.* Quaeritur: An retineri possit talis usus cum istorum verborum sensus appareat non omnino clarus et sit forte minime rectus?

Dubium III. Festum Anniversarii Dedicationis SSmi Salvatoris die IX Novembris occurrens, ex benigna Sanctae Sedis concessione, in Congregatione praedicta celebratur sub ritu duplici primae classis cum octava. Hinc quaeritur: An in occurrentia huius Festi cum Anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, postremum hoc Festum sit transferendum; vel potius omittendum; et quatenus transferendum: An praecedentiam habere debeat erga Festum S. Andreae, cuius Officium in tali casu transfertur, ratione Dominicae primae Adventus?

Dubium IV. An liceat Alumnis praedictae Societatis audire in sacro tribunali Confessiones, adhibita tantum Stola violacei coloris et sine superpelliceo?

Dubium V. Utrum ipsi in publicis Processionibus incedere debeant immediate ante Clerum secularem et post Ordines Regulares ex. gr. Sanctorum Francisci et Dominici; an ante illos?

Dubium VI. An Minister in Missa privata iusta de causa ad Altare, ubi SSmum Sacramentum est expositum, celebrata, debeat genuflectere utroque genu; vel solum uno, quoties transit intra Missam ante medium Altaris, praecipue cum transfert librum ante Evangelium, et post sacras oblationes?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente Secretario, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa ac considerata, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Commemorationem fieri posse iuxta alia Decreta, dummodo Missa non versetur in eodem mysterio ».

Ad II. « Retineri posse ».

Ad III. « Quatenus Presbyteri Societatis SSmi Sacramenti in Civitate Episcopali degentes Ecclesiam consecratam minime habeant, ad primam partem, Affirmative; ad secundam, provisum in prima; ad tertiam, serventur translationis regulae ».

Ad IV. « In Ecclesia servetur Rituale Romanum ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; quatenus ipsi intersint publicis Processionibus cum superpelliceo et bireto clericali; ad secundam, provisum in prima ».

Ad VI. « In accessu et recessu utroque genu; intra Missam unico genu ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 7 Iulii 1877.

3427. NEO-EBORACEN. (5703)

Director quarumdam Ephemeridum Catholicarum, quae typis cuduntur Neo-Eboraci, a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit num prohibitum sit in libris nuncupatis *Devotionis* textui latino Ordinis Missae, ac praesertim Canonis, addere versionem in lingua vulgari?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audito voto R. P. D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris, declarare censuit:

« Libros eorumque versiones in lingua vernacula, de quibus agitur, a canonicis praescriptionibus et Apostolicis Decretis Episcoporum auctoritati omnino reservari; ideoque licitum non esse fidelibus horum uti editionibus, nisi istae expressam praeseferant Episcoporum approbationem ». Atque ita declaravit.

Die 4 Augusti 1877.

3428. ORDINIS (5704)

PRAEMONSTRATENSIS.

Iosephus Willestren Abbas nec non totus Conventus Monasterii Montis Dei Ordinis Praemonstratensis in Dioecesi Baiocensi in Gallia humiliter exponunt se vi statutorum Ordinis sui adstringi sub mortali, in Choro, ad recitationem Officii Defunctorum die 2 Novembris, item ad recitationem Litaniarum

in die S. Marci ac triduo Rogationum. Eadem vero statuta tacent de privata recitatione ex parte eorum qui sunt extra Monasterium.

Quaeritur igitur ad tollendas anxietates: An ipsi aliunde teneantur sub aliquo peccato ad privatam huiusmodi recitationem?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, rescribere rata est:

« Affirmative; id est teneri prout tenentur quotquot Horas Canonicas recitandi onus habent ». Atque ita declaravit.

Die 4 Augusti 1877.

3429. GENEVEN. (5705)

R. D. Iosephus Andreas Broquet Rector seu Vice-Parochus in Civitate Genevensi, de venia Rmi sui Ordinarii Dioecesani, exposuit Sacrae Rituum Congregationi Ecclesiam Matricem Paroeciae sub titulo S. Germani Antisiodorensis a novis haereticis, quos catholicos liberales vocant, usurpatam ac profanatam fuisse, sedemque Paroeciae ab hac ad aliam Ecclesiam recenter erectam et tantum benedictam, sed non consecratam, sub titulo SSmi Cordis Iesu, fuisse translatam; unde instanter petiit:

I. Num Festum SSmi Cordis Iesu sub ritu duplici primae classis cum octava, tamquam titulare sit celebrandum?

II. Num adhuc servari debeat Festum S. Germani sub ritu primae classis cum octava?

III. An de utroque Titulo suffragium sit faciendum?

IV. Quisnam ex eis nominandus in Oratione: *A cunctis?* vel potius mentio fieri debeat de Patrono loci, cum Ecclesia non sit consecrata?

Et quatenus responsum fuerit affirmative ad II dubium, idem orator enixe expetiit ut Festum dicti S. Germani, quod multis ab annis ex falsa interpretatione indulti Emi Cardinalis Caprara pro reductione Festorum celebratum fuit Dominica proxime insequenti, licet S. Germanus sit tantum Titularis Ecclesiae, non autem Patronus loci, celebrari queat sicut antea, scilicet per Missam cantatam de S. Germano in Dominica proxime insequenti.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione eiusdem Secretarii, omnibus mature perpensis, declaravit: « In casu, et quatenus opus sit, utendo facultatibus sibi specialiter a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX tributis, indulsit ut quoad divinum Officium interim nihil innovetur; haud excluso tamen Titulari novae Ecclesiae, de quo omnia peragenda sunt iuxta Rubricas, Titulares Ecclesiarum respicientes ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Augusti 1877.

3430. SORANA. (5707)

Sacerdos Iacobus Orlandi Abbas Parochus Ecclesiae a Sanctis Ioanne Baptista et Ioanne Evangelista nuncupatae, in oppido Gallinarii intra limites Dioeceseos Soranae, a SSmo petiit: ut ad satisfaciendum devotioni et pio desiderio suorum parochianorum publicae venerationi exponi possit imago B. M. V. Lauretanae, illam substituendo tabulae quae repraesentat animas Purgatorii. Patronus Cappellae mutationi assensum suum praestitit, sub conditione tamen quod titulus Purgatorii non immutetur, et circa statuam apponantur emblemata apta ad significandum titulum Purgatorii.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia Episcopi Sorani de informatione et voto requisiti, auditoque voto Sanctae Fidei Promotoris, ipsi Episcopo significandum duxit:

« In casu de quo agitur, non requiri specialem Apostolicam facultatem, ac nihil obstare quominus Deiparae effigies super Altare exponatur, dummodo caveatur ne aliquod adsit inconveniens ».

Die 11 Augusti 1877.

3431. OVETEN. (5708)

Rmus D. Benedictus Sans y Fores Episcopus Oveten., ut circa liturgiam omnia recte atque ordinate procedant, insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi solvenda proposuit; videlicet:

PARS PRIMA

Dubia circa recitationem Officii.

Dubium I. Ad Officium Titularis Ecclesiae parochialis sub ritu duplici primae classis cum octava tenentur ne tantum Parochi seu Vice-Parochi, an etiam Coadiutores ad nutum eis ab Ordinario dati, ut in administratione Sacramentorum aliisque parochialis officii ministeriis, iisdem inserviant?

Dubium II. Statutum fuit de communi consensu inter Apostolicae Sedis Nuncium

in Hispania et civilem potestatem ut Coadiutoriae, iuxta novissimam Conventionem instituendae, sint perpetuae, collativae veraque ecclesiastica beneficia: quod tamen numquam fit ob rerum perturbationem, quae executionem illius Conventionis impediunt. Et si negative ad primum dubium, Quaeritur: tenenturne, post executionem praedictae Conventionis, tamquam Beneficiarii atque adscripti stricte?

Dubium III. Ex Coadiutoribus nonnulli ab Ordinario adscribuntur servitio Parochorum, qui praeter Ecclesiam parochialem aliam filialem habent, ut ibi residentes omnia vel nonnulla Sacramenta, Viaticum et Extremam Unctionem saltem, fidelibus ministrent a Parocho dependentes. Tenenturne Coadiutores ad Officium Titularis illius Ecclesiae parochialis; vel tenetur Parochus tantum, vel ambo?

Dubium IV. Qui titulo Patrimonii ordinantur, statim alicui Ecclesiae adscribuntur ut in ea Missam celebrent et Parochis inserviant, non tamen tamquam proprie Coadiutores. In his Ecclesiis Officium choraliter non recitatur. De iure videtur non debere illos nec posse Officium Titularis recitare sub ritu duplici primae classis; nonnulli tamen teneri se iudicant ex titulo adscriptionis, et de facto recitant. Sustinerine potest et ad omnes haec praxis extendi?

Dubium V. Maxima Paroeciarum pars huius Dioeceseos ex variis oppidulis seu pagis efformatur; nonnullae ex uno tantum. Ab immemorabili Titularis Ecclesiae parochialis tamquam Patronus loci seu locorum eiusdem Paroeciae colitur eiusque dies a fidelibus uti Festus habetur sub utroque praecepto. Iis in Paroeciis tenenturne omnes Clerici ad Officium Titularis, tamquam Patroni loci seu locorum?

Dubium VI. Titulo Cappellaniae collativae sacros Ordines susceperunt non pauci. Hae Cappellaniae, non tantum in Altaribus seu Cappellis Ecclesiarum parochialium fundatae fuere, sed etiam in parvis Sacellis intra Nobilium domus et in pagis aedificatis, cum onere celebrandi Missam et populum docendi sive omnibus Dominicis sive aliquando iuxta fundationem. Ex his Cappellanis sunt qui ad Titularis suae Cappellae, ab Ecclesia parochiali separatae, Officium sub ritu duplici primae classis cum octava existimant se teneri et de facto illud recitant; etiamsi postea Parochiam titulo proprio vel in oeconomatu teneant, et onera Missarum locatim adimpleant per alium in Cappella: alii vero minime se obligatos censent. Tenentur ne tales Cappellani ad recitationem Officii Titularis Cappellarum, separatim a parochiali Templo extructarum?

Dubium VII. Ex Parochis sunt nonnulli, qui aliam Ecclesiam (vel Sacellum) habent praeter parochialem, non tamen stricte filialem declaratam; sed ex antiquo, annuente Ordinario, pro commoditate fidelium longe a Parochia degentium, ibidem per se vel per alium Missam celebrant et in nonnullis Sacramenta, praeter Baptismum, administrant. Tenenturne ad Officium Titularis praefatae Ecclesiae recitandum?

PARS SECUNDA

Dubia circa Officia Titularium.

Dubium I. Nonnullae ex Paroeciis titulo Ss. Iusti et Pastoris vel Ss. Cosmae et Damiani fuerunt erectae. Una invenitur titulo S. Iusti tantum, alia titulo S. Cosmae, tertia denique S. Hemeterii, cui in Calendario Hispaniae coniunctim cum eius fratre S. Celedonio eodem die Officium assignatur: die IX Augusti S. Iustus cum fratre Pastore celebratur in Hispania; die XXVII Septembris S. Cosma cum Damiano fratre Officium habens; die XVIII Novembris S. Acischis, cui cum sorore Victoria Officium datur in Hispania. Hi omnes in Lectionibus secundi Nocturni ita copulantur, ut separari non possint; praesertim cum iisdem loco, tempore et tormentis Martyrium consummaverint. Merati in additione ad Gavanti Commentaria Tom. II, sect. III, cap. X: *De occurrentia Officii divini* seu *de Translatione Festorum* § VIII ait: « Non esse dividendos eos Sanctos, qui iuncti sunt per se, et quasi ex natura rei, cum videlicet aliqua inter eos consanguinitas vel affinitas intersit: Ss. igitur Marcus et Marcellianus qui erant fratres ideo non sunt dividendi, licet in praedicta Ecclesia reperiatur Reliquia insignis tantum de S. Marcelliano. Qui non sunt pariter dividendi etiamsi unus eorum esset Patronus vel Titularis ». In Decreto autem Sacrae Rituum Congregationis 2 diei Maii 1801 legitur: « Si Officium celebrandum sit sub ritu inferiori, non esse separandum Festum Sanctorum Septem Fratrum, sed de omnibus Officium coniunctim peragendum ». Quatenus sequi non liceat Merati doctrinam, quomodonam ordinandum erit Officium in praefatis diebus? praesertim, quando,

pro Sanctis separandis et transferendis, intra octavam S. Titularis, nulla sit dies libera? Notandum est quod Ss. Hemeterius et Celedonius Orationem et Hymnos habent proprios; et Ss. Iustus et Pastor non tantum Orationem et Hymnos, sed Antiphonas, responsoria, Lectiones in tertio Nocturno, et Missam (1).

Dubium II. Titulares sunt S. Georgius M. die XXIII Aprilis, S. Felix Africanus die I Augusti, S. Mamas die XVII Augusti, S. Rosa Viterbiensis die IV Septembris, S. Aemilianus Conf. XII Novembris et S. Saturninus Ep. M. XXIX Novembris; de quibus in aliis Dioecesibus Hispaniae Officium celebratur cum Lectionibus pro secundo Nocturno approbatis, et in Officio S. Mamantis, etiam pro tertio Nocturno. Postulat orator extensionem earum Lectionum pro Ecclesiis Dioecesis, in quibus Titulares sunt praefati Sancti cum decem sint Paroeciae S. Felicis, et sic de S. Mamante etc.

Dubium III. Inter S. Felicis Ecclesias una est perantiqua, in qua ab immemorabili Officium celebratur non die I Augusti sed XIX Februarii et tunc populus Festum in utroque foro servat. In illa etiam imago S. Felicis, duobus abhinc seculis sculpta, mitra et baculo est insignita. In antiquis et recentioribus Ecclesiae scriptis, Parochia S. Felicis M. tantum nuncupatur; sicut reliquae Parochiae quae eumdem habent Titularem S. Felicem Africanum et eum die I Augusti venerantur. Ratio celebrandi Officium die XIX Februarii alia esse nequit, nisi quod in antiquo Breviario Ovetensi hac die de eo fiebat. Legitur enim: « XIX Februarii Ss. Felicis et Machabaeorum Mm. (fuit I Augusti) ». Hinc eruitur S. Felicem Africanum esse huius Ecclesiae Patronum. Relinquendum est ne ibi Officium in die XIX Februarii vel potius in die I Augusti reponendum? Quid de praecepto audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus usque nunc a populo servato, si ad I Augusti transferatur Officium? Nonne conveniens erit Festum pro foro externo in eadem die relinquere ad evitanda scandala fidelium, qui in sua rusticitate de his discernere nequeunt?

Dubium IV. Dies in Martyrologio S. Christophoro assignata est XXV Iulii, in quo celebratur Festum S. Iacobi Apostoli Hispaniae Patroni; S. Christophorus ergo transferri debet. In citato Breviario Ovetensi de illo fiebat die XXVII eiusdem mensis, et in una saltem ex Paroeciis illius Sancti hac ipsa die ex tunc celebratur ut Titularis, translato S. Pantaleone, qui ritu semiduplici in Hispania celebratur. Poteritne pro aliis haec ipsa dies perpetuo tamquam propria S. Christophoro assignari iuxta antiquum Breviarium, ab illa octavam incipiendo, ne nimium retardetur Officium S. Titularis, cum nulla dies vacua inveniatur usque ad XXVI Augusti?

Dubium V. S. Hadrianus Martyr trium Parochiarum Titularis est. Ex his in una numquam de eo fiebat Officium, in aliis die VIII Septembris, translato Officio Nativitatis B. M. V.: in antiquo autem Breviario Officium S. Hadriani in Dioecesi celebrabatur die VII eiusdem Septembris ne Festum Nativitatis transferretur. Potestne in posterum ita fieri, recitando Officium Titularis die VII Septembris, vel die IX, sicut in Dioecesi Salmanticen., in qua sub ritu semiduplici ab omnibus celebratur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit:

1. Quoad Dubia circa recitationem Officii:

Ad I. « Ad Officium Titularis Ecclesiae teneri quoque Coadiutores in casu ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; ad alteram, teneri Parochum tantum ».

Ad IV. « Negative; iuxta Decretum in una Mechlinien. diei 7 Decembris 1844, in responsione ad dubii I quaestionem 1 ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Negative ».

Ad VII. « Negative ».

2. Quoad vero Dubia circa Officia Titularium:

Ad I. « Praedictos Sanctos per se et ex natura rei coniunctos et eodem die in Calendario descriptos, quorum vel alter est Titularis Ecclesiae, vel alterius insignis Reliquia asservatur in Ecclesia, non esse separandos ».

Ad II. « Pro gratia, iuxta petita ».

Ad III. « Nihil innovandum ».

(1) E. Dub. II, VII, VIII et IX.

Ad IV. « In praefatis Ecclesiis tantum, hanc consuetudinem tolerari posse ».

Ad V. « Die octava Septembris celebrandum esse Festum S. Hadriani Titularis Ecclesiae, translato in diem primam liberam Officio Nativitatis B. M. V. iuxta Rubricas ».

Atque ita rescripsit, indulsit et servari mandavit.

Die 11 Augusti 1877.

3432. ABELLINEN. (5709)

Sodalitas B. M. V. de Carmelo in oppido, cui nomen vulgo *Monteforte* intra limites Dioecesis Abellinen. a SSmo D. N. Pio Papa IX fuit anno superiore ad Archisodalitatis iura et honores elevata. Verum aliae Sodalitates ibi existentes iura ipsius recognoscere nolunt, ideoque praecedentiam denegant. Hinc Moderatores ipsius Archisodalitatis a Sacra Rituum Congregatione declarari petierunt : An praecedentia in functionibus ecclesiasticis ipsi debeatur super reliquas Sodalitates, excepta Processione SSmi Corporis Christi?

Quum autem earumdem preces fuerint in Sacrorum Rituum Congregatione relatae per Secretarium, Sacra eadem Congregatio, audita sententia Rmi Dni Episcopi Abellinen. :

« Praecedentiam declaravit Archisodalitati B. M. V. de Carmelo deberi super ceteras Archisodalitates, si quae fuerint post eam creatae, ac supra omnes Sodalitates, excepta Processione SSmi Corporis Christi ». Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Augusti 1877.

3433. PATAVINA. (5710)

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis s. m. Gregorius Papa XVI, ad preces Rectoris Ecclesiae Sancti Nicolai in Civitate Patavina, benigne indulsit ut in ea Ecclesia Festum S. Constantii Mansionarii Anconitani celebraretur die 23 Septembris sub ritu duplici minori a Sacerdotibus illius Ecclesiae servitio stricte addictis.

Quum autem pia Unio vulgo appellata *dei Santesi* in praedicta Ecclesia canonice erecta per aliud Decretum eiusdem S. Congregationis obtinuerit a SSmo Dno Nostro Pio Papa IX ut Festum S. Constantii ex die 23 Septembris amandari valeat cum omnibus Missis ad aliquam ex diebus ferialibus infra octavam occurrentibus, Sacerdotes memoratae Ecclesiae servitio addicti sequentia dubia eidem Sacrae Congregationi pro opportuna solutione proposuerunt; nimirum:

Dubium I. An secundum Decretum comprehendat, praeter celebrationem Missae, etiam Officii recitationem pro Sacerdotibus Ecclesiae servitio addictis?

Dubium II. Et quatenus affirmative, an dies XXIII Septembris sit pro iisdem Sacerdotibus libera, ita ut ipsi debeant sequi Calendarium Dioecesanum, et sic persolvere Officium S. Theclae V. M., pro qua tamen vi prioris Decreti, assignata fuerat dies tertia Octobris?

Dubium III. An Sacerdotes Ecclesiae servitio strictius addicti censendi solummodo sint Parochus et Cappellanus Curatus, atque etiam duo Vicarii Coadiutores; qui etsi habeant obligationem assistendi Parochum in animarum cura, ad Officium tamen duarum Ecclesiarum succursalium quoque tenentur?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito R. P. D. Promotore S. Fidei, omnibus rite perpensis, rescribere rata est :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Detur Decretum in Oveten. die 11 huius mensis editum ».

Atque ità rescripsit ac servari mandavit.

Die 18 Augusti 1877.

3434. ANGREN. (5711)

Rmus D. hodiernus Episcopus Angrensis a Sacra Congregatione humillime insequentium dubiorum solutionem exquisivit; nempe :

Dubium I. An Episcopus Ecclesiam ingrediens cappa magna vel rochetto indutus caput cooperire possit cum bireto, postquam se et alios aqua benedicta asperserit, ad altare SSmi Sacramenti progrediens? (1)

Dubium II. Utrum debeat Episcopus textum Evangelii osculari, et *Per evangelica dicta etc.* dicere, quando Missae solemni assistit rochetto et mozzetta tantum indutus?

Dubium III. Utrum possit Episcopus cauda uti, quando SSmum Sacramentum adorationi expositum est?

Dubium IV. An Episcopus sanctum verae

(1) E. dub. II et III.

Crucis lignum in Processionibus portans, mitra uti possit?

Dubium V. An Presbyter solemniter celebrans, quoties sedet, sacris Ministris salutationem reddere debeat caput aperiens, vel inclinationem tantum facere capite cooperto?

Dubium VI. Utrum celebrans coram SSmo Sacramento publice exposito genuflectere duplici genu tantum debeat in plano Altaris, quando ad Altare pervenit et ab eo discedit?

Dubium VII. An caput detegere debeant qui sedent in Choro, quando verba *Tu autem, Domine, miserere nobis* in fine Lectionum recitantur?

Dubium VIII. An Presbyter Missam solemnem celebrans, concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicere possit?

Sacra Rituum Congregatio, exquisito alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto, propositis dubiis maturo examine perpensis, sic rescribere censuit:

Ad I. « Negative, ad tramitem Caeremonialis Episcoporum ».

Ad II. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad III. « Affirmative, quatenus solemniter celebret ».

Ad IV. « Affirmative; et detur Decretum in una Mutinen. ad IV die 23 Septembris 1837 ».

Ad V. « Servetur consuetudo ».

Ad VI. « Detur Decretum in una Marsorum in responsione ad 47, 12 Novembris 1831 ».

Ad VII. « Negative, nisi adsit consuetudo ».

Ad VIII. « Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 18 Augusti 1877.

3435. ILLERDEN. (5712)

Marianus Puigat y Amigo cl. me. Episcopus Illerdensis Provinciae Ecclesiasticae Tarraconensis, novis editis Constitutionibus sub nomine vulgo *Regolamento Provisionale,* suffultus Decreto Concilii Provincialis secundi, quo statutum fuit ut Doctores et Licentiati in sacra theologia vel iure canonico, Commensales aut Beneficiati primum et immediatum ante ceteros Commensales seu Portionarios, tum in Choro quam in Processionibus obtineant locum, servatis cuiusque in praecedentia doctoratus antiquitate, novam induxit huiusmodi disciplinam ab universo Clero suae Ecclesiae Cathedralis observandam. Iamvero Sacerdos Felix Costa, praefatae Cathedralis Ecclesiae Illerdensis Magister Caeremoniarum non graduatus, sed a quadraginta tribus annis in presbyteratus ordine constitutus, aegre ferens quod Neosacerdos graduatus Sedem choralem praececedentiae in vim praedicti Decreti sibi arriperet, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem petiit; nimirum:

Dubium I. An talis dispositio dicti *Regulamenti provisionalis* sit admittenda et retinenda?

Dubium II. Et supposito quod affirmative, an talis canonica praescriptio sit ab omnibus choralibus servanda?

Dubium III. An talis Constitutio Synodi Tarraconensis possit stare vel aliquam vim obtinere, quum pugnet adversus tam repetita Decreta Sacrae Rituum Congregationis constituentia veram dignitatem in Sacerdotio?

Dubium IV. An orator restitui debeat in sua Sede praecedentiae, licet non sit graduatus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, declarare censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II, III et IV. « Provisum in primo », Atque ita declaravit ac servari mandavit. Die 1 Septembris 1877.

3436. SOCIETATIS IESU. (5713)

Director Calendarii pro divino Officio persolvendo Missisque celebrandis a Patribus Provinciae Aragoniae Societatis Iesu sequentia dubia humillime Sacrae Rituum Congregationi enodanda proposuit; nimirum (1):

Dubium I. Quum Rubricae Generales praescribant praeter Orationes communes seu Suffragia Sanctorum posita post Vesperas Sabbati faciendam esse commemorationem Tituli vel Patroni; quaeritur:

1. Utrum pro Titulo intelligendus sit Titulus Ecclesiae Cathedralis; an propriae Ecclesiae Regularis?

2. Num, si fiat Commemoratio Patroni

(1) E. Dub. I.

loco Tituli, liberum sit eligere Patronum totius Regni prae Patrono Dioecesis et Civitatis?

Dubium II. Sacra Rituum Congregatio decrevit Regulares debere se conformare Officio Communitatis, in qua, licet ut mere transeuntes, habitant. Quaeritur utrum Decretum intelligendum sit de illis solis Regularibus recitantibus Officium divinum in Choro, ut nonnulli opinantur; an de omnibus indiscriminatim, licet ad Chorum non teneantur?

Dubium III. Cum iuxta Rubricas apponenda sit Collecta de SSmo Sacramento, disputatur de loco ubi ponenda est; et origo diversarum sententiarum habetur in diversa interpretatione Decreti Sacrae Rituum Congregationis in una Mechlinien. ad 1, sub die 16 Februarii 1737, quod his verbis concipitur, videlicet: An dum Missa cantatur coram Ven. Sacramento in Altari exposito debeat fieri Commemoratio de Venerabili ante omnes alias commemorationes, vel post omnes Orationes de praecepto dicendas? Et S. Congregatio respondit: « Esse faciendam Commemorationem de Sacramento post alias omnes Orationes de praecepto ». Alii siquidem innixi verbis huius Decreti fieri debere dicunt Commemorationem de Venerabili post Orationes omnes Officii illius diei; alii e contra post Orationes non solum illius diei, sed et post ab Episcopo imperatas, si quae habentur?

Dubium IV. Petentibus quamplurimis Archiepiscopis et Episcopis Hispaniarum, elevatum est ad duplex primae classis cum octava et extensum ad totam Hispaniarum ditionem Officium de B. M. V. de Columna, vulgo *del Pilar,* quod antea erat proprium Regni Aragoniae dumtaxat; in Decreto autem extensionis a Sacra Rituum Congregatione concessae haec leguntur: « Has porro fervidas preces a Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas, Sanctitas Sua clementer excipiens indulsit ut ab omnibus qui in Hispania ad Horas Canonicas tenentur, in Festo B. M. V. de Columna seu *del Pilar* ritu duplici primae classis cum octava amodo persolvatur Officium proprium cum Missa Aragoniae Regno iamdiu a s. m. Pio Papa VII concessum; dummodo Rubricae serventur etc. ».

Iamvero quaeritur 1. Regulares vi huius Decreti possuntne acceptare Officium proprium, de quo agitur in Decreto supracitato; praesertim cum de Regularibus nulla fit specialis mentio?

2. Possuntne ac debent recipere octavam?

3. Possuntne cogi ad recipiendam octavam, praesertim cum ad nullam octavam quam celebrat Clerus Secularis teneantur, ut eruitur ex Decretis Sacrorum Rituum Congregationis?

Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, audito R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Ad quaest. 1: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam: iuxta Decretum in Pernambucen. diei 4 Septembris 1745 in responsione ad 8 ».

Ad quest. 2: « Negative ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Ad primam partem, Affirmative, seu teneri; ad secundam partem, Negative; ad tertiam, provisum in secunda ».

Atque ita respondit et servari mandavit. Die 18 Septembris 1877.

3437. AQUEN. (5714)

Vicarius Generalis Rmi Archiepiscopi Aquen. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna resolutione proposuit; nimirum:

Dubium I. In Consecratione Ecclesiae Episcopus, qui in Altari consecrato Missam celebrat, induit iuxta Pontificale omnia pontificalia paramenta (seu ut intelligitur, non exceptis sandalis, chirothecis etc.) Quaeritur vero: Num haec omnia induere debeat, etiamsi Missam sine cantu celebrét, sicut agendi mos est in Ordinibus conferendis sine cantu?

Dubium II. Et in casu affirmativo: Num eadem tenenda sit agendi ratio in Consecratione Altaris, quae fit sine Consecratione Ecclesiae?

Sacra itaque Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 15 Decembris 1877.

3438. TEMPLEN. (5716)

Magister sacrarum Caeremoniarum et Director Calendarii pro Officio persolvendo

Sacroque celebrando in Cathedrali Ecclesia Templen. insequentium dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. Quum in Insula Sardiniae die XV Ianuarii perpetuo occurrat Festum Sancti Mauri Abbatis ritus simplicis cum Festo Sancti Ephisii Martyris, quod in tota insula sub ritu duplici primae classis celebratur; quaeritur: An Festum Sancti Mauri Abbatis ad aliam diem transferendum sit? (1)

Dubium II. An licite possint Canonici diebus festivis thus et pacem suscipere, capite pileolo obtecto?

Dubium III. An fas sit Canonicis et Mansionariis assistere Missae solemni in Choro, qui est post Altare maius, capite pileolo obtecto?

Dubium IV. An in Expositione in forma Quadraginta Horarum permittatur singulis diebus sero, antequam Sanctissimum Sacramentum reponatur, benedictionem populo cum eodem impertiri?

Dubium V. An liceat in una eademque die atque in eadem Ecclesia pluries cum Sanctissimo Sacramento benedici populo?

Dubium VI. An Canonici et Beneficiarii Ecclesiae Cathedralis, qui maxima diei parte, tempore Expositionis Quadraginta Horarum, Choro interesse tenentur, tum pro divino Officio persolvendo, tum Missae et Vesperis solemnibus adstando, cogi possint ab Episcopo ut orent ante Sanctissimum Sacramentum (praesertim cum alii praesto sint Sacerdotes liberi, qui eiusmodi orationi vacare queant tempore divini Officii); aut saltem hoc deceat?

Dubium VII. An liceat deferre Viaticum absque ulla pompa, ac privata propemodum ratione, quoties ministrandum sit infirmis ab Ecclesia parochiali valde procul commorantibus, et necesse sit transire per loca invia, dissita et inaccessa?

Dubium VIII. An licite possint Mansionarii, Clerici et initiandi assistere sacris functionibus induti rochetto vel superpelliceo formam rochetti praeseferenti?

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, propositis dubiis accurate perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative, iuxta Decreta; praesertim in una Fanen. diei 11 Novembris 1665 ».

Ad III. « Affirmative, exceptis tamen iis Missae partibus, in quibus iuxta Decreta et probatos auctores, pileoli usus etiam in casu vetitus est ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Affirmative, de licentia Episcopi ».

Ad VI. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VII. « Affirmative; ac serventur praescriptiones Ritualis Romani, et detur Decretum in una Bisinianen. diei 23 Maii 1846».

Ad VIII. « Negative; et serventur Decreta ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 12 Ianuarii 1878.

3439. CARCASSONEN. (5717)

Sacra Rituum Congregatio in una Aquen. diei 2 Septembris 1741 ad 3, proposito dubio his terminis: Debetne fieri in tota Dioecesi Officium cum octava Titularis Cathedralis aut Patroni? Respondit: Affirmative. Hinc hodiernus Calendarista Dioeceseos Carcassonensis ab eadem Sacra Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime quaesivit:

Dubium I. An usus usque ad hanc horam contrarius tolli debeat?

Dubium II. An in Calendario Cleri Secularis Civitatis et Dioecesis Carcassonensis haec legendi formula « *Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli Patroni Ecclesiae Cathedralis, dupl. 1 cl. cum octava per totam Dioecesim* » imprimi possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, ad utrumque dubium rescribere censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Ianuarii 1878.

3440. MARIANOPOLITANA. (5718)

Rm̃us Dñus Carolus Eduardus Fabre Episcopus Marianopolitanus in Regione Canadensi a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem postulavit; nimirum:

Dubium I. Utrum a Clero Collecta pro Episcopo dicenda sit et die consecrationis et die electionis eiusdem Episcopi?

Dubium II. Utrum Episcopus electus dici possit ea die, qua expeditae fuerunt Litterae in forma Brevis, quibus antecessor

(1) E. Dub. II, III, IV, VII, VIII et IX.

fuit translatus; an potius ea die, qua ipse fuit nominatus Coadiutor in Consistorio?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, his dubiis sic rescribere censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Diem electionis in casu et ad effectum Collectae ab universo Clero Marianopolitano faciendae, esse diem, qua datae sunt Litterae Apostolicae in forma Brevis pro Coadiutoria cum futura successione ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Ianuarii 1878.

3441. LINGONEN. (5719)

Rm̃us Dñus Gulielmus Bouange Episcopus Lingonensis pro Dioecesi sibi commissa humillime postulavit:

Ut in Choro solemniter cantari valeant secundae Vesperae Festorum, quorum solemnitas ad Dominicam proxime insequentem transferenda sit.

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribere censuit:

« Nihil obstare; dummodo non omittantur Vesperae Officii currentis, ubi adest obligatio ».

Die 30 Ianuarii 1878.

3442. IACEN. (5720)

Rm̃us Dñus Gerlandus Genuardi Episcopus Iacensis anceps haerens an nonnullae consuetudines, quas invenit in Dioecesi sibi commissa, tolerari possent, Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione supplex rogavit. Haec itaque per Decretum diei 28 Iulii 1876 propositis in re ab Episcopo postulatis rite satisfecit. Quoniam vero Parochi seu Archipresbyteri Locorum vulgo nuncupatorum *Giarre, Piedimonte, Etneo* et *Riposto*, praedicto Decreto non acquieverunt, ad eamdem S. Congregationem pro illius revocatione recursum adhibuere. Quare allatis rationibus pro tuendis enunciatis consuetudinibus, sequentia dubia definienda proposuerunt; nimirum:

Dubium I. An Parochi seu Archipresbyteri Iacensis Dioeceseos ex Messanensi Dioecesi avulsi in ecclesiasticis functionibus mantelletto violaceo atque annulo gemmis ornato uti possint; et an ipsi in Missa solemni adhibere valeant quatuor Ministros Dalmatica vel Tunicella indutos?

Dubium II. An in eadem Dioecesi tolerari queat ut passim a quocumque fere Sacerdote solemniter celebrante Presbyter assistens cum pluviali adhibeatur?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo quod populus et Clerus, dum SSm̃um Sacramentum expositum manet, sedeant?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, hisce dubiis maturo examine perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Dilata, et audiatur Magister Caeremoniarum, quoad secundam ».

Ad II. « In decisis ».

Ad III. « In decisis; et quoad Clerum in ecclesiasticis functionibus servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 30 Ianuarii 1878.

3443. GADICEN. (5722)

SEU

GADITANA.

Ferdinandus Fernandez y Coin Rector Ecclesiae parochialis S. Antonii Gaditanae Dioecesis in Hispania, Gaspar Rocafull Praefectus et Ioseph Maria de Falla Secretarius Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo canonice erectae, a S. R. C. sequentium dubiorum solutionem humillime exquisierunt; nimirum:

Dubium I. An privilegium in Bulla Clementis VII Anno 1530 data (quae incipit *Ex clementi Sedis Apostolicae*) eiusdem Confraternitatis Sodalibus concessum, celebrandi scilicet sacrosanctum Missae Sacrificium privatis in aedibus, vel per se vel per alios, adhuc vigeat vel aliquando viguerit; aut extet eiusdem privilegii Apostolica revocatio aut reformatio?

Dubium II. An saltem praedicti Sodales possint, vi eiusdem privilegii aut Bullae Sanctae Cruciatae, praecepto Missam audiendi satisfacere, illis in aedibus quae ex peculiari Sanctae Sedis concessione hoc privilegio gaudent?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, propositis dubiis rite perpensis, rescribendum censuit:

« Obstant Decreta ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1878.

3444. SANCTI CLAUDII. (5723)

Hodiernus sacris caeremoniis in Cathedrali Ecclesia Sancti Claudii Praefectus Sa-

crae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit:

Iuxta Ordinem Dioeceseos Sancti Claudii, solemnitas eiusdem Sancti Patroni Civitatis Episcopalis et totius Dioeceseos, cuius Festum die VI Iunii agitur, in gratiam fidelium ad Dominicam proxime sequentem transfertur, et in singulis Paroeciis reipsa habetur. Omnis tamen locus in hac Dioecesi suum proprium habet Patronum, cuius solemnitas pariter in Dominicam sequentem a die incidentiae, vi indulti Apostolici diei 9 Aprilis 1802 in universo Galliarum Reipublicae territorio concessi, transfertur. Porro ex pluribus Sacrae Rituum Congregationis responsis solemnitas Patroni Dioecesis videtur non esse habenda, cum Festum talis Patroni recolendi nulla fidelibus incumbat obligatio. At vero mos receptus in pluribus eiusdem regionis dioecesibus aliter obtinet. Hinc orator haec duo dubia eidem Sacrae Congregationi pro opportuna resolutione humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Num in locis ubi proprii Patroni solemnitas agitur, etiam Patroni Dioeceseos solemnitas in Dominica sequenti debeat haberi? Et quatenus negative,

Dubium II. An talis usus ad arbitrium Episcopi retineri valeat?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, hisce dubiis rite perpensis, rescribere rata est:

Ad I et II. « Negative; ad tramitem Decretorum, praesertim in una Marsorum diei 12 Novembris 1831 ad 38 ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1878.

3445. ALMERIEN. (5724)

Hodiernus sacrarum caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Almeriensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit ex antiqua praedictae Ecclesiae consuetudine, quae etiam in nonnullis aliis Hispaniae viget Cathedralibus, Matutini Lectiones cantaturis non designari a Beneficiato primo Caeremoniarum Magistro, sed ab alio deputato Chori Magistro; et hinc humillime exquisivit: Utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione eiusdem Secretarii, respondendum censuit:

« Consuetudinem praedictam servari posse ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1878.

3446. PANORMITANA. (5726)

Rm̃us Dñus Michael Angelus Celesia Archiepiscopus Panormitanus sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi resolvenda subiecit; nimirum:

Dubium I. An in Ecclesia Monialium in quarum Coenobio, pro lege suppressionis, degit etiam aliqua Communitas alterius Ordinis, in occurrentia Festi Fundatoris Communitatis hospitatae, Officium et omnes Missae recitari vel celebrari valeant, aut debeant, ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium II. An in casu affirmativo, impedita propria die, hospites claustrales sui Fundatoris solemnitatem ad diem octavam transferre possint et celebrare in Ecclesia Coenobii, ubi diversantur; etiamsi claustrales Coenobii sint diversi Ordinis et alterum Festum celebrent; et etiamsi in Dioecesi alterius Sancti dies festus agatur?

Sacra vero Rituum Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, nisi adsit privilegium ».

Ad II. « Affirmative, quoad translationem iuxta Rubricas, supposito privilegio ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Martii 1878.

3447. NETEN. (5727)

Ad controversiam definiendam inter Capitulum Ecclesiae Matricis Sancti Georgii Martyris et Capitulum Sancti Petri in Civitate Mothucae Dioeceseos Netensis quoad praecipuum Civitatis ipsius Patronum, utrum scilicet Patroni praecipui honor tribuendus sit Sancto Cataldo Episcopo, an potius Sancto Georgio Martyri, prouti a s. m. Pio Papa IX per Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 30 Aprilis 1874 constitutum fuerat; cuius vero Decreti executio suspensa remansit per aliud eiusdem Sacrae Congregationis provisionale Decretum diei 19 Iunii 1877, facta interim potestate partibus contendentibus sua iura rite proferendi; Em̃us et Rm̃us Dñus Cardinalis Miecislaus Ledochowski huius Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentia dubia discutienda proposuit:

Dubium I. An intret arbitrium aperitionis oris adversus Decretum diei 30 Aprilis 1874? Et quatenus affirmative,

Dubium II. An Sanctus Georgius Martyr; vel Sanctus Cataldus Episcopus sit Patronus praecipuus Civitatis Mothucae; ideoque Decretum supradictum diei 30 Aprilis 1874 sit, nec ne, exequendum in casu?

Eñi porro et Rñi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, utraque parte voce et scripto informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis, iisque maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Providebitur in secundo ».

Ad II. « Ad primam partem, Affirmative; ad secundam, Negative; ideoque supradictum Decretum esse exequendum et amplius ».

Die 17 Aprilis 1878.

Facta deinde, die 2 Maii eiusdem anni, per Secretarium de hisce omnibus SSño Dño Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis Rituum ratum habuit et confirmavit.

3448. SOCIETATIS IESU. (5728)

R. P. Vincentius Licalzi Sacerdos Societatis Iesu, a suis Superioribus deputatus ad componendum Directorium divini Officii pro duabus provinciis Lugdunensi ac Tolosana eiusdem Societatis, a Sacra Rituum Congregatione subsequentium dubiorum solutionem humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. Quid sentiendum de usu in dies semper invalescente celebrandi Missas coram SSño Sacramento publice exposito in Ecclesiis, in quibus non desunt alia Altaria; item et distribuendi sacram Communionem in iisdem Missis et extra Missas in eodem Altari? Et quatenus tolerari possit talis usus,

Dubium II. An possit agitari campanula decursu Missarum quae leguntur in eodem Altari, saltem diebus Dominicis ratione populi pro ea Missa congregati? (1)

Dubium III. An liceat pluries in eadem Ecclesia et die impertiri benedictionem cum SSño Sacramento, occasione piarum Congregationum vel ad devotionem; item an liceat interrumpere expositionem SSñi Sacramenti pro danda benedictione ob causas indicatas?

Dubium IV. Cum permittitur ab Ordinario ut detur benedictio SSñi Sacramenti occasione alicuius Concionis habendae, potestne ob maiorem utilitatem concioni praemitti benedictio?

Dubium V. Haud raro ratione maioris solemnitatis solet fieri expositio SSñi Sacramenti in diebus festivis; quandoque etiam decursu unius vel alterius Missae. Hinc quaeritur: An possit talis usus tolerari?

Dubium VI. Invaluit usus apud Moniales ut clavis tabernaculi non penes Cappellanum sed inter septa Monasterii asservetur, etiam cum domus Cappellani finitima est Monasterio. Anne servari potest talis usus?

Dubium VII. Valetne sustineri usus aliquarum Ecclesiarum, in quibus, ratione concursus ingentis populi, cum non suffecerit multitudini pro S. Communione quantitas hostiarum, iam subsequente alia Missa, statim a consecratione reassumitur distributio Communionis?

Dubium VIII. In quibusdam valetudinariis adest legitime erectum Sacellum. Quaeritur: An Sacerdos ibi litans possit intra Missam Communionem distribuere aegrotis, qui adsunt in cubiculis circa ipsum Sacellum?

Dubium IX. An in Processione Corporis Christi liceat adhibere plus quam duos thuriferarios; et an tolerandum quod ea die pueri cotta induti circumeant Altare spargendo flores et thus offerendo etiam tempore benedictionis?

Dubium X. An pro hac Processione tolerari possit,

1. Usus erigendi plura Altaria per vias et adiungendi *Alleluia* ad ℣. *Panem de coelo praestitisti eis* tempore Processionis, quae fit in Galliis Dominica post octavam Corporis Christi?

2. Item usus adhibendi eadem occasione instrumentum vulgo *Tamburo,* etiam intra Ecclesiam?

Dubium XI. An occasione primae Communionis puerorum, vel ob devotionem erga Sanctum Ioseph mense Martio, possint Altaria ornari floribus et pulsari Organa, etiam tempore Quadragesimae; an idem dicendum, si effigies Sancti Ioseph sit extra Altare exposita; et an, in hoc ultimo casu, possit relinqui discooperta tempore Passionis?

Dubium XII. An possit pars anterior Corporalis in Missa explicari tantum ante Offertorium; vel potius sensus Rubricae talis sit ut obliget ad illud explicandum ab initio Missae?

Dubium XIII. An tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo, in quibus machina quadam introducitur cereus?

(1) E. Dub. III, IV, XI, XII, XIII, XVII, XXII et XXIV.

Dubium XIV. An Minister Missae privatae possit quaerere varias partes Missae, saltem *Communionem,* in Missali pro commoditate Sacerdotis?

Dubium XV. In multis Ecclesiis, in die Nativitatis Domini, incipitur Missa ita ut iam Sacerdos sit in puncto Consecrationis pulsante media nocte. Quaeritur: An hoc sit legitimum?

Dubium XVI. In quibusdam regionibus mos est, ut tempore Quadragesimae suspendatur ingens velum caeruleum, repraesentans Christi passionem, ante ingressum presbyterii in Ecclesiis, quod aufertur in Sabbato Sancto. Quaeritur: An talis usus possit tolerari casu, quo non modo scenico illud auferatur ad cantum *Gloria in excelsis,* sed cum Ministri parant Altare post cantum Litaniarum Sanctorum?

Dubium XVII. An possint omitti, ratione musici concentus, quaedam verba orationum ex. gr. *Ave Maria;* ita ut in cantu harum orationum supprimantur aliquae praerogativae Beatae Mariae Virginis ex. gr. *Mater Dei?*

Dubium XVIII. An conclusio adhibenda pro Oratione Sancti Ignatii de Loyola sit *per Dominum* vel *qui vivis etc.?*

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, hisce dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Ad primam partem: Non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto; ad secundam partem: Negative ».

Ad II. « Negative; et detur Decretum in una Mechlinien. 31 Augusti 1867 ad X ».

Ad III. « Ad primam et secundam partem: iuxta prudens Ordinarii arbitrium; evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de expositione Quadraginta Horarum ».

Ad IV. « Affirmative, iuxta Ordinarii concessionem et iusta de causa ».

Ad V. « Iuxta prudens Ordinarii arbitrium, servatis Rubricis in huiusmodi expositionibus praescriptis; quoad vero Missas, provisum in responsione ad dubium I ».

Ad VI. « Negative ».

Ad VII. « Abusum esse interdicendum ».

Ad VIII. « Detur Decretum in Florentina 19 Decembris 1829 ad 1 ».

Ad IX. « Negative in omnibus ».

Ad X. « Ad primam partem: Detur Decretum in Volaterrana 23 Septembris 1820; et addendum ℣. *Alleluia;* ad secundam partem: Affirmative, sed tantum per viam ».

Ad XI. « Ad primam partem: Affirmative; ad secundam partem: provisum in prima; ad tertiam partem: tolerari posse ».

Ad XII. « Servetur in casu Rubrica ».

Ad XIII. « Tolerari posse ».

Ad XIV. « Negative; et serventur Rubricae ».

Ad XV. « Serventur Rubricae; et contrarios abusus esse tollendos ».

Ad XVI. « Attenta consuetudine, tolerari posse ».

Ad XVII. « Negative ».

Ad XVIII. « Conclusionem dicendam esse: *Per Dominum Nostrum Iesum Christum* ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 11 Maii 1878.

3449. GANDAVEN. (5729)

DD. Architecti Gandavenses de Bethune et Verhaegen, quum operam suam impendant in aedificatione Ecclesiarum, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna declaratione humillime exhibuerunt; nimirum:

Dubium I. An tabernaculum, in quo asservatur SSmum Sacramentum, debeat in Altari maiori Ecclesiae necessario collocari? Et quatenus negative,

Dubium II. Quaenam regulae prae oculis habendae sint in constructione Altaris pro asservando SSmo Sacramento?

Dubium III. Si in Altari maiori adest expositio perpetua SSmi Sacramenti, veluti fit in Ecclesiis Sanctimonialium Adoratricum, requiriturne ut in alio Altari laterali ponatur tabernaculum in quo extet SSma Eucharistia pro Communione fidelibus distribuenda?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, hisce dubiis rescribere censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Regulae, in casu servandae, prudenti arbitrio Ordinarii determinentur ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Maii 1878.

3450. ANICIEN. (5731)

Rmus Dnus Petrus Marcus Le Breton Episcopus Aniciensis in Galliis a S. R. C. sequentis dubii declarationem humillime exquisivit; nimirum:

Ex indulto diei 2 Septembris 1858 solemnitas exterior quorumdam Festorum transfertur in Dioecesi Aniciensi ad Dominicam sequentem, et celebratur per Missam votivam de Festo sub ritu solemniori; ex eodem autem indulto in Choro, excepta Ecclesia Cathedrali in qua cantari debent Vesperae occurrentes, Vesperas solemniter cantare licet de Festo translato, et qui tenentur ad Officium easdem Vesperas privatim absolvere debent de Officio occurrente.

Hinc quaeritur: An omnes Clerici in Sacris constituti et Officio divino addicti, qui in Choro Vesperas solemnitatis translatae cantaverunt, Vesperas diei occurrentis privatim persolvere insuper teneantur, vel illi tantum qui in Choro Vesperis solemnitatis non interfuerunt? Ratio dubii iacet in principiis generalibus apud auctores probatos receptis, vi quorum nonnulli ex nostris ab hac duplici recitatione sese excusatos existimant.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, declarare censuit:

« In casu omnes tenentur ad recitandas privatim Vesperas de Festo in Calendario occurrente; quoniam Vesperae solemnitatis translatae, solummodo devotionis gratia, recitandae permittuntur ». Atque ita declaravit.

Die 18 Maii 1878.

3451. BISUNTINA. (5732)

Rm̃us Dñus Antonius Iustinus Paulinier Archiepiscopus Bisuntinus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit: An in Processionibus S. Marci et Rogationum Litaniae interrumpi possint ut fiat Statio vel ad Crucem sub dio erectam, vel ad Oratorium, vel ad quamlibet Ecclesiam; et resumantur, postquam ad Stationem ipsam sequens ritus locum habuerit? scilicet:

Omnibus e populo genuflexis, cantatur Tractus sequens: *Domine, non secundum peccata nostra etc.*

Dum dicitur versus: *Adiuva nos etc...*, genuflectunt cantores et Ministri.

Finito versu, Celebrans surgens dicit Orationem: *Deus qui culpa offenderis etc.* Deinde dat benedictionem cum Reliquiario vel Imagine B. M. V. aut alicuius Sancti, sequentia canendo:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit coelum et terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc et usque in saeculum.*

Benedicat vos Omnipotens Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

℟. *Amen.*

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audito S. R. C. Assessore, sic respondendum censuit:

« Quoad partem ritus, nihil obstare; quoad vero benedictionem, servetur quod a Rituali Romano praescribitur ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 18 Maii 1878.

3452. LUCEN. (5733)

In insigni Collegiata Ecclesia S. Michaelis ad Forum Lucense viget consuetudo ab immemorabili tempore inducta, ut quoties in chorali Officio facienda est Confessio, Hebdomadarius se inclinans Decano Praelato, qui primum ac distinctum obtinet stallum, dicat *Tibi Pater* et *Te Pater;* et similiter uterque Chorus repetens Confessionem. Decanus autem, quando Officium non peragit, faciens Confessionem una cum Choro dicit *Vobis Fratres* et *Vos Fratres*. Quoniam vero Rm̃us Dñus Eugenius Nanninius modernus Decanus et Ordinarius ipsius Collegiatae Ecclesiae dubitaverit an eiusmodi consuetudo legitime continuari possit; sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione exhibuit; nimirum:

Dubium I. An quando Ordinarius chorali Officio assistit, Hebdomadarius dicere debeat in Confessione facienda *Tibi Pater* vel potius *Vobis Fratres?*

Dubium II. An idem dicere debeat Chorus inclinans se ad Praelatum vel Hebdomadarium?

Dubium III. An Ordinarius dicere debeat *Tibi Pater* ad Hebdomadarium vel potius *Vobis Fratres?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondere censuit:

Ad I. II. et III. « Servetur Episcoporum Caeremoniale; ideoque expositam consuetudinem esse abolendam ». Atque ita decrevit ac servari mandavit.

Die 25 Maii 1878.

3453. NOVARIEN. (5735)

In Vicariatu foraneo *Intrae* Dioeceseos Novariensis quinque Canonici Curati Collegiatae Ecclesiae Sancti Victoris eiusdem

Civitatis, nonnullis abhinc annis, quotiescumque ad Congregationes seu Conferentias casuum conscientiae a Parochis praedicti Vicariatus haberi solitas accedebant; et mozzettam tamquam Canonici induere, et praecedentiam habere prae ceteris Parochis etiam antiquioribus autumabant. Id autem quum Parochi Vicariatus extra Civitatem aegre ferrent, factum est ut ad praecavenda gravia dissidia postremis hisce temporibus Congregationes illae suspensae manerent. Nunc vero maximopere cupientes Parochi Vicariatus extra Civitatem rem in integrum pro bono spirituali restituere, ad eiusmodi controversiam prorsus definiendam, Sacram Rituum Congregationem adivere, sequentis dubii resolutionem humillime expostulantes; nimirum:

Utrum Canonicis Curatis *Intrae* competat Insignium Canonicalium usus; ac praecedentia, quoties intersint Congregationibus in casu in Ecclesia Vicariatus?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, auditis partibus interesse habentibus expositoque etiam voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

Quoad primam partem: « Negative; quoad secundam partem: Praecedentiam competere Parochis iuxta singulorum antiquitatem seu antianitatem ». Atque ita rescripsit.

Die 25 Maii 1878.

3454. CONSTANTIEN. (5736)

Rm̃us Dñus Abel Anastasius Germain Episcopus Constantiensis a S. R. C. exquisivit num liceat cuidam suae Cathedralis Ecclesiae Canonico in Choro super mozzetta deferre decorationem variis coloribus confectam doctoribus in sacra Theologia ab Universitate Sorbonica collatam, sed a Sancta Sede non approbatam?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, respondit: « Non licere ».

Die 26 Iunii 1878.

3455. GOANA. (5737)

A Sacra Congregatione de Propaganda Fide transmissa fuerunt sequentia dubia, a Rm̃o Dño hodierno Archiepiscopo Goano proposita, ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione; nimirum:

Dubium I. An usus, in fere omnibus Ecclesiis Archidioeceseos Goanae adhuc vigens conficiendi sacra linteamina, nempe Amictus, Albas, Tobaleas Altarium, nec non Corporalia, Purificatoria et Pallas ex tela e gossipio composita, attentis circumstantiis hodiernis, tamquam corruptela et abusus reiiciendus sit, iuxta Decretum Generale S. R. Congregationis diei 15 Maii 1819, non obstantibus indultis olim concessis? Et in casu affirmativo,

Dubium II. An licitum sit praedictis linteaminibus uti ad celebrandam Missam, cum conditione tamen intra biennium ea consumenda ad tramitem Generalis Decreti?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, declarare censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative, quoad Corporalia, Purificatoria et Pallas; Affirmative, ex gratia, quoad Amictus, Albas ac Tobaleas Altarium ».

Atque ita declaravit et indulsit.

Die 23 Iulii 1878.

3456. VICARIATUS APOSTOLICI (5738)
UTRIUSQUE GUINEAE.

Rm̃us Dñus hodiernus Vicarius Apostolicus utriusque Guineae Sacrae Rituum Congregationi exposuit in regionibus Guinearum Tabernaculum conopoeo decoratum varii generis insectis indecenter pollutum saepe saepius reperiri; ita ut etiam quando aperitur, insecta in Tabernaculum ipsum penetrent. Propterea humillime exquisivit: Num in casu permittere possit ut SSm̃um Eucharistiae Sacramentum recondatur in Tabernaculo, quin istud conopoeo adornetur.

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature perpensa, sic rescribendum censuit:

« Prudenti arbitrio Ordinarii qui provideat, attentis loci conditionibus ». Atque ita rescripsit.

Die 27 Iulii 1878.

3457. DERTUSEN. (5739)

Sacrarum Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Dertusensis, ut in recitatione divini Officii ac Missae celebratione omnia iuxta Rubricarum praescriptiones peragantur, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum declarationem humillime postulavit; videlicet:

Dubium I. Quum iuxta praescriptum S. R. C. recitandum sit Officium de Festo B. M. V. de Guadalupe die 26 Februarii, utpote in Calendario assignata, etiam anno bissextili (quatenus non impedita die 25 eiusdem mensis); quaeritur an hoc in casu elogium huius festivitatis descriptum IV Calendas Martii anticipandum sit ad V Calendas; vel annuntiandum ipsa die IV Calendas Martii, quamvis Festum iam fuit celebratum?

Dubium II. In permultis Hispaniae Parochiis iuxta ultimum Concordatum existunt Coadiutores amovibiles Ordinarii nutu, destinati ad Parochos adiuvandos in Sacramentorum administratione aliisque parochialibus functionibus. Quaeritur itaque: An huiusmodi Coadiutores in Paroecia, licet ad tempus adscripti, possint et debeant recitare Officium Titularis Ecclesiae parochialis; vel solus Parochus teneatur?

Dubium III. Quum a Sacra Rituum Congregatione, in responsione ad dubium 13 in una Pisana, die 12 Novembris 1831, decisum fuerit quod Celebrans in Missa solemni, cum sibi est sedendum, ad eos versiculos ad quos sibi est inclinandum, caput detegat; quaeritur: An debeat tantum caput detegere ad eos versiculos qui cantantur in Choro, vel etiam ad illos qui ab Organo supplentur, et recitantur ab assistentibus in Choro? (1)

Sacra itaque Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declarare censuit:

Ad I. « Servetur praescriptum Rubricae Martyrologii Romani ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et detur Decretum in una Oveten. in responsione ad dubium I partis primae, sub die 11 Augusti 1877 ».

Ad III. « Caput semper detegendum ».

Atque ita declaravit.

Die 27 Iulii 1878.

3458. SANCTIMONIALIUM (5740)

ORDINIS VISITATIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS.

A Sanctimonialibus Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis Monasterii Civitatis vulgo *Paray-le-Monial* inter fines Dioeceseos Augustodunen. Sacrae Rituum Congregationi sequentia quaesita pro opportuna responsione fuerunt exhibita; nimirum:

I. An Festum Visitationis, quod est proprii Ordinis praecipuum, ritu duplici primae classis celebrari ab ipsis possit?

II. An idem Festum praestet Festis quibuscumque secundae classis v. g. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., quod aliquando in eadem die ac Festum Visitationis occurrit?

III. Quotiescumque in eamdem diem 2 Iulii incidat Dominica, ad quam transferenda sit solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli, debetne Missa solemnis cum cantu de hac solemnitate celebrari?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, sic respondit:

Ad I. « Negative; nisi ex speciali indulto ».

Ad II. « Serventur Rubricae; et quoad Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. detur Decretum Urbis et Orbis diei 10 Augusti 1849 ».

Ad III. « Curent oratrices ut duae celebrentur Missae, altera Conventualis de Officio currente, altera de translata festivitate ».

Atque ita respondit ac servari mandavit.

Die 27 Iulii 1878.

3459. SANCTI IACOBI (5741)

DE CHILE.

Metropolitanae Ecclesiae Sancti Iacobi de Chile Archidiaconus a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii resolutionem humillime exquisivit; nimirum:

An in Missa Conventuali Dignitates et Canonici ad Confessionem et Benedictionem stare debeant, etiam quando sacris vestibus non sunt induti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, huic dubio respondendum censuit:

« Affirmative, iuxta Decreta alias edita ».

Atque ita respondit.

Die 27 Iulii 1878.

3460. SENONEN. (5742)

Superior Societatis Sacerdotum Oblatorum a Sacro Corde Iesu et a Sancto Edmundo nuncupatae, atque in Senonensi Dioecesi existentis, Sacrae Rituum Congregationi duo sequentia dubia resolvenda humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Super Oratorium praedictae Societatis, in quo Missae quotidie celebran-

(1) E. Dub. IV.

tur atque asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, adest locus ad ambulandum destinatus, camera tamen lapidea ac crassa ab Oratorio ipso separatus; cui loco superextructum est cubiculum pro habitatione Novitiorum. Quaeritur: An talis locorum dispositio licite servari possit?

Dubium II. In Coemeterio Paroeciae Sacellum funebre eiusdem Societatis sic ordinatur: in crypta loculi mortuorum ita disponuntur, ut sursum in Sacello proprie dicto a crypta camera separato extet Altare ubi aliquando Missa celebratur. Quaeritur: An licitum sit in hoc Altari sacrosanctum Missae Sacrificium peragere, quamvis in linea recta sint cadavera in crypta, quae est ab Oratorio prorsus separata?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione ab eiusdem Secretario facta, atque inspecto etiam locorum typo, utrique dubio rescribendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 27 Iulii 1878.

3461. BERGOMEN. (5743)

Canonicus Primicerius Cathedralis Ecclesiae Bergomensis a S. R. C. humillime exquisivit:

I. An quotiescumque tempore Quadragesimae ex speciali indulto recitatur in Choro die Dominica, post Vesperas et Completorium, Matutinum cum Laudibus insequentis Feriae II, ad Preces feriales ac Suffragia Sanctorum standum sit, sicuti in Antiphona finali B. M. V. in diebus Dominicis?

II. Anne, obtento nuperrime a praefata Cathedrali Ecclesia indulto celebrandi extrinsecum Festum in honorem Sacratissimi Cordis Iesu, Dominica proxime feriae VI post octavam SSmi Corporis Christi insequentis, cum omnibus Missis tum solemni tum lectis illius propriis, liceat eiusmodi indultum acceptare quoad Missas lectas tantum, ne duae Missae solemnes in Choro cani debeant?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario atque audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Attenta praxi in eiusmodi indultis a S. Sede concedendis, non licere ».

Atque ita declaravit.

Die 3 Augusti 1878.

3462. BELLUNEN. ET FELTREN. (5744)

Quum Rmus Dnus Episcopus Bellunen. et Feltren. anceps haereat num ista Cathedralis Ecclesia Bellunensis nova indigeat consecratione, non tantum ob reparationem novissime ibidem peractam, sed etiam ob defectum alicuius monumenti quo indubie constet in sua prima dedicatione ritum praescriptum fuisse servatum, a Sacra Rituum Congregatione opportunam in casu petiit declarationem.

Sacra porro eadem Congregatio, referente Secretario auditoque altero ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, censuit:

« Supradictam Cathedralem Ecclesiam omnino esse consecrandam, nulla tamen facta immutatione diei pro eiusdem Dedicationis anniversario peragendo, quod etiam in posterum Dominica II post Pascha celebrandum est ».

Romae die 19 Augusti 1878.

3463. SYRACUSANA. (5745)

Rev. D. Blasius Bellasai Archidiaconus Ecclesiae Collegiatae sub titulo Annuntiationis Deiparae in oppido vulgo *Comiso,* inter limites Archidioeceseos Syracusanae, quum a suo Archiepiscopo prohibitus fuerit Stolam deferre extra Sacramentorum administrationem, Sacrorum Rituum Congregationem adiit humillime petens, ut, attenta antecessorum suorum consuetudine, qui Stolam semper tamquam insigne propriae dignitatis habuerint in supradicta Collegiata Ecclesia, huiusmodi privilegium sibi suisque successoribus retinendum declararet.

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia Rmi Archiepiscopi Syracusani de informatione et voto requisiti, ad relationem Secretarii, ita declarare censuit:

« Attenta consuetudine, Archidiaconus in Processionibus tantum utatur Stola, si absit Archipresbyter ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 26 Novembris 1878.

3464. MACERATEN. ET TOLENTINEN. (5746)

Hodiernus Plebanus Castri Colmurani in Dioecesi Maceraten. et Tolentinen. aegre ferens quod Sodalitas a SSmo Eucharistiae

Sacramento apud Ecclesiam parochialem erecta ius ei deneget sese ingerendi in erogandas oblationes atque eleemosynas, quas Sodales quaeritare solent, vel intra ipsam Ecclesiam vel per fines Paroeciae, quaeque impenduntur sive ad sacras supellectiles in Ecclesiae usum comparandas, sive ad divini cultus decorem augendum, a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime exquisivit: An Confraternitas vel potius Parochus ius habeat in administratione eleemosynarum collectarum in Ecclesia parochiali; et quatenus Parochus ius habeat, an Confraternitas possit administrare independenter a Parocho eleemosynas quas petiit in ditione Paroeciae et univit usque nunc eleemosynis collectis in parochiali Ecclesia in suffragium animarum Purgatorii?

Sacra porro Rituum Congregatio, attenta informatione Rm̃i Episcopi Maceraten. et Tolentinen. ad relationem Secretarii, sic in casu declarare censuit:

« Esse in facultate Rm̃i Episcopi, ut pro sua prudentia rei consulat ad tramitem Institutionum Benedicti Pp. XIV, Cap. V, § V ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 26 Novembris 1878.

3465. SENEN. (5747)

Ab hodierno Directore Calendarii pro divino Officio persolvendo Sacroque celebrando in Archidioecesi Senensi Sacrorum Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium pro opportuna declaratione; nimirum:

Quum tempore paschali administrandum est SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, ante vel post Missam de Requie, debent ne dici Oratio et versiculi de tempore atque *Alleluia?*

Sacra porro Rituum Congregatio, re accurate perpensa, ad relationem Secretarii, sic declarare censuit:

« Affirmative, quoad Orationem et Versiculos; Negative, quoad *Alleluia* ».

Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 26 Novembris 1878.

3466. GORITIEN. (5748)

Magister Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Goritien. a Sacra Rituum Congregatione quae sequuntur humillime exquisivit; nimirum:

I. In Ecclesia Metropolitana Goritien. inducta fuit hisce postremis annis Feria VI in Parasceve Processio intra muros ipsius Ecclesiae cum Reliquia SSm̃i Ligni Crucis D. N. I. C., quae defertur sub baldachino, thuriferario praecedente, cum sacris ministris nigris paramentis indutis. Quaeritur: An haec Processio licite continuari possit?

II. Sodalitas nuncupata a *Subsidiis* pro Presbyteris indigentibus ibi iamdiu existens habet tamquam Patronum Sanctum Ioannem Nepomucenum; hinc die 16 Maii celebrat Festum patronale, cui concessa fuit a Summo Pontifice plenaria Indulgentia. Quaeritur: An possit in Missa solemni, quae tali die celebratur in Ecclesia Metropolitana, in qua adest Altare laterale eidem Sancto dicatum, unica Oratio dici et *Credo;* an vero debeat Missa haec solemnis tractari sicut Missa privata illius diei?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita relatione eiusdem Secretarii, respondit:

Ad I. « Affirmative, quatenus Processio non sit intra Officium et Missam ».

Ad II. « Si Sodalitas erecta sit in ipsius Ecclesiae Cathedralis Altari de S. Ioanne Nepomuceno eiusdem Patrono, tunc cantetur Missa solemnis cum unica Oratione et *Credo;* si secus, cantetur eodem modo quo Missae privatae celebrantur ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 26 Novembris 1878.

3467. TURONEN. (5749)

In Archidioecesi Turonensi, velut in aliis quibusdam Dioecesibus per Galliam, ex non legitima interpretatione indulti lati a Cardinali Caprara Legato a Latere pro reductione Festorum die 9 Aprilis 1802, in omnibus fere Ecclesiis parochialibus habiti fuerunt velut Patroni Sancti Titulares earumdem Ecclesiarum, quorum Festa proinde transferuntur cum Missa solemni ad insequentes Dominicas.

Porro difficile admodum esset Clerum et fideles adducere ut invectam hanc praxim deponant; siquidem Titularium Festa communiter Festa patronalia nuncupantur. Quapropter optime noscens Archiepiscopus Turonensis id non recte concordare cum Decreto s. m. Urbani Papae VIII, nec cum sanis principiis de Festis Titularium, nec tandem cum praescriptis in memorato indulto Cardinalis a Latere Legati, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII enixe rogavit ut elargiri dignaretur indultum, cuius vigore in qualibet Ecclesia Archidioecesis Turonensis, quae nullum habet

Patronum loci suae Parochiae a proprio Titulari distinctum, agi valeret Festum Titularis eo modo quo Festum Patroni recolitur.

Sacra porro Rituum Congregatio, re accurate perpensa, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem SSmo Domino Nostro tributis, ita hisce precibus rescribere censuit:

« Pro gratia, quatenus Patronus non sit particularis oppidi, dummodo tamen non vigeat consuetudo honorandi Patronum Civitatis episcopalis uti Patronum Dioeceseos ».

Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 26 Novembris 1878.

3468. IACEN. (5750)

Episcopus Iacensis exposuit Sacrorum Rituum Congregationi in sua Cathedrali Ecclesia hunc usum obtinere, quo Cantores in Invitatorio, postquam, expleto cantu ℟. *Gloria Patri,* Chorus partem Invitatorii de more respondet, integrum Invitatorium ipsi decantent absque responsione Chori. Iamvero quum hic mos videatur oppositus aliarum Ecclesiarum usui, in quibus Invitatorium in ultima vice partim a Cantoribus et partim a Choro repetitur, ita ut Chorus ipse cantum illum absolvat; idem Episcopus ab eadem Sacra Congregatione humillime exquisivit: An talis usus Cathedralis Ecclesiae Iacensis servari licite valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, ita respondere censuit:

« Servetur usus ». Atque ita respondit.

Die 26 Novembris 1878.

3469. SANCTI CLAUDII. (5751)

Rmus Dnus Ludovicus Anna Nogret Episcopus Sancti Claudii Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humillime exhibuit; nimirum:

Dubium I. Peractis annis solemnitas Sancti Claudii Episcopi, Patroni Civitatis episcopalis et Dioeceseos, in Dominicam proxime sequentem in gratiam fidelium (ad normam instructionis Card. Caprara A. D. 1802) translata fuit, etiam in locis ubi solemnitas Patroni peculiaris simili ratione agi debuit et reipsa agitur. Quaeritur ergo: Num solemnitas S. Claudii in hisce locis debeat aut possit ita transferri?

Dubium II. Ecclesiae Cathedralis S. Claudii Titulares sunt ex aequo et pari ratione Ss. Apostoli Petrus, Paulus et Andreas. Hucusque tamen Festum S. Andreae celebrari consuevit sub ritu duplici secundae classis sine octava. Quaeritur: Num istud debeat celebrari in dicta Cathedrali sub ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium III. Quaeritur etiam num in Ecclesiis non consecratis debeat Ecclesiarum omnium Dedicatio celebrari sub ritu duplici primae classis cum octava in Dominica 2 Nov. (ex instructione Card. Caprara supra memorata pro Galliis data).

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris auditaque relatione Secretarii, hisce dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II et III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 29 Novembris 1878.

3470. PLATIEN. (5752)

Rmus Dnus Franciscus Gerbino Episcopus Platien. a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii resolutionem humiliter expetivit; videlicet:

Utrum ex ligno iterum effingere liceat simulacrum, ab anno usque 1872 veneratum in oppido Boviafranco per Piam Unionem canonice erectam sub titulo B. M. Dominae a Sacro Corde, iuxta typum Auxelloduni primitus venerationi exhibitum; an novum simulacrum effingi atque exponi debeat, conforme typo probato per Decretum diei 26 Aprilis 1875, Pii IX Summi Pontificis auctoritate datum?

Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario et audito Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis, ad quaesitum, uti supra expositum, respondit:

« Iuxta mentem Decreti S. Romanae et Universalis Inquisitionis, non licere nisi secundo modo ». Atque ita respondit.

Die 29 Novembris 1878.

3471. MARIANOPOLITANA. (5754)

Rmus Dnus Eduardus Fabre Episcopus Marianopolitanus Sacrae Rituum Congregationi exposuit: Oratorium principale maioris Seminarii Dioecesani formam Ecclesiae praeferens quatuordecim abhinc annis consecratum fuisse; ex quo tempore non solum singulis per annum Dominicis Festisque diebus Officia liturgica solemniter in eo cantari consueverunt, adstante et cooperante

Clericorum coetu, sed etiam Titularis et anniversarium Dedicationis eiusdem Oratorii sub ritu duplici primae classis cum octava quotannis ab omnibus Sacerdotibus, Diaconis et Subdiaconis eidem Seminario adscriptis, approbante Ordinario, fuerunt celebrata. Nuper vero quum in dubium vocata sit legitimitas celebrationis utriusque praefatae Festivitatis, eo quod extraneis non pateat indiscriminatim eiusdem Oratorii ianua, ac proinde iuxta nonnullos illud recensendum videatur intra Oratoria privata, de quorum Titulari ac Dedicatione nemini licet Officium recitare, ab eadem Sacra Rituum Congregatione ipse Rm̃us Episcopus declarari postulavit: Anne ab initio recte fuerit introducta celebratio Festi Titularis et Dedicationis supradicti Oratorii?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, accurate re perpensa, sic declarare censuit:

« Dummodo reapse Oratorium fuerit consecratum et non simpliciter benedictum, celebrandum esse Officium tam Sancti Titularis quam Dedicationis ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 29 Novembris 1878.

3472. TARANTASIEN. (5756)

Rm̃us Dñus Carolus Franciscus Turinaz Episcopus Tarantasien. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione quae sequuntur humillime proposuit; nimirum:

Vi indulti Apostolici diei 30 Iulii 1863, in Ecclesiis Dioeceseos Tarantasien., tribus vicibus in qualibet hebdomada, occurrente licet ritu duplici, cani valent Missae de Requie, exclusis tamen duplicibus 1 et 2 classis, festis de praecepto servandis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis. Indultum simile viget in ceteris Sabaudiae Dioecesibus; sed quum eadem non sit in omnibus illius interpretatio, quaeritur:

I. Num liceat cantare Missam de Requie tribus diebus ritus duplicis, etiamsi in hebdomada festa ritus inferioris inveniantur?

II. Num eodem die ritus duplicis, plures Missae de Requie cantari valeant in eadem Ecclesia?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, ad utrumque quaesitum rescribere censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 18 Decembris 1878.

3473. OVETEN. (5757)

Rm̃us Dñus Benedictus Sanz y Fores Episcopus Oveten. sequentis dubii resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit; scilicet:

Regularibus e suis Monasteriis a civili Gubernio expulsis, ad nonnullas eorum Ecclesias translatae sunt Parochiae, iisdem in locis existentes, eo quod ad populi opportunitatem commodiora videbantur Templa Regularium, antiquis Ecclesiis parochialibus tamquam publicis Cappellis remanentibus. Novae parochiales Ecclesiae titulo antiquarum appellantur, et in nonnullis Imago Titularis a priori Templo translata in loco principaliori collocata est. Quaeritur itaque: An teneantur Parochi ad Officia tum Titularis seu Patroni Paroeciae; tum Ecclesiae Regularis nunc Parochialis, sub ritu duplici primae classis cum octava?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

« Negative, ad primam partem: sed si translatio Parochiarum facta fuerit in perpetuum, tunc supplicandum SSm̃o pro concessione utriusque Titularis veteris et novae Paroeciae; Affirmative, ad secundam partem ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 20 Decembris 1878.

3474. GNESNEN. (5758)
ET POSNANIEN.

Em̃us et Rm̃us Dñus Cardinalis Miecislaus Ledochowscki Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien. sequentia duo dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proposuit; nimirum:

Dubium I. Missam privatam in Altari maiori, illo tempore quo in Choro Horae Canonicae dicuntur, Decreta Sacrae Rituum Congregationis celebrari prohibent. Quaeritur autem: An sub denominatione Horarum Canonicarum etiam Officium Defunctorum in casu intelligatur? Et quatenus affirmative,

Dubium II. An haec prohibitio extendatur ad illas Ecclesias, in quibus proprie dictus Chorus non invenitur, sed diversi Sacerdotes occasione funerum congregati Officium Defunctorum in communi recitant?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad

relationem Secretarii, audita etiam in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, utrique dubio rescribere censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 20 Decembris 1878.

3475. CENETEN. (5760)

Sacerdos Angelus Fassetta Vicarius foraneus loci vulgo de *Latrano* in Dioecesi Cenetensi Sacrae Rituum Congregationi sequentia exposuit, ab eaque resolutionem humillime petiit; nimirum:

Occasione Parochorum Conventuum qui quotannis, sicut Dioecesana Synodus praescribit, habentur modo in una, modo in altera huiusce foraneae Congregationis Ecclesia, decantatur iuxta antiquam consuetudinem Missa de Spiritu Sancto etiam in duplicibus (non vero I et II classis) cum *Gloria, Credo* et *Ita Missa est.* Peracta Missa solemni, cantantur Vesperae Defunctorum quamvis media dies nondum transierit. Consuetudines, de quibus supra, locum habent etiam in nonnullis aliis huiusce Dioeceseos foraneis. Quaeritur: Num huiusmodi ritus, quoad scilicet Missam et Vesperas, servari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature perpensa, in casu censuit:

« Affirmative, quoad Missam de Spiritu Sancto; quoad vero Vesperas, Negative; et recitari poterit Nocturnum Defunctorum ». Atque ita rescripsit.

Die 10 Ianuarii 1879.

3476. CLUNIEN. (5761)

seu

PRIORATUS ORDINUM MILITARIUM.

Exposuit Sacrorum Rituum Congregationi Rmus Dnus Victorianus Guisasola y Fernandez Episcopus Doren., et Prior Ordinum Militarium in Hispania, in Civitate Cluniensi ab immemorabili tempore consuevisse Dominica Palmarum in Senatus aedibus benedici ramos palmarum, idque fieri in Sessionum aula (sacellum quippe desideratur) ab uno ex Parochis, adstantibus ceteris ex parochiali Clero.

Insuper cum parochialis Ecclesia Sanctae Mariae eiusdem Civitatis in Episcopalem nuper erecta sit, dubium exortum est: Num huiusmodi consuetudo palmas benedicendi in aula profana retineri debeat ac possit; et num Episcopus intuitu eiusdem consuetudinis Parochos omnes Civitatis nec non parochialem Clerum habere debeat excusatos ab interessendo benedictioni quae ab ipso in dicta Ecclesia peragenda est cum Canonicorum Capitulo, Beneficiatis ceterisque de Clero Cathedralis Ecclesiae. Relatis itaque per Secretarium his postulatis Sacrae Rituum Congregationi,

Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum esse censuit:

« Enunciatam consuetudinem benedicendi palmas in aula profana neque debere neque posse retineri; et nullimode Episcopum posse cogere, sed tantum Parochos et parochialem Clerum adhortari ut intersint benedictioni palmarum ab ipso peragendae. Etenim Rubricae tum Missalis tum Caeremonialis non alium locum praescribunt ad praefatam functionem faciendam nisi Ecclesiam; quod si ibidem forte illa perfici non posset, potius omittenda foret. Praeterea eadem functio non est propria exclusive Cathedralis, prouti est Oleorum Consecratio Feria V in Coena Domini, ac proinde Parochorum ac parochialis Cleri adsistentiam minime exigit; imo ex Decreto Generali die 10 Decembris 1703 ad 7, nec functiones omnes Maioris Hebdomadae sunt de iure parochiali, quippe quae etiam a Sacerdotibus non Parochis et in aliis Ecclesiis fieri possunt ».

Die 10 Ianuarii 1879.

3477. IACEN. (5762)

Inter dubia quae a Sacra Rituum Congregatione per Decretum diei 30 Ianuarii 1878 resoluta fuere, sequens habebatur dubium I, scilicet: An Parochi seu Archipresbyteri Iacensis Dioeceseos, nempe locorum nuncupatorum *Giarre, Piedimonte Etneo* et *Riporto* ex Messanensi Dioecesi avulsorum, in ecclesiasticis functionibus mantelletto violaceo atque annulo gemmis ornato uti possint; et ipsi in Missa solemni adhibere valeant quatuor Ministros Dalmatica ac Tunicella indutos?

Quum autem Sacra eadem Congregatio huic dubio rescripsisset: Negative, ad I partem; dilata et audiatur Magister Caeremoniarum quoad II; praefati Parochi seu Ar-

chipresbyteri institerunt pro definitiva secundae partis enunciati dubii declaratione.

Hinc Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Secretarii, omnibus in casu maturo examine perpensis, sic declarare ac rescribere rata est:

« In decisis, iuxta Decretum diei 28 Iulii 1876; id est: Negative in omnibus; et oratores pareant decisionibus Sacrae Rituum Congregationis ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 24 Ianuarii 1879.

3478. URBIS. (5763)

Inaugurandum cum esset anno 1877 Altare in hypogaeo Eudoxianae Basilicae noviter substructum ad custodienda sacra Principis Apostolorum vincula, exortum est dubium: An illud consecrandi ius Eminentissimo Cardinali Ecclesiae Titulari spectaret; vel potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario. Pius s. m. Papa IX quaestionem diiudicandam commisit quatuor Cardinalibus Episcopis Suburbicariis. Interim vero, instante festivo consecrationis die, conventum est consecrationem, ratione possessionis, a Cardinali Titulari peragendam; hinc dilata fuit dubii solutio.

Summus vero Pontifex Leo divina providentia Papa XIII animo reputans conveniens esse ea exequi quae provida deliberatione Praedecessor statuerat, ac peropportunum omnino fore super exercitio actus praedictae iurisdictionis omnem deinceps dubitandi locum praecludi, Eminentissimo Cardinali Sacri Collegii Decano mandavit, ut quamprimum indicta particularis Congregatio haberetur.

Quatuor praeterea Eminentissimis Episcopis Suburbicariis adiungere dignatus est Eminentissimum Cardinalem Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, loco etiam et vice Eminentissimi Cardinalis Episcopi Tusculani infirmi.

Die itaque vigesima quinta Ianuarii communi consensu convenerunt in Aedes Eminentissimi Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti Eminentissimus Cardinalis Di Pietro S. Collegii Decanus et Episcopus Veliternus et Ostiensis, Eminentissimus Cardinalis Sacconi Episcopus Portuensis, Eminentissimus Cardinalis Bilio Episcopus Sabinensis, Eminentissimus Cardinalis De Luca Episcopus Praenestinus una cum Eminentissimo Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto et cum eiusdem Congregationis Secretario; qui omnes post maturum examen et accuratissimam discussionem super vota et elaboratas fusasque consultationes, quas hinc inde exaraverant tum Sacrorum Canonum Doctores, tum Sacrarum Caeremoniarum Magistri, sequenti dubio: Utrum in Ecclesiis Tituli Cardinalitii ius consecrandi Altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earumdem Titularibus; an potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario? unanimi suffragio responderunt:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Facta autem de omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario in audientia diei 30 Ianuarii 1879, Sanctitas Sua responsum Eminentissimorum Cardinalium super proposito dubio ratum habuit et auctoritate sua confirmavit ac evulgari mandavit.

Die 30 Ianuarii 1879.

3479. SOCIETATIS (5764)
SANCTISSIMI SACRAMENTI.

A R̃mo Procuratore Generali Societatis SS̃mi Sacramenti insequentia dubia resolvenda Sacrae Rituum Congregationi humillime exhibita fuerunt; nimirum:

Dubium I. Num quando concurrunt duo Festa Dedicationis Ecclesiarum, in secunda Postcommunione verba *Quem nomini tuo indigni dedicavimus* servanda sint?

Dubium II. Num, durante expositione Augustissimi Sacramenti, Officium pro Defunctis recitari vel cantari liceat in Choro?

Dubium III. Num quoties detur benedictio SS̃mi Sacramenti cum ostensorio, tempore paschali, cereum paschalem toties accendere liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, hisce dubiis accurate perpensis, rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative ».
Ad II. « Negative ».
Ad III. « Negative ».
Atque ita rescripsit ac servari mandavit.
Die 8 Februarii 1879.

3480. ATUREN. ET AQUEN. (5765)

Quum R̃mus D̃nus Petrus Delannoy Episcopus Aturen. et Aquen. a Sacra Rituum Congregatione humillime expetierit num iuxta necessitatem sibi liceat reducere in

Ecclesiis maxime pauperibus Dioeceseos sibi commissae ad duodecim tantum numerum candelarum, quae ardere continuo debeant ante SSmum Sacramentum publice expositum pro perpetua adoratione ;

Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, rescripsit :

« Affirmative ; ad tramitem Institutionis 30 n. 24 s. m. Benedicti Papae XIV ». Atque ita rescripsit.

Die 8 Februarii 1879.

3481. PARISIEN. (5766)

Emus et Rmus Dominus Cardinalis Hippolytus Guibert Archiepiscopus Parisiensis Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit, opportunam rogans resolutionem seu declarationem ; videlicet :

I. Quum in Civitate Parisiensi ex statutis Municipii nulla fiat Processio extra Ecclesiam, Clerus, qui funeri interesse debet, numquam defuncti domum adire potest, ut corpus efferatur ad Ecclesiam parochialem cum caeremoniis et precibus in Rituali Romano praescriptis; sed corpus currui impositum silentio defertur ad Ecclesiam, sequentibus cognatis et aliis qui funus comitantur. Ad corpus vero recipiendum Clerus stat in ianua intra Ecclesiam, Clerico praeferente Crucem et alio aquam benedictam ministrante. Ibi dicuntur Antiphona *Si iniquitates* et Psalmus *De profundis:* postea omisso Psalmo *Miserere,* cantatur Responsorium *Subvenite,* et cetera fiunt ut in Rituali. Imo usus invaluit ut in exequiis solemnioribus Psalmus et Antiphona praedicta non solum recitentur, sed etiam tono solemni decantentur, dum corpus in ingressu Ecclesiae excipitur, et turba aliquando frequentissima funus comitans Ecclesiam ipsam ingreditur. Porro petitur ut hic usus servari licite possit.

II. In exequiis parvulorum usus invaluit in Archidioecesi Parisiensi ut Missae vel Vesperae celebrentur, prout respective ante vel post meridiem absolvuntur. Missa vero de die vel votiva dicitur iuxta Rubricas, et Vesperae cum cantu habentur de die, vel votivae de parvo Officio B. M. V. Absoluta Missa, vel cantatis Vesperis, dicitur ad feretrum Antiphona: *Hic accipiet* et reliqua uti in Rituali Romano. Exposcitur itaque ut hic usus familiis parvulorum acceptissimus ac pietati maxime favens retineri valeat.

Sacra Rituum Congregatio, hisce postulatis ab eiusdem Secretario relatis, accurate perpensis auditaque sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit :

Ad I. « Usum quoad exequiarum ordinem Parisiis vigentem, uti exponitur, servari posse ».

Ad II. « Affirmative; sed Missa votiva de Angelis legatur vel cantetur, diebus tantum a Rubrica permissis ».

Atque ita declaravit atque indulsit.

Die 8 Februarii 1879.

3482. PARISIEN. (5767)

Quum Emus et Rmus Dnus Card. Hippolytus Guibert Archiepiscopus Parisiensis a Sacra Rituum Congregatione exquisierit : Anne in Missis, quae ante SSmum Sacramentum publicae venerationi expositum celebrantur in Archidioecesi Parisiensi, liceat fideles ad sacram Synaxim admittere extra Missam ; et an saltem, attenta consuetudine, maxime pietati favente, idipsum tolerari possit ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, ad utramque propositi quaesiti partem respondit :

« Negative ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 8 Februarii 1879.

3483. COLONIEN. (5768)

R. D. Ioannes Ludewig Sacerdos loci vulgo *Gibelsrath* in Archidioecesi Coloniensi a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem humillime postulavit; nimirum :

Liber Pastoralis dictae Archidioeceseos (editus anno 1870 iussu Iosephi Clementis Archiepiscopi Coloniensis) permittit Sacerdoti unica tantum unctione ac formula abbreviata uti in administratione Sacramenti extremae Unctionis, quum id necessitas vel contagium exigat : quod tuetur Benedictus XIV in Opere de Synodo Dioecesana, lib. 8, Cap. 3. Hoc posito quaeritur: Num liceat in impertienda absolutione generali Papali, ad contagium evitandum, uti brevissima formula, quae legitur in Breviario Romano Romae typis edito an. 1843, quaeque ita se habet : *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii rescripsit :

« Affirmative in casu ». Atque ita rescripsit.

Die 8 Martii 1879.

3484. NIVERNEN. (5769)

Rmus D. Stephanus Antonius Lelong Episcopus Nivernen. quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit, opportunam declarationem seu resolutionem humillime expostulans ; videlicet :

I. Potestne Episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi :

1. In Cappellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum, etiam earum quae clausuram non habent ;

2. In Cappellis seu Oratoriis piarum Communitatum, quae licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis;

3. In Cappellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quae sunt publica vel semipublica, eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ita ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne Episcopus alia Oratoria praeter Cappellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus, sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit; sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Cappellam seu Oratorium principale ?

III. Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SSmum Sacramentum :

1. In Ecclesiis seu Cappellis publicis quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Paroeciae inserviant;

2. In Cappellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante et quae habitantibus omnibus aperiuntur ;

3. In Cappellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Cappellam seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis?

IV. Potestne Episcopus iure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus Dominicis aut festivis de praecepto celebrandi :

1. In Oratoriis seu Cappellis quae a S. Sede vel vi indulti ab ea concessa fuerunt approbata, quando propter distantiam a parochiali Ecclesia ista secunda Missa proficere potest voto parochianorum qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime;

2. In duabus Ecclesiis in eadem Parochia existentibus, quando pro utraque deservienda unicus adest Sacerdos et tamen non sine detrimento religionis Missa in una tantum celebraretur ;

3. In eadem Ecclesia, quando aliter pars sat notabilis parochianorum Missam non audiret ;

4. Quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda Missa ut communicari a fidelibus cum maiori facilitate et aedificatione frequentius possit ?

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, hisce postulatis sic respondit :

Ad I. « Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis ».

Ad II. « Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda ».

Ad III. « Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata ».

Ad IV. « Posito quod Episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede ad concedendum Sacerdotibus suae Dioecesi indultum bis in die festo Sacrum litandi, erit suae prudentiae hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti ; si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit ».

Atque ita respondit ac declaravit.

Die 8 Martii 1879.

3485. OPPIDEN. (5770)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Oppiden. a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit ; nimirum :

Anne Episcopus in Sabbato Sancto non pontificaliter, sed privatim, conferre possit maiores Ordines in una ex publicis Cappellis in Cathedrali existentibus et parum dissita a Choro et Presbyterio ; et an post Communionem Ordinatorum possit quoque ministrare fidelibus sacram Synaxim, nondum expleta solemni Missa Conventuali, sed eodem tempore quo in Choro a Capitulo et Clero decantantur Prophetiae et reliqua Officia peraguntur ?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caere-

moniarum Magistris, ad relationem Secretarii, proposito dubio sic rescribere censuit :

« Negative, ad primam partem ; ad secundam, provisum in prima ». Atque ita rescripsit.

Die 8 Martii 1879.

3486. SANCTIMONIALIUM (5771) ORDINIS CISTERCIENSIS.

Iuxta Rituale Ordinis Cisterciensis ii omnes qui hunc Ordinem professi sunt, dum in mortis periculo versantur, primo Sacramentum extremae Unctionis tenentur recipere, deinde Viaticum. Quoniam vero in Monasterio Vallisdomicellae Sanctimonialium praefati Ordinis Barcinonae existente eiusmodi praxis non vigeat, hodiernus Confessarius Monasterii ipsius a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit: Num liceat iisdem Sanctimonialibus, relicto ordine a Rituali Romano praescripto, primo extremam Unctionem, deinde Eucharistiam vel Viaticum recipere ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, declarare censuit: « Licere ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 8 Martii 1879.

3487. BERGOMEN. (5773)

A Rmo Domino Alexandro Valsecchi Episcopo Tiberiaden. et Coadiutore Episcopi Bergomen. insequentia dubia solvenda Sacrae Rituum Congregationi proposita fuere; nimirum :

Dubium I. In Actis Ecclesiae Mediolanensis, inter ea quae in Instructione pro Congregationibus Dioecesanis praescripta sunt, haec habentur: « Deinde Missa solemnis celebretur a Sacerdote ministris adhibitis....; ea Missa solemnis fiet pro Defunctis in ea Ecclesia coemeteriove sepultis.... aut de Spiritu Sancto, si eam maluerit Vicarius.... » Quaeritur itaque : Utrum eiusmodi Missa locum habere possit in occurrente Officio ritus duplicis; an tantummodo quando ritus semiduplex eam permittit?

Dubium II. An occasione electionis Summi Pontificis possit Episcopus in singulis Ecclesiis parochialibus praescribere Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto et post electionem pro gratiarum actione, prouti in Dioecesi Bergomensi superiore anno factum fuit ?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, rescribere censuit :

Ad I. « Praedicta Missa nequit celebrari, nisi diebus a Rubrica permissis, vel de speciali indulto ».

Ad II. « Affirmative in casu; praesertim attenta consuetudine ».

Atque ita rescripsit.

Die 8 Martii 1879.

3488. DE ZACATHECAS. (5775)

Rmus Dominus Iosephus Maria a Refugio Guerra hodiernus Episcopus de Zacathecas in Republica Mexicana Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit ; videlicet :

Dubium I. Quum non mane sed vespere fiat Processio cum SSmo Sacramento in eius Festo die vel per octavam nonnullis in Ecclesiis harum regionum, quaeritur : Anne inveterata haec consuetudo permitti possit?

Dubium II. Si via memoratae Processionis longior non fuerit, estne tolerandum, sicut usus invaluit per has regiones, ut semel aut iterum, tertio vel quarto, dumque canitur *Tantum ergo* cum versiculo et Oratione super Altare per viam constructum, SSmum Sacramentum deponatur?

Dubium III. Quando extra Missam sacra Communio fidelibus ministratur, debetne Sacerdos recitare *Confiteor Deo,* vel potius solus minister? Et quatenus negative ad primam partem, saltem id permitti possit vel tolerari ?

Dubium IV. Officium SSmi Cordis Iesu, quod recitatur in Ecclesia Mexicana Feria VI post octavam SSmi Corporis Christi, illud est, cuius Hymnus ad Vesperas et Matutinum est *Quicumque certum quaeritis.* Iamvero, nonnullis in Breviariis adduntur duo *Alleluia* in Responsoriis Horarum, sicut intra tempus paschale. Quaeritur ergo an addenda sint haec *Alleluia?*

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, propositis dubiis sic respondere censuit :

Ad I. « Affirmative ; in Cathedrali tamen non omittatur alia saltem brevis Processio post Missam intra Ecclesiae ambitum ».

Ad II. « Usum permitti posse ».

Ad III. « Negative; nisi omnino deficiente idoneo ministro ».
Ad IV. « Nihil innovandum ».
Atque ita rescripsit.
Die 31 Martii 1879.

3489. NEMAUSEN. (5777)

Paroecia Ecclesiae Cathedralis Nemausensis in Gallia, quae antea ab ipsa Ecclesia Cathedrali distincta erat ac prorsus divisa, nunc est penes Capitulum Cathedralis eiusdem. Antiqua enim Ecclesia paroecialis sub titulo Sancti Castoris Ep. Conf. a Pseudoreformatis occupata iam ab antiquo tempore fuit et Paroecia translata in Cathedralem Ecclesiam.

Titulus Ecclesiae Cathedralis est Assumptio Beatae Mariae Virginis, quae et Civitatis totiusque Dioecesis Nemausensis est Patrona. Titulus autem antiquae Paroeciae, nunc in Cathedralem translatae, est Sanctus Castor Episcopus et Confessor. Cum Titulus non sit nisi ille quem in consecratione quaevis Ecclesia accipit, late patet huius Cathedralis Ecclesiae Titulum esse Assumptionem Beatae Mariae Virginis.

Dubium vero exortum in nonnullis est an Episcopus Nemausensis et Vicarii Generales, qui ad Capitulum pertinere possunt tantum titulo honoris, debeant Festum S. Castoris Ep. Conf. celebrare et quo ritu. Unde exquisitum fuit:

I. Num Episcopus Nemausensis, Ucetiensis et Alesiensis, eiusque Vicarii Generales nec non Capitulum et Ecclesia Cathedralis teneantur celebrare Festum S. Castoris Episcopi Confessoris?

II. Et quatenus affirmative, quo ritu illud celebrare teneantur?

Sacra itaque Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, declarare censuit:

Ad I. « Negative ».
Ad II. « Provisum in primo ».
Atque ita declaravit et rescripsit.
Die 31 Martii 1879.

3490. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5778)

Sacerdos Franciscus Martinez Canonicus et Secretarius Capituli Ecclesiae Metropolitanae S. Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi haec exposuit:

In Ecclesia Metropolitana S. Iacobi de Chile ex antiqua consuetudine, in Sabbatis Quadragesimae aliisque diebus, decantantur Vesperae minus solemnes quam in maioribus festis; et in illis Canonicus Hebdomadarius immediate post Missam, ex sua Sede habituque chorali facit Officium usque ad *Magnificat;* tunc autem accipit pluviale, quod etiam accipiunt Cappellani illi ministrantes, ponit et benedicit incensum, relinquens Chorum pergit ad Altare, illud incensat, vadit ad Lectorile in medio Chori ibique incensatur; et stans dum repetitur Antiphona ad *Magnificat,* decantat Orationes et finem facit Officio, in quo omnes salutationes omittuntur.

Hinc humillime exquisivit: Utrum a Capitulo Ecclesiae Metropolitanae praedictae retineri licite valeat haec consuetudo; an potius hoc Officium Vesperarum faciendum sit ad normam Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. III?

Sacra porro Rituum Congregatio, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, proposito dubio rescripsit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita rescripsit.
Die 31 Martii 1879.

3491. ROMANA. (5779)

Insignis Basilicae S. Mariae trans Tiberim Capitulum et Canonici, ut quaelibet tolleretur dubitatio quoad intelligentiam provisionalis decreti diei 16 Martii 1876, Sacrae huius Congregationis examini subiicere constituerunt peculiares Ecclesiae suae consuetudines quae ad sacras caeremonias et functiones pertinent. Quod consilium Emus Dominus Card. Laurentius Nina, postquam Titulum Basilicae huius assumpsit, nedum laudavit, sed apud praefatam Sacram Congregationem suis etiam adiuvit officiis.

Sacra itaque Congregatio, omnibus mature discussis, praecipue relate ad assertam antiquam earumdem consuetudinum observantiam, et re cum eodem Emo Cardinali opportune collata, ea quae sequuntur in praefata Basilica ab omnibus servanda constituit:

1. « Qui pileolo utuntur, eum in Choro semper deponant, dum accedentes aut recedentes salutant Altare, dum genuflectunt, dum Confessionem faciunt aut incensantur; tempore autem divini Officii, cum soli intonant Psalmos aut Antiphonas, cum in me-

dio Chori ad Lectorile cantant aut legunt Invitatorium, Lectiones, Responsoria brevia, Martyrologium etc.; tempore demum Missae, dum aqua benedicta asperguntur, dum dicunt *Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei,* dum canitur Evangelium, dum recipiunt aut dant pacem; dum SSmum Sacramentum elevatur, ministratur aut defertur; ad benedictionem in fine Missae ».

2. « Lector, qui in medio Chori Lectiones recitat aut cantat, benedictionem petat caput profunde versus Hebdomadarium inclinans, legat distincte ac devote et in fine uniuscuiusque Lectionis, si non est Canonicus, genuflectat ad verba *Tu autem Domine* ».

3. « Diebus Dominicis Canonicus celebrans pluviali indutus pro aspersione aquae benedictae, omissa thuris impositione in thuribulum, incedat cum caeremoniario, Diacono et Subdiacono eum praecedentibus. Nisi vero celebrans sit Canonicus, sed Beneficiatus aut ex inferiori Clero, Canonici Ministri officium nullatenus expleant ».

4. « Dum per Canonicum Hebdomadarium fit aspersio aquae benedictae, omnes stare debent aperto capite: interea vero Diaconus et Subdiaconus ad infimum Altaris gradum consistant. Expleta autem aspersione, Canonicus Hebdomadarius eodem in loco Casulam assumat, non tamen de Altari, sed super scamno positam ».

5. « Peracta a Celebrante cum Ministris Confessione, in Choro omnes sedeant, neque surgant nisi cum ille facto crucis signo legit Introitum Missae, et suo tempore alternatim dicant *Kyrie eleison*. Pariter omnes sedeant, dum incensantur oblata et ipse celebrans; surgant vero ad incensationem Chori si haec locum habet, secus sedeant usque ad Praefationem ».

6. « In Missis solemnibus die Annuntiationis B. M. V. et Nativitatis Domini ad verba *Et incarnatus est,* et in cantu Passionis in Maiori Hebdomada ad verba *emisit Spiritum,* Canonici, Celebrans et Ministri uti valeant pulvino. Qui vero Passionem canunt Lectorili, suppedaneo imposito, pro ambone utantur, facie versa ad Altare prouti hactenus observatum est ».

7. « Diaconus et Subdiaconus respective post Epistolam et ante Evangelium, si sunt Canonici, inclinati, alii vero genibus flexis, a Celebrante benedictionem recipiant. Pariter in fine Missae ad benedictionem stare debent Canonici se profunde inclinantes, alii omnes genuflectere ».

8. « In solemni SSmi Sacramenti expositione, loco Diaconi poterit alius Minister superpelliceo indutus cum Stola illud in Throno collocare et post benedictionem in Tabernaculo deponere ».

9. « In Sabbato Sancto Subdiaconus Epistolam cantaturus, non alter, Crucem deferat, tam ad benedictionem novi ignis quam Cerei Paschalis. Peracta autem benedictione Fontis, Clerus egrediens ex minori porta maiorem ingrediatur et Litaniam instituat ».

10. « In Festo S. Marci et in Feriis Rogationum Missa de Feria non ante, sed post Processionem celebretur. In Festo Sanctorum, quorum habentur Ecclesiae filiales, Missa de Festo in Basilica omittitur, quae absoluto Choro canenda erit in Ecclesia filiali. Laudabilis tamen consuetudo servetur ut in praecipuis Deiparae Festis ex legato Missa de Festo B. M. V. cum cantu celebretur per Cappellanos in Sacello Beatae Mariae Virginis *a Clementia,* quamvis deinde per Rmos Canonicos Missa eiusdem solemnitatis decantetur ».

11. « Si propter occursum Dominicae privilegiatae aut Festi altioris ritus Officium B. M. V. de *Clementia* aut de *Strata Cupa* transferri debeat, in cuius Festo Chorus in eiusdem Sacello convenire solet; conventus eiusmodi eo die habebitur, in quem per Rubricas Officium Festi translatum fuerit ».

12. « Cum ex antiqua consuetudine Feria V post Dominicam II Quadragesimae, occasione Stationis in praefata Basilica, solemne Completorium coram SSmo Sacramento pro oratione 40 Horarum exposito decantari soleat; consuetudo haec, utpote vere laudabilis, in posterum servetur, non obstante Clementina Instructione ».

« In reliquis autem Caeremoniale Episcoporum ac Rubricae inviolabiliter serventur ».

Romae die 4 Aprilis 1879.

3492. MARIANOPOLITANA. (5780)

Sacerdos Carolus Lecoq Professor Sacrae Theologiae in Seminario Marianopolitano a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime exquisivit:

Utrum approbanda tolerandave sit effigies, satis late vulgata, duorum Cordium eiusdem magnitudinis, eiusdem decoris et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia

B. Margaritae Mariae Alacoque revelatione depingendum exhibetur; alterum autem immaculatum Cor Beatae Mariae Virginis exprimit rosea corona redimitum et gladio perforatum: utroque interdum radiis eiusdem, ut aiunt, gloriae circumcincto?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia Rmi Domini Assessoris eiusdem Congregationis, referente Secretario, huic dubio sic respondendum censuit:

« Eiusmodi emblemata, privata ex devotione, permitti posse; dummodo Altaribus non apponantur ». Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 5 Aprilis 1879.

3493. VANCUVERIEN. (5781)

A Rmo Episcopo Vancuveriensi pro opportuna resolutione proposito dubio: An Clerici totius Dioeceseos Vancuveriensis ita teneantur ad Officium S. Andreae Titularis Ecclesiae Cathedralis, ut debeant illud persolvere sub ritu duplici primae classis cum octava, sic statuente Ordinario? siquidem in ea regione nullus habetur Patronus canonice electus, sed ex concessione Apostolica Sanctus Ioseph Deiparae Sponsus ut primarius et S. Franciscus Xaverius ut secundarius universae provinciae ecclesiasticae coluntur Patroni;

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, respondit:

« Affirmative; et dentur Decreta, praesertim in una Notthinghamen. 26 Martii 1859 ». Atque ita respondit ac servari mandavit.

Die 9 Maii 1879.

3494. ORDINIS (5782)

MINORUM CONVENTUALIUM

S. FRANCISCI.

Hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium Bruxellis exposuit quod plures fideles, praesertim pauperes, non habentes unde solvere valeant, iuxta suum statum, stipendium nimis onerosum Missae exequialis in Ecclesia parochiali, in ea celebrare faciunt tantum funeralia sine Missa: postea vero, ne defuncti anima privetur augustissimi Missae sacrificii solatio, Missam de Requie celebrare faciunt in aliena Ecclesia, praesertim apud Regulares.

Cum vero praefata Missa de Requie in aliena Ecclesia post aliquot dies a sepultura defuncti cantata locum tenere videatur exequialis, cuius celebrandi ius soli Parocho competit, quamvis revera non sit nisi Missa de tertia, septima vel trigesima die a depositione, vel votiva, dubitatur an huiusmodi Missam celebrare liceat in aliena Ecclesia. Hinc ille insequentia dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An liceat in aliena Ecclesia et apud Regulares cantare Missam de Requie, quam fideles celebrare petunt pro propinquis vel amicis defunctis, postquam funeralia in Ecclesia parochiali persoluta fuerunt, etiamsi Missa exequialis in Ecclesia parochiali non celebretur?

Dubium II. An in casu ad praefatam Missam convocari vel invitari possint propinqui et amici per litteras, sicuti mos est in faciendis exequiis?

Dubium III. An liceat in aliena Ecclesia pro defuncto cantare Missam de Festo vel de Feria, etiamsi Missa exequialis pro eodem non celebretur in Ecclesia parochiali?

Sacra itaque Congregatio, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, propositis dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; servatis tamen Rubricarum regulis ».

Ad II. « Nihil obstare ».

Ad III. « Licere ».

Atque ita rescripsit.

Die 13 Maii 1879.

3495. SANCTIMONIALIUM (5783)

ORDINIS EREMITARUM

S. AUGUSTINI.

Sanctimoniales praedictae postularunt approbationem cuiusdam Scapularis exhibentis colores et imagines quatuor scapularium collective, nempe Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., Immaculatae Conceptionis, De Monte Carmelo et Septem Dolorum B. M. V.;

Sacra Congregatio vero rescripsit: « Negative ».

Die 14 Iunii 1879.

3496. PRAEFECTURAE (5785)

APOSTOLICAE

DE MADAGASCAR.

Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem

insequentia dubia, a Rm̃o Praefecto Apostolico de Madagascar pro opportuna resolutione proposita, transmisit; nimirum:

Dubium I. Num tolerentur cantica in lingua vernacula etiam in Missis quae cum cantu celebrantur, salvo semper remanente usu cantandi Introitum, *Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei?*

Dubium II. Num tolerari possit usus interrumpendi caeremonias Baptismi solemnis adultorum, ad explicandas vernacula lingua hasce caeremonias?

Sacra eadem Congregatio Rituum ad relationem Secretarii, audita etiam sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et Officiis liturgicis solemnibus non esse toleranda, sed omnino prohibenda; extra functiones liturgicas servetur consuetudo ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 21 Iunii 1879.

3497. POLICASTREN. (5786)

Pastoralem visitationem in Ecclesiis Dioeceseos suae peragens Rm̃us Dominus Ioseph Maria Cione Episcopus Policastrensis nonnulla invenit Altaria, in quibus aliquae scissurae conspiciuntur; dubitans porro an haec suam consecrationem amiserint, insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. An haberi debeat execratum Altare fixum, cuius mensa lapidea sit scissa in duas partes fere aequales, ita tamen ut eiusmodi scissura maxime afficiat sepulcrum reliquiarum, neque ambae partes sint seiunctae a gradibus superioribus Altaris ipsius aut a stipitibus suppositis?

Dubium II. An censendum sit Altare portatile suam amisisse consecrationem, ex eo quod lapis sepulcri reliquiarum aliquas habeat scissuras, quae vero sic inter se adhaereant ut nullimode dubitari possit de reliquiarum authenticitate.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, utrique dubio rescripsit:

« Affirmative ». Atque ita respondit ac declaravit.

Die 23 Iunii 1879.

3498. LAUDEN. (5787)

Quamvis Ecclesiam Cathedralem Laudensem ex indubiis monumentis constet rite fuisse consecratam anno 1840, nihilominus in suis parietibus haud una ex duodecim praescriptis Crucibus in praesentiarum apparet. Huic vero defectui providere cupiens Rm̃us Dominus Dominicus Maria Gelmini hodiernus Ecclesiae Laudensis Episcopus a Sacra Rituum Congregatione percontatus est quid in casu agendum sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad Secretarii relationem, sic decernere rata est:

« Depingantur vel sculpantur iterum Cruces, omissa unctionis caeremonia ». Atque ita decrevit.

Die 28 Iunii 1879.

3499. ANTIBAREN. (5788)
ET SCODREN.

R. D. Ioseph Sacchi Sacerdos Archidioeceseos Antibaren. et Scodren. a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum declarationem humillime efflagitavit; nimirum:

Dubium I. In Rituali Romano, titulo *Ordo administrandi Sacram Communionem,* haec habentur: Sacerdotes vero cum Stola communicent. Quaeritur cuiusnam coloris debeat esse huiusmodi Stola?

Dubium II. An Diaconi accedentes privatim ad sacram Communionem debeant deferre super cottam Stolam transversam?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, sic declarare censuit:

Ad I. « Sacerdos communicans utatur Stola eiusdem coloris ac Sacerdos qui ministrat, vel coloris albi ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 4 Iulii 1879.

3500. CONGREGATIONIS (5789)
ORATORII.

Modernus sacris Caeremoniis Praefectus Ecclesiae Congregationis Oratorii in Civitate Venetiarum Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia declaranda humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An in exequiis pro Episcopo vel Archiepiscopo vel Patriarcha vel etiam Cardinali, tam praesente quam absente corpore, vel in exequiis pro Summo Pontifice absente corpore, ponendum seu deferendum sit baldachinum nigrum super defunctum aut super castrum doloris? Et quatenus negative, ad normam responsionis diei 5 Iulii 1631 in una Florentina, quid de consuetudine contraria?

Dubium II. An Episcopi nomen dicendum sit in Canone Missae et in aliis liturgicis Orationibus a die notitiae (etiamsi haec non officialiter habeatur) electionis eiusdem in Concistorio, vel a die captae possessionis Ecclesiae cui a Summo Pontifice praepositus fuit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii sic declarare rata est:

Ad I. « Exposita consuetudo uti abusus est eliminanda ».

Ad II. « A die captae possessionis vel per Episcopum ipsum, vel per suum Procuratorem ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 4 Iulii 1879.

3501. VICARIATUS APOSTOLICI (5790)

BOMBAYEN.

A Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad hanc Sacrorum Rituum sequens dubium Rm̃i Vicarii Apostolici Bombayen. transmissum fuit pro opportuna resolutione; nimirum:

Frequentissimum in Indiis, praesertim inter Goanos, obtinet mos porrigendi Sacerdoti celebranti aquam post sumptas ablutiones et ante Postcommunionem, in Calicem infundendam; quam aquam postea domum asportatam fideles tradunt aegrotantibus bibendam, rati eidem inesse quamdam sanandi vim. Huiusmodi usum aliqui Sacerdotes tamquam antiquum et pium approbant; alii vero tamquam vanum et a communi Ecclesiae consuetudine alienum, et illicitam Missae interruptionem improbant. Quaeritur itaque: An liceat, nec ne, istum agendi morem servare?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum Rm̃i Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, rescribendum censuit:

« Intra Missam non licere ». Atque ita rescripsit.

Die 4 Iulii 1879.

3502. IADREN. (5791)

R. D. Antonio Sucic Canonico Insignis Collegiatae Ecclesiae Pagensis in Archidioecesi Iadren. a Sacra Rituum Congregatione humillime sciscitanti: An in Oratione *A cunctis* nomen Sancti Ioseph Deiparae Sponsi et Catholicae Ecclesiae Patroni addi possit hoc modo *cum beato Ioseph sponso eius*, vel omnino adiici debeat per verba tantum *cum beato Ioseph?*

Et Sacra Rituum Congregatio, referente ipsius Congregationis Secretario, respondit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et detur Decretum in una Ratisbonen. diei 22 Aprilis 1871 in responsione ad III ». Atque ita respondit ac servari mandavit.

Die 18 Augusti 1879.

3503. SEGUSIEN. (5792)

Vigore Brevis Apostolici diei 6 Septembris 1853 pro ditione Regis Sardiniae, sublatum fuit praeceptum audiendi Sacrum et a servilibus abstinendi in nonnullis Festis, inter quae recensetur Annuntiatio B. M. V., obligatione tamen adiecta *sacras functiones peragendi ut antea*. Anno autem 1869, Feria V in *Coena Domini* et Festo Annuntiationis occurrentibus eodem die, Calendarii extensor Dioeceseos Segusien., perpendens nimis acerbum vulnus inferri solemnitati eiusdem Feriae V permittendo celebrationem eodem die Missarum privatarum quas populus non tenetur amplius audire, Annuntiationis Officium cum praecepto peragendi functiones ut antea et Missae a Parochis pro populo applicandae transtulit ad Feriam II post Dominicam in Albis: in aliquibus aliis Dioecesibus subalpinis aliter factum est. Ita et anno 1875 ex Calendariorum extensoribus Provinciae Taurinensis alii parvam Crucem, Festum suppressum indicantem, apposuerunt diei 25 Martii Feria V *in Coena Domini,* alii vero Festum transferentes Crucem istam praemiserunt Feriae II post Dominicam in Albis.

Quum proxime insequenti anno 1880 sese tertio offerat eadem occurrentia, Festi scilicet Annuntiationis et Feriae V *in Coena*

Domini, ne in re tanti momenti libera privatis opinionibus pateat via, Rm̃us Dominus Eduardus Iosephus Rosaz Episcopus Segusien. sui muneris esse duxit Sacram Rituum Congregationem adire, insequentium dubiorum resolutionem ab ea humillime expostulans; nimirum:

I. An incidente Feria V in *Coena Domini* in diem 25 Martii, Festum suppressum Annuntiationis B. M. V. celebrandum sit eodem die quo antea, quando erat de praecepto?

II. An ideo Missae privatae sint permittendae in Paroeciis ad fidelium commoditatem?

III. Et quatenus negative in hoc secundo casu, an in Cathedrali, Episcopo ad conficiendum Chrisma celebrante et Missam solemnem pro Dioecesanis ratione Festi applicante, Parochus Missam privatam pro populo celebrare et applicare debeat?

IV. An praefatum Festum Annuntiationis, quoad sacras functiones, Missae applicationem pro populo etc., transferendum sit, prout transfertur Officium in Feriam II post Dominicam in Albis?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature perpensa, sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative; et detur Decretum in Viglevanen. diei 26 Septembris 1868 ».

Ad III. « Parochus unicam Missam Conventualem diei celebrans eam applicare debet pro populo, alias ad primam Sacri celebrationem; et detur Decretum in Lingonen. in responsione ad primum diei 5 Decembris 1868 ».

Ad IV. « Negative in omnibus ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Augusti 1879.

3504. LUCANA. (5793)

Rm̃us D. Nicolaus Ghilardi hodiernus Archiepiscopus Lucanus visitationem suae Dioeceseos peragens reperiit in quadam Ecclesia parochiali duo Altaria fixa cum integra tabula ex lapide, quae tamen (uti asseritur) ab alia Ecclesia, ubi primitus tamquam fixa consecrata fuisse censentur, ad illam, in qua nunc inveniuntur, translata fuere, atque super eis ab antiquo tempore Missa semper celebrata fuit. Notandum vero est dictam Ecclesiam anno 1866 ab Antistite decessore suo consecratam fuisse et in hac consecratione eadem Altaria in exposito statu remansisse. Ideo ipse Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione humillime exquisivit:

I. Num dicta Altaria pro execratis habenda sint, attento Decreto Sacrae Rituum Congregationis die 15 Maii 1819 in Senogallien.?

Praeterea idem Archiepiscopus aliqua Altaria portatilia invenit in quibus, etsi prudenter praesumi nequeat ullo tempore sepulcrum reliquiarum fuisse apertum, tamen rimula quaedam cernitur inter sepulcrum ipsum eiusdemque operculum, atque huic admota manu tantisper moveri dignoscitur, ob defectum cohaesionis, ex eo quod coementum rimulam ipsam non satis penetrasse ab initio, vel consumptum postea fuisse comperitur. Hinc pariter exquisivit:

II. An eiusmodi Altaria execrata censenda sint?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative; iuxta Decreta alias edita ».

Ad II. « Negative; et ad mentem: mens est ut Archiepiscopus privatim, facta maltha ex coemento prius iuxta Pontificale benedicto, cum eadem tutiori quo fieri potest modo rimulam, quae in aris portatilibus cernitur, inter sepulcrum reliquiarum eiusdemque operculum impleat et operculum ipsum firmet ».

Atque ita respondit, declaravit ac rescripsit.

Die 3 Septembris 1879.

3505. BAIONEN. (5794)

R. D. Ioannes Antonius Solefranque Canonicus et Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Baionensis de consensu sui Rm̃i Episcopi Sacrae Rituum Congregationi quae sequuntur exposuit, ab eaque opportunam resolutionem humiliter expetivit; videlicet:

Anno circiter 1847 Episcopus Baionensis quorumdam fidelium devotioni concessit expositionem SS. Sacramenti feria VI primae hebdomadae cuiuscumque mensis in honorem Sacri Cordis Iesu. Usque ad annum 1858 secundum consuetudinem Ecclesiarum Galliae Missae celebrabantur et Communio distribuebatur ad Altare, ubi SSm̃um Sacramentum erat expositum. Haec consue-

tudo suppressa fuit anno 1858 tamquam abusus Decretis Sacrae Congregationis Rituum condemnatus, quando Ritus Romanus assumptus fuit pro Breviario et Missali in Dioecesi; et abhinc decem et octo annis non celebrabantur Missae et non dabatur Communio ad Altare ubi expositio fiebat. Huic laudabili consuetudini simul et legi derogatum fuit facto Parochi Ecclesiae Cathedralis anno 1875. Quod aegre ferens Commissio liturgica dioecesana Decreta in memoriam revocavit, et statuit quod diebus quibus SSmum Sacramentum adorationi fidelium exponeretur, Missa non celebraretur ad Altare expositionis: Sacra vero pyxis poneretur in Altari proximo in tabernaculo portatili et ibi daretur Communio. Huic decisioni restitit Parochus, et suo Vicario iussit sacram Pyxidem referre ad Altare ubi SS. Sacramentum erat expositum, ibique celebravit et Communionem distribuit. Hinc exorta est lis: Parochus praetendit ad se pertinere custodiam SS. Sacramenti, et Magistrum Caeremoniarum nullam habere auctoritatem in Cathedrali extra caeremonias et functiones mere Capitulares. Hinc quaeritur:

I. Anne Magister Caeremoniarum, agens iuxta decisionem Commissionis liturgicae, cui praeerat Vicarius Generalis, et mandans celebrationem Missae et Communionis distributionem extra Altare ubi SS. Sacramentum erat expositum, sua excesserit et Parochi iura usurpaverit?

II. Utrum custodia et cura venerationis SSmi in Ecclesia Cathedrali pertineat iure ad Parochum, an ad Capitulum?

III. Anne Parochus, resistendo mandatis et ordinationi Magistri Caeremoniarum et celebrando in Altari expositionis et ibi distribuendo Communionem, male egerit et violaverit auctoritatem legitimam et regulas Ecclesiae?

IV. Utrum in Ecclesia Cathedrali, quae simul est Parochialis, functiones cultus divini uti Expositiones et Benedictiones SSmi, spectent ad Capitulum, an ad Parochum?

V. Anne Magister Caeremoniarum Cathedralis ius habeat et obligationem curandi ut regulae liturgicae observentur etiam extra Chorum, in Exequiis et in administratione Baptismi et Matrimonii et omnibus parochialibus functionibus?

VI. Anne Officia, de quibus agitur in Caeremoniali Benedicti XIII, cum cantu persolvi possint iuxta praxim communem in quibuscumque Ecclesiis? (1)

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative; seu Magister Caeremoniarum in casu optime se gessisse ».

Ad II. « Etsi cura et custodia SSmi Sacramenti pertineat ad Parochum iuxta consuetudinem Ecclesiarum, attamen Capitulum invigilet ut res sacrae rite expleantur ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Functiones in Ecclesia Cathedrali, quae simul est Parochialis, spectant ad Capitulum, excepta tamen Sacramentorum administratione ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Negative ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 13 Septembris 1879.

3506. ORDINIS (5796)

MINORUM CONVENTUALIUM

SANCTI FRANCISCI.

Quum Fratres Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium ex praecepto Regulae et Urbanarum Constitutionum teneantur divinum Officium facere secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae; hodiernus Superior Conventus S. Antonii Patavini Ordinis Minorum Conventualium Bruxellis insequentia dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Fratres Minores praecepto Chori satisfaciant, Officium divinum recitando in Oratorio privato Conventus ab Ecclesia separato? Quod si negative,

Dubium II. An praecepto Chori satisfaciant, Officium divinum recitando in Oratorio privato Conventus quod, aperto muro vel accessu, Ecclesiae iungitur?

Dubium III. An Superior localis dispensare possit, ut, eius arbitrio ex causa, veluti ob nimium frigus seu calorem, per aliquot menses Officium divinum recitetur extra Ecclesiam in Oratorio Conventus vel Sacristia?

Sacra porro rituum Congregatio, exquisito voto alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii,

(1) E. Dub. VII.

propositis dubiis rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative, iuxta modum; nimirum: Ad Rm̃um Episcopum qui tamquam Apostolicae Sedis Delegatus visitet locum, et videat an sit decens et cum Ecclesia communicet ».

Ad III. « Provisum in secundo ».

Atque ita rescripsit et decrevit.

Die 12 Decembris 1879.

3507. TARRACONEN. (5798)

Rm̃us D. Benedictus Vilamiltaiana y Vila Archiepiscopus Tarraconen. insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. In una Urgellen. diei 22 Aprilis 1871 ad V dubium declaratum fuit: *Gloria* et *Credo* non alternatim a celebrante et Ministris recitari debere, sed totum ab omnibus esse dicendum, non praeveniendo aut sequendo, ast concomitanter. Quaeritur:

1. Utrum, quum circuli apud Episcopum Missae solemni paratum vel cum cappa interessentem fiunt, *Gloria* et *Credo* recitari debeant ut supra, an alternatim? Et rursum si alternatim,

2. Utrum ab Episcopo et Canonicis simul omnibus circulum facientibus; an tantum ab Episcopo, et duobus Canonicis proxime adstantibus, et a ceteris Canonicis binis et binis intra se?

3. Utrum tam in circulis, quam in Altari, *Sanctus* et *Agnus Dei* alternatim dici debeant; an dicenda sint ubique ab omnibus simul?

Dubium II. In una Erien. diei 20 Augusti 1870 declaratum fuit non posse Episcopum Missam pontificalem cum solis Diacono et Subdiacono, omissis aliis Ministris, celebrare. Quaeritur: An celebrare possit Missam solemnem cum Diacono et Subdiacono ritu sacerdotali? Item an possit peragere more sacerdotali functiones sacerdotales, saltem aliquas v. g. Ecclesiam benedicere vel consecrare?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente ipsius Congregationis Secretario, atque exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarandum censuit:

Ad I. « Quoad primam quaesiti partem, Decretum servandum ut supra in Urgellen.; quoad secundam et tertiam partem, provisum in prima ».

Ad II. « Negative in omnibus ».

Atque ita decrevit, declaravit ac servari mandavit.

Die 7 Ianuarii 1880.

3508. VALVEN. (5799)
ET SULMONEN.

Rm̃us D. Tobias Patroni Episcopus Valven. et Sulmonen., ad omnem conscientiae suae anxietatem in recitatione divini Officii removendam, a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem enixe postulavit; nimirum:

In Cathedrali Ecclesia Sancti Pamphili Sulmonae recitantur Officia omnium Sanctorum Sanctae Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum; quod non fit in Cathedrali Valven., neque in Dioeceseos Ecclesiis. Quum vero Episcopus orator habitualiter resideat Sulmonae, potest ne se conformare Calendario Cathedralis Sulmonensis?

Et Sacra Rituum Congregatio referente Secretario rescripsit:

« Episcopus utatur iure suo ».

Die 17 Ianuarii 1880.

3509. MUTINEN. (5800)

Vertente anno 1873, Rm̃us Dominus Ioseph Maria Guidetti e Comitibus Guidi hodiernus Archiepiscopus Mutinen. tamquam Sedis Apostolicae Delegatus secundam in Metropolitano Capitulo erexit Dignitatem titulo Praepositurae, assignans quidem huic novae Dignitati secundum Chori stallum, et tertium Canonico Theologo, qui antea secundo vel quarto potiebatur pro maiori vel minori cum Canonico Poenitentiario prioritate; tunc vacante uti etiam nunc, sed canonice non suppresso Archidiaconatu, qui tertia Sede fruebatur in Choro. Nulla quidem in Metropolitano Capitulo Mutinensi presbyteralis vel diaconalis aut subdiaconalis ordinis unquam extitit distinctio: attamen vigore antiquae consuetudinis neque Canonicus Theologus, neque Poenitentiarius, cum unus vel alter secundo potiebatur stallo, assistentiam Cathedrae Archiepiscopali praestabat.

Verum immutatio per novae Dignitatis erectionem in Capitulo indicta occasionem praebuit controversiae; num scilicet praefata assistentia pertineret ad novum Praepositum, vel potius ad Canonicum Theologum. Haec quidem controversia ab initio

suspensa mansit, quia novus Praepositus vix accepta suae dignitatis possessione aegrotavit, et infirmus fuit usque ad mensem Decembris 1878 quo obiit.

Immisso tamen in Dignitatis possessione hodierno Praeposito, quaestio inter Canonicum Theologum et Capitulum iterum exarsit. Rev. enim Dominus Augustinus Pini hodiernus Canonicus Theologus orator, innixus dispositioni Caeremonialis Episcoporum Lib. I, Cap. VII, § 1, contendebat assistentiam Cathedrae Episcopali non ad se qui tertio potitur in Choro stallo, sed ad novum Praepositum spectare, utpote qui iuxta enunciatum Caeremoniale Episcoporum immediate sedet post primam Dignitatem.

Capitulum e contra totis viribus affirmare nitebatur hanc assistentiam ad Canonicum Theologum pertinere, quia tertium obtinet stallum; asserens consuetudinem de qua supra, vi cuius antea ab assistentia ipsa dispensabatur, quia secundam Sedem in Choro tenebat, adhuc vigere; eo vel magis quod ipse Rm̃us Archiepiscopus in suo erectionis decreto illam confirmasse videtur, quando huius Dignitatis naturam et proprietates edisserens asseruit conditiones Dignitatis eiusdem ab actuali Capituli statu esse deducendas, sive ipsae lege invectae sint, sive consuetudine.

Ne vero controversia ipsa ulterius progrederetur, idem Canonicus Theologus, de consilio etiam Rm̃i Archiepiscopi Mutinen., Sacrae Rituum Congregationi sequens proposuit dubium, opportunam ab ea expetens solutionem; nimirum: An enunciata innovatione in Capitulo Mutinen. facta, servari in posterum debeat Caeremoniale Episcoporum, vel antiqua consuetudo, de qua supra, pro assistentia Cathedrae episcopali praestanda?

Et Sacra Rituum Congregatio, re maturo examine perpensa, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, proposito dubio rescribere rata est:

« Ratione factae innovationis, servetur omnino Caeremoniale Episcoporum ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 17 Ianuarii 1880.

3510. AURELIANEN. (5801)

Rm̃us Dominus Petrus Coulliè Episcopus Aurelianen. a Sacra Rituum Congregatione sequens dubium declarari humillime petiit; nimirum:

An servari possit consuetudo ut in Exequiis parvulorum Missa de die vel votiva de Angelis legatur vel cantetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, auditaque sententia unius ex Consultoribus eiusdem Sacrae Congregationis, omnibus perpensis, sic declarare censuit:

« Servetur consuetudo; sed Missa votiva de Angelis legatur vel cantetur, tantum diebus a Rubrica permissis ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 30 Ianuarii 1880.

3511. MINDONIEN. (5802)

Quum Rm̃us D. Episcopus Mindonien. efflagitasset an uti posset pyxide vitrea ad servandam et administrandam sacram Synaxim locis sylvestribus ac imperviis, ubi latrones metalli amore capti pyxides furantur horrendum sacrilegium perpêtrantes;

Sacra Congregatio respondit: « Negative ».

Die 30 Ianuarii 1880.

3512. ORDINIS S. IOANNIS DE DEO. (5805)

Rm̃us P. Ioannes Maria Alfieri Prior Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem humillime efflagitavit; nimirum:

Utrum Regulares habentes Festa propria, sed ad normam Rubricarum Breviarii Romani se conformantes Calendariis Dioecesium Hispaniarum, teneantur se conformare etiam octavis Festorum Dioecesium, quando non adest Decretum pro Regularibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente ipsius Secretario, eiusmodi dubio rite perpenso, rescribendum censuit:

« Negative; et detur Decretum in una Florentina diei 14 Iunii 1845 in responsione ad primum ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 20 Martii 1880.

3513. DELEGATIONIS APOSTOLICAE PERUVIANAE. (5807)

Rm̃us Dominus Marius Mocenni Archiepiscopus Heliopolitanus ac Delegatus Apostolicus Peruvianus de Sacrae Liturgiae ob-

servantia summopere sollicitus a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit:

An antequam SSmum Eucharistiae Sacramentum, quod occasione Orationis Quadraginta Horarum, vel alia quacumque ex causa, publicae adorationi expositum fuit, in Tabernaculo reponatur, debeat cani Hymnus *Tantum ergo* usque ad finem cum versiculis et Oratione *Deus qui nobis;* ac deinde, servatis iuxta Rituale Romanum servandis, cum Ostensorio signum Crucis super populum facere?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, auditoque Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis, sic respondendum censuit:

« Affirmative; et dentur Decreta in Ultraiecten., diei 11 Iulii 1857 ad tertium; et in una Ordinis Capuccinorum Provinciae Helveticae diei 23 Maii 1835 ad tertium ». Atque ita respondit et rescripsit.

Die 15 Aprilis 1880.

3514. AQUEN. (5808)

Vicarius Generalis Dioeceseos Aquen. a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii authenticum responsum humillime exquisivit; nimirum:

Num Ecclesiae, quae indultum obtinuerunt ab Apostolica Sede bis vel ter in hebdomada Missam de Requie cantandi in duplicibus, tali indulto frui adhuc possint si in eadem hebdomada totidem Officia semiduplicia occurrant?

Et Sacra Rituum Congregatio respondit: « Affirmative ».

Die 15 Aprilis 1880.

3515. VIGLEVANEN. (5809)

Rmus Dominus Petrus Ioseph de Gaudenzi Episcopus Viglevanen., summopere exoptans ut Clerus sibi creditae Dioeceseos tam in divinis laudibus persolvendis quam in singulis ecclesiasticis functionibus peragendis omnia ad Rubricarum praescriptum ac Decretorum placitum rite componantur, Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Iuxta Decreta ac Rituale Romanum, in administranda christifidelibus Communione extra Missam adhibenda est Stola coloris respondentis Officio diei. Quaeritur autem an etiam bursa, a Sacerdote deferenda ante pectus, debeat esse eiusdem coloris Stolae, prout magis congruere videtur; vel possit in quocumque casu adhiberi bursa coloris albi iuxta morem plurium Ecclesiarum, etiamsi Stola alium praeseferat colorem?

Dubium II. Quaeritur an Oratio *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili etc.* recitanda a Sacerdote in Ecclesia, sive in distribuenda christifidelibus Communione extra Missam, sive postquam delatum ab ipso fuerit Viaticum ad infirmos, terminari debeat cum conclusione brevi: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum;* vel cum altera longa: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.?*

Dubium III. Quaeritur an in Festo S. Petri Martyris die 29 Aprilis, quando idem Festum transfertur post tempus Paschale, recitari debeat in Officio Homilia 1 loco super Evangelium: *Si quis venit,* cum Missa *In virtute;* vel iuxta Missale Romanum recitanda sit Missa *Laetabitur* cum Evangelio *Si quis vult,* tam in Officio quam in Missa?

Dubium IV. In Missa Feriae V in Coena Domini post intonationem *Gloria in Excelsis* pulsantur Organa et Campanae, quae deinceps silent iuxta Rubricas usque ad Sabbatum Sanctum. Quaeritur vero an sonitus Organi protrahi possit usque in finem Hymni Angelici, adeo ut Chorus hunc Hymnum prosequatur, Organi pulsatione cantum intercalante, usque ad finem, more solito; vel Hymnus Angelicus totus sit decantandus a Choro, quin intermisceatur sonitus Organi, quod pulsari tantummodo debeat aliquantulum post intonationem Hymni praedicti, ac postea silere omnino usque ad Sabbatum Sanctum?

Dubium V. In Civitate Viglevanensi duae olim extabant Ecclesiae parochiales; quarum una sub titulo S. Christophori Martyris et altera sub titulo Sancti Dionysii Martyris. Diruta ac solo aequata prima ex iisdem Ecclesiis, Beneficium pro cura animarum exercenda translatum fuit ad Ecclesiam sub titulo S. Petri Martyris, adeo ut in praesentiarum titulus Beneficii designetur sub nomine S. Christophori, titulus autem Ecclesiae parochialis sub nomine S. Petri Martyris. Altera vero Ecclesia sub titulo S. Dionysii adhuc quidem subsistit, sed propter eius arctitudinem Beneficium curatum translatum fuit paucis abhinc annis ad aliam Ecclesiam in districtu Paroeciae existentem sub titulo S. Francisci Confessoris, amplitudine et commoditate illi praeferendam. Iuxta Decretum 21 Iulii 1855 in Capuana in responsione ad dub. primum, nullum videtur extare du-

bium Parochum S. Petri Martyris non amplius teneri ad celebrandum sub ritu duplicis primae classis cum octava Festum S. Christophori Titularis Ecclesiae dirutae et destructae. Dubium vero exurgit quoad Parochum S. Francisci, quum antiqua Ecclesia parochialis sub titulo S. Dionysii adhuc subsistat, tamquam succursalis praesentis Ecclesiae parochialis S. Francisci. Hinc quaeritur:

1. An Parochus S. Petri Martyris teneatur ad celebrandum sub ritu Titularibus competenti Festum tantummodo propriae Ecclesiae parochialis sub titulo S. Petri Martyris; vel utrumque, scilicet Festum S. Christophori ac Festum S. Petri Martyris?

2. An Parochus S. Francisci teneatur ad celebrandum supradicto ritu utrumque Festum, scilicet Festum S. Dionysii Titularis antiquae et Festum S. Francisci Titularis novae Ecclesiae parochialis; vel adigatur tantummodo ad celebrandum sub ritu duplicis primae Classis cum octava Festum S. Francisci, celebrando alterum S. Dionysii eodem ritu, quo descriptum manet in Calendario Dioecesano? (1)

Dubium VI. In Civitate Viglevanensi duae extant nunc Paroeciae praeter Cathedralem. In prima ex ipsis S. Petro Martyri dicata, quum horis vespertinis peraguntur exequiae super cadavera defunctorum, adest perantiqua consuetudo recitandi seu cantandi a Clero cunctas Preces a Rituali praescriptas usque ad ultimam Orationem *Fac quaesumus Domine* inclusive; etiam quando cadavera Defunctorum ad sepulturam non deferuntur, sed servantur in aliquo loco decenti prope Ecclesiam, ut mane subsequentis diei celebrari possit in eorumdem suffragium Officium cum Missa cantata de Requie praesente Cadavere, quod absoluta vix Missa defertur ad Coemeterium absque repetitis precibus exequialibus. In altera vero Paroecia S. Francisci, quum persolvitur Officium Defunctorum cum Missa cantata de Requie praesente Cadavere pridie vespere ad Ecclesiam delato, sero antecedenti cantantur exequiae usque ad Orationem *Non intres,* ac reliquae Preces complentur mane subsequentis diei post absolutam Missam de Requie. Quaeritur autem an in unaquaque Paroecia sustineri possit invecta consuetudo; vel sit tamquam abusus reprobanda atque eliminanda?

(1) E. Dub. VI, VII, VIII, X et XI.

Dubium VII. An Presbyter, assistens primae Missae neo-Sacerdotis, uti debeat Stola a principio Missae usque ad finem, uti assolent nonnulli; vel eam assumere debeat a principio Canonis usque ad consummationem tantum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis accurato examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Convenit ut bursa sit eiusdem coloris ac Stola a Sacerdote deferenda ».

Ad II. « Oratio *Deus qui nobis* concludi debet ut in Rituali Romano ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Servetur consuetudo ».

Ad V. « Quoad primam quaestionem: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Quoad alteram quaestionem: « Celebret Festum S. Francisci in Ecclesia S. Francisci; Festum S. Dionysii in Ecclesia succursali Sancti Dionysii ».

Ad VI. « Servetur praescriptum Ritualis Romani ».

Ad VII. « Servetur consuetudo ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 11 Iunii 1880.

3516. BARCINONEN. (5810)

Sanctimoniales Monasterii S. Petri vulgo nuncupati *de las Puellas* in Civitate Barcinonensi, obtenta apostolica venia, Monasterium, ubi antea degebant, vendiderunt, ut novum in alio loco extruerent, in quo nunc commorantur. At vero in Ecclesiam antiqui Monasterii ius proprietatis sibi reservantes, eiusdem usum Parocho cesserunt.

His expositis Superiorissa earumdem Sanctimonialium a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii resolutionem humillime postulavit; nimirum:

Anne praefata Religiosa Communitas, ob ius proprietatis, quod habet in Ecclesiam ipsam, teneatur ad Officium Dedicationis eiusdem?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re mature perpensa, respondendum censuit:

« Non teneri ». Atque ita respondit ac decrevit.

Die 7 Augusti 1880.

3517. LUCEN. (5811)

Magister Sacrarum Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Lucen. de consensu sui Rm̃i Episcopi a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii declarationem humillime exquisivit; nimirum:

An diebus, quibus excluduntur Commemorationes ratione Vigiliae privilegiatae vel solemnium Festorum nempe duplicium primae et secundae classis, facienda sit Commemoratio SSm̃i Sacramenti ratione Expositionis?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescripsit:

« In Missis solemnibus, Affirmative; in privatis, Negative ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 7 Augusti 1880.

3518. HISPALEN. (5812)

Exposuit Rm̃us Vicarius Generalis Archidioeceseos Hispalen. huic Sacrae Rituum Congregationi perantiquam consuetudinem in Metropolitana Ecclesia Hispalen. hactenus servatam invaluisse tradendi clavem Monumenti seu Capsulae, ubi Feria V in Coena Domini SSm̃um Eucharistiae Sacramentum reponitur, Praefecto seu Gubernatori Provinciae civilis, ut eam e collo pendentem usque ad Feriam VI in Parasceve palam deferat; et singularem hunc honorem, quem magni facere solent eiusmodi Dynastae, pro fundamento habere universalem Patronatum Regis Catholici, cuius personam et auctoritatem ipsi gerunt in omnes Regni Hispaniarum Ecclesias.

Iamvero quum ipsemet Vicarius Generalis adverterit huiuscemodi consuetudinem Sacrae huius Congregationis generalibus Decretis omnino adversari; ad removendam quamlibet collisionem inter potestatem civilem et ecclesiasticam, humillimas porrexit preces pro obtinenda speciali dispensatione in casu, saltem usque dum Regius Patronatus ab Apostolica Sede concessus et recognitus fuerit.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, omnibus accurate perpensis, sic in casu decernendum censuit:

« Tolerari posse ut praeter clavem realem Monumenti seu Capsulae, quae prorsus servanda erit penes Sacerdotem, alia symbolica clavis tradatur praefato Gubernatori Provinciae civilis ».

Die 7 Augusti 1880.

3519. AUXIMANA. (5813)

Sacerdos Pius Quatrini, Canonicus Coadiutor Insignis Collegiatae Ecclesiae S. Donati oppidi Montis Fani Dioeceseos Auximanae, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit se olim, quum tres tantummodo Canonici praeter Beneficiatos ad Vesperas solemniter celebrandas convenissent, a quodam Canonico prohibitum fuisse ne quartam Antiphonam praecineret, quae sibi a Cantore iam praeintonata fuerat. Ipse vero ne contentiones exorirentur ab Antiphona intonanda abstinuit, et passus est Canonicos digniores vices supplere; attamen quum sibi persuadere non possit, quod idem Canonicus acriter propugnat, scilicet id muneris, etsi Canonici quatuor non adsint, ad Coadiutorem non spectare, si Coadiutus Vesperis intersit et Antiphonam intonaverit, eamdem Sacram Congregationem, sui Rm̃i Episcopi consensu, supplex rogavit ut sequens dubium dirimere dignaretur; nimirum:

An deficientibus quatuor Canonicis, qui Vesperarum Antiphonas incipiant, Canonicus Coadiutor ius habeat Antiphonam praecinendi, etiamsi Coadiutus Choro intersit et Antiphonam iuxta ordinem intonaverit?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris auditaque sententia Rm̃i Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, ad relationem Secretarii, rescribere rata est:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Augusti 1880.

3520. AUXITANA. (5814)

Quum Rev. D. Salomon Canonicus honorarius Metropolitanae Ecclesiae Auxitanae, de consensu sui Rm̃i Archiepiscopi, a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii declarationem humillime postulaverit; nimirum:

An Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti argento, auro vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso a generali obligatione illud tegendi Conopoeo sit immune?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caere-

moniarum Magistris, ad relationem Secretarii, sic rescribendum censuit:

« Servetur praescriptum Ritualis Romani ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Augusti 1880.

3521. SANCTI IACOBI DE CHILE. (5815)

In Metropolitana Ecclesia Sancti Iacobi de Chile mos viget ab immemorabili tempore inductus recitandi Horas Canonicas minores ante Missam Solemnem seu Conventualem, iis diebus in quibus locum habeat Concio vel Processio. Hodiernus porro praefatae Ecclesiae Archidiaconus, dubitans an licite eiusmodi mos continuari valeat, a Sacra Rituum Congregatione opportunam imploravit declarationem.

Sacra vero eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, declarare censuit:

« Negative, quoties fieri debeat Concio; Affirmative, si agenda sit Processio cum Sanctissimae Eucharistiae Sacramento ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 7 Augusti 1880.

3522. AMALPHITANA. (5816)

Quum ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, Cathedrali excepta, in Archidioecesi Amalphitana quotannis recolitur Dominica quae postrema occurrit in mense Octobri, Rm̃us Dominus hodiernus Archiepiscopus ab eadem Sacra Congregatione exquisivit:

Num huiusmodi Festum in omnibus suae Archidioeceseos Ecclesiis; vel in solis consecratis peragendum sit; excepta licet Cathedrali, cuius Anniversarium Dedicationis Dominica prima Septembris celebratur?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in casu, declaravit:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 20 Augusti 1880.

3523. BRIXIEN. (5817)

Rm̃us Dom. Episcopus Brixien. exposuit huic Sacrae Rituum Congregationi consuevisse in quibusdam Brixien. Dioeceseos Ecclesiis, statutis diebus, coram SSm̃o Sacramento Eucharistiae decantari quasdam invocationes ad instar Litaniarum Sacratissimi Cordis Iesu. Dubitans vero ipse an eiusmodi mos tolerari possit et debeat, ab eadem Sacra Congregatione authenticam in re exquisivit declarationem.

Sacra itaque Congregatio declaravit: « Praefatas invocationes ad instar Litaniarum haud licite posse in Ecclesiis recitari, praesertim coram Sanctissimo Sacramento; quippe quae Sanctae Sedis approbatione prorsus careant ».

Die 24 Augusti 1880.

3524. BRIOCEN. (5818)

Vicarius Generalis Rm̃i Episcopi Briocen. insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi humillime enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. Rubrica Ritualis Romani in Ordine Exequiarum quoad benedictionem tumuli sic se habet: *cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicat dicens hanc orationem etc.* Quaeritur:

1. An Sacerdos debeat facere hanc benedictionem etiamsi Sepulcrum adsit in Coemeterio iam antea benedicto, adeo ut in omnibus Exequiis fidelium, saltem eorum qui ad usum rationis pervenerint, benedictio Sepulcri sit requisita, excepto solummodo casu Sepulcri iam antea ut talis benedicti?

2. Cum formula benedictionis tumuli a Rituali Romano tradita loquatur tantum de defunctis, qui ante decessum ex hac vita peccare potuerunt, cumque aliunde idem Rituale benedictionem tumuli parvulorum non praescribat, nec formulam specialem pro benedictione talis tumuli tradat, quaeritur: Quid de benedictione Sepulcri parvulorum? An scilicet in omni casu omittenda sit, sive parvuli sepeliantur in Coemeterio iam antea benedicto, sive sepeliantur in Coemeterio non prius benedicto; et si omitti non debet, quomodo talis benedictio facienda erit?

Dubium II. Tum in Rituali, tum in Missali reperitur tantum Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere, non autem in specie. Quare quaeritur: Quando Sacerdos facultatem habens benedicere vult unum tantum indumentorum, ex. gr. Cingulum; dictus Sacerdos uti ne debet eadem supra-

dicta formula generali, mutando numerum pluralem in numerum singularem? et si Sacerdoti facultatem habenti uti non licet formula benedictionis indumentorum in specie quae requiritur in Pontificali, quid sentiendum de benedictione unius vel plurium indumentorum sacerdotalium ab ipso facta, si usus sit formula benedictionis in specie excerpta e Pontificali Romano? Anne benedictio in casu habenda est ut valida?

Dubium III. Docent auctores quod Palla sit benedicenda simul cum Corporali, et non aliter. Quare quaeritur:

1. An Palla possit benedici separatim a Corporali, ex. gr. quando Corporale est iam benedictum, et adest nova Palla seu adsunt novae Pallae absque Corporali benedicendae?

2. Quando autem benedicitur una Palla simul cum unico Corporali; quaeritur an Orationes praescriptae recitari debeant numero singulari, veluti si tantum adesset Corporale benedicendum?

3. Tandem si plures adessent Pallae benedicendae simul cum uno tantum Corporali, vel plura Corporalia absque vel simul cum una vel pluribus Pallis; quaeritur an Minister benedictionis uti debeat numero plurali?

Dubium IV. 1. Quum, tradendo formulam benedictionis novae Crucis, Rituale Romanum post primam Orationem adiungat alteram sub Rubrica *alia Oratio ad idem;* quaeritur: An haec secunda Oratio possit omitti a Sacerdote benedicente sine solemnitate unam vel plures parvas Cruces; adeo ut, dicta prima Oratione, praedictam Crucem seu praedictas Cruces aspergat aqua benedicta, omissa secunda Oratione et adoratione de qua in Rubrica sequenti?

2. Quando Crux praesertim parva cum imagine SS̃mi Crucifixi est benedicenda, quaeritur: An sumenda sit formula benedictionis novae Crucis; vel potius formula benedictionis Imaginum Domini Nostri Iesu Christi?

Dubium V. Sabbato Sancto, nec non Sabbato in Vigilia Pentecostes, in benedictione Fontis plerumque, si non semper, Fons baptismalis non potest capere aquam sat copiosam ut christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta, ad eam habendam in suis domibus, cubiculis etc. Igitur quaeritur: An liceat dolium vel aliud vas sat amplum aqua refertum iuxta Fontem ponere, et aquam in ea contentam benedicere secundum ritum praescriptum Sabbato Sancto usque ad effusionem sancti Olei exclusive, et peracta hac prima parte benedictionis, de dicta aqua benedicta in Fontem baptismatis fundere, et tum supra ipsum Fontem prosequi benedictionem, uti in Missali legitur, relicta aqua, quae remanet in dolio, usui fidelium?

Dubium VI. Hodie, saltem in Gallia, lunula seu parva capsula, in qua includitur Hostia reponenda in Ostensorio, expositionis SS̃mi Sacramenti causa, efformatur duobus parvis circulis deauratis duplici etiam crystallo munitis, adeo ut Hostia locata in dicta parva capsula clare per vitrum appareat ex utraque parte eiusdem capsulae. Quando autem Hostia est consecranda ad exponendum SS̃mum Sacramentum, praefata lunula seu capsula ex Ostensorio extracta, apprime clausa et Hostiam consecrandam continens, reponitur initio Missae super corporale. Quaeritur autem: An ante oblationem et praesertim ante consecrationem aperienda sit dicta lunula seu capsula, quamvis Hostia per vitrum seu crystallum plane appareat Sacerdoti, sicut discooperiendum est iuxta Rubricam Missalis vas Hostiarum consecrandarum; adeo ut non sit licitum consecrare Hostiam crystallo seu vitro coopertam seu remanentem inclusam inter duo crystalla lunulae?

Sacra itaque Rituum Congregatio, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, auditaque sententia R. P. D. Laurentii Salvati S. Fidei Promotoris, ad relationem sui Secretarii, omnibus accurato examine perpensis sic rescribere rata est:

Ad I. « Quoad primam quaestionem: Affirmative, quoties agitur de Sepulcro ex nova materia confecto; quoad secundam quaestionem: Satis esse servare quae a Rituali Romano praescribuntur ».

Ad II. « Haec benedictio in casu valida habeatur; servanda tamen est formula in Missali Romano praescripta ».

Ad III. « Quoad primam quaestionem: Affirmative; ad secundam et tertiam: Formula recitanda prout iacet ».

Ad IV. « Quoad primam quaestionem: Negative; quoad secundam: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad V. « Affirmative; idest licet perficere in uno tantum vase extra Fontem posito benedictionem aquae, deinde fundendae in Fontem ipsum, ante immixtionem sancti Olei ».

Ad VI. « Affirmative ; servetur tamen Decretum in una Vicariatus Apostolici de Dania diei 4 Februarii 1871 in responsione ad dubium IV ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 4 Septembris 1880.

3525. PAPIEN. (5819)

Rm̃us D. Augustinus Riboldi Episcopus Papien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime subiecit; nimirum:

I. Utrum Episcopus permittere possit Clericum tonsuratum vel saltem Minoristam Subdiaconi in Missa munere fungi, quamvis Sacerdotes adsint, qui tamen vel cantui, vel Confessionibus excipiendis, vel aliis sacri ministerii operibus incumbunt? Et in casu absoluti defectus Sacerdotum, an idipsum fas sit Episcopo in ruralibus Parochiis permittere ; vel potius Missa canenda ibidem sit absque assistentia sacrorum Ministrorum? (1)

II. An permitti queat ut in domibus Instituti Filiarum Charitatis, vulgo nuncupatarum *Canossiane*, SS. Eucharistiae Sacramentum servetur in Sacellis, quae Dormitorio puellarum educandarum subsunt? Et quatenus negative, petitur ad hoc opportunum indultum ; siquidem haud possit sine gravi incommodo ac damno alia loca pro Dormitoriis ipsis a praesenti usu libera reddere?

III. An in nosocomio Papien. permitti valeat ut in uno ex duobus Sacellis ibi existentibus SSm̃um Eucharistiae Sacramentum servetur, etsi in eo nec omnibus diebus festivis Sacrum peragatur ; vel prohiberi id omnino debeat, non obstante periculo cui subessent infirmae moriendi absque SSm̃o Viatico ob incommodum satis grave pro Sacerdote adeundi alterum Sacellum ut inde sacra Synaxis iisdem procuretur?

IV. Quum Sacra Rituum Congregatio cuidam postulato ab eodem Rm̃o Episcopo oratore exhibito respondisset : Decreta vetant in Altari, in quo SSm̃um Sacramentum publicae venerationi expositum manet pro Oratione Quadraginta Horarum, Eucharisticam Communionem huiusce Expositionis tempore fidelibus distribuere, quae in alio prorsus Altari servanda est ; quaeritur: An huiusmodi responsum servandum etiam sit pro ruralibus parochialibus Ecclesiis, in quibus licet secundarium adest Altare, nimis incommodum et indecens esset ob Ecclesiarum ipsarum angustiam inibi sacram Synaxim administrare?

Sacra vero Rituum Congregatio, singulis hisce dubiis accurate perpensis, auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris nec non Rm̃i Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, ad relationem Secretarii, ita respondendum censuit :

Ad I. « Detur Decretum in una Florentina diei 22 Iulii 1848, in responsione ad dub. 4 ».

Ad II. « Pro gratia; et ad mentem: Mens est ut Altari imponatur ampla Umbella, vulgo *Baldacchino* ».

Ad III. « Negative ; et ad mentem: Mens est ut Sacerdos ex proximo Sacello sumat SSm̃am Eucharistiam eamque deferat infra pectus capsula inclusam ».

Ad IV. « Affirmative ; et ad mentem : Mens est ut in hisce Ecclesiis Altari laterali apponatur parvum Ciborium amovibile ; et, si opus sit, loco transennae vulgo *Balaustra*, scamna circumponantur ».

Atque ita respondit, declaravit et servari mandavit.

Die 23 Novembris 1880.

3526. PLACENTINA. (5821)

Quum Rm̃us Dñus Ioannes Baptista Scalabrini Episcopus Placentinus Sacrae Rituum Congregationi duo insequentia dubia solvenda proposuerit ; nimirum :

I. Num Canonici munus Diaconi et Subdiaconi obeuntes Episcopo solemniter impartienti benedictionem cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento in Cathedrali sive in alia Civitatis Ecclesia, teneantur induere Tunicellam prouti in Pontificali Romano in die Festo Corporis Christi praescribitur?

II. Num in eodem casu tolerari possit antiqua consuetudo, qua Canonici Diaconi Episcopo sacris paramentis induto assistunt cappa magna, quin ab iisdem Stola deferatur?

Sacra eadem Congregatio, hisce dubiis rite perpensis, sic respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ; et inductam consuetudinem omnino eliminandam esse tamquam abusum ».

Atque ita respondit et rescripsit.

Die 15 Ianuarii 1881.

(1) E. Dub. II.

3527. ALTONEN. (5822)

A Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad hanc Sacram Rituum Congregationem transmissum fuit quaesitum nuper ab Episcopo Altonen. propositum; utrum scilicet deficientibus aliis mediis ad impediendum quominus vasa sacra ex metallo confecta, in quibus asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum in Tabernaculo, a furibus diripiantur sacras species nefando scelere profanantibus, Episcopo liceat praecipere, ut Sanctissima Eucharistia in Corporali tantum involuta custodiatur, quoties timeatur periculum expositi facinoris.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Congregationis Secretario, omnibus in casu accurate perpensis, sic decernere censuit:

« Non expedire; et curet Episcopus ut Sacra Eucharistia cautius custodiatur ».

Dum itaque huiusmodi Rescriptum communicatur, Rmum Episcopum monere praestat ut provideat quatenus in quavis Ecclesia, ubi SSmum Sacramentum retinetur, nunquam desit custos, qui prope eam commoretur, prouti ab ecclesiasticis praescriptionibus sancitum est.

Romae 17 Februarii 1881.

3528. AVENIONEN. (5823)

Iuxta Caeremoniale Episcoporum cantus solemnis Orationum adhiberi debet solum in Missa, Laudibus et Vesperis. Verumtamen in pluribus locis est in usu ut cantus solemnis adhibeatur in Orationibus quae cantantur in Processionibus et benedictionibus SSmi Sacramenti. Hinc Rmus D. Franciscus Eduardus Horby Archiepiscopus Avenionen. a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit:

An cantus Orationum in Processionibus et benedictionibus SSmi Sacramenti debeat esse nec ne solemnis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, respondendum censuit:

« Servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. 1, Cap. XXVII §§ 1 et seq.; et in functionibus extra Missam, Laudes et Vesperas adhibeatur cantus minus solemnis ». Atque ita respondit et declaravit.

Die 23 Martii 1881.

3529. TAURINEN. (5824)

Exposuit Rmus Archiepiscopus Taurinensis Sacrae Rituum Congregationi quemdam Sacerdotem Missionarium Apostolicum in Subalpinis regionibus, praegrandis praedicationis gratia, saepe ad animos excitandos ad devotionem erga SSmum Sacramentum hac consuevisse methodo uti; nimirum: Hora statuta pro sermone de SSma Eucharistia, disponit Sacerdotem, qui Missam lectam est celebraturus, ac Missa inchoata quater, octies vel etiam pluries Sacrum interrumpere facit, sive ante sive post sive in ipso Canonis decursu, ut explicet populo divina amoris mysteria quae interea aguntur, quod Missam ad quadrantem et ultra protrahit.

Quum haec agendi ratio liturgicis praescriptionibus absona videatur, ab hac Sacra Congregatione percontatus est: Num enuntiatam methodum admittere unquam liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, huic quaesito respondit:

« Negative; et ad mentem. Mens autem haec est ut si sermones de SSma Eucharistia fieri lubeat, hi fiant ante Missam, et semel tantum ante fidelium Communionem, si haec locum habeat ».

Die 23 Martii 1881.

3530. NEAPOLITANA. (5825)

Per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 11 Martii 1871 in una Burgi S. Domnini ad dubium I rescriptum fuit posse continuari consuetudinem inibi vigentem recitandi in lingua vulgari ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sive post Orationem *Deus qui nobis etc.* ante benedictionem, sive post istam, preces: *Dio sia benedetto, Benedetto il suo Santo Nome etc.* Quoniam vero in quodam Monasterio Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti in Archidioecesi Neapolitana mos invaluit canendi post Orationem et ante benedictionem SSmi Sacramenti alteram ex Antiphonis ferialibus Divini Officii de tempore occurrentem, nempe *Ave Regina coelorum, Regina coeli, Salve Regina, Alma Redemptoris;* Rmus D. Gulielmus Sanfelice Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit:

I. An eiusmodi consuetudinem continuare liceat?

II. An in aliis quoque Ecclesiis permitti valeat quasdam preces in vulgari idiomate recitari ante et post Sacramenti benedictionem?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caere-

moniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Antiphonae praedictae cantentur immediate post Litanias cum Oratione B. Mariae Virginis congruente; si vero non cantentur Litaniae, Antiphonae eaedem praemittantur Hymno *Tantum ergo* ».

Ad II. « Negative, si immediate ante Benedictionem ».

Atque ita rescripsit.

Die 23 Martii 1881.

3531. DE GUAYANA. (5826)

Rm̃us Dominus Ioseph Emmanuel Armyo Episcopus de Guayana ab hac Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem supplicibus votis imploravit; nimirum:

I. Num Officium SSm̃i Redemptoris, et Officia Cordis, Maternitatis, Puritatis ac Patrocinii B. Mariae Virginis; Dominicis assignatis impedita, transferenda sint; an potius omittenda?

II. Num transferenda vel omittenda sint, quoties impedita occurrant, Officia Orationis in Monte Oliveti, Passionis, Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, Sindonis, Quinque Vulnerum et Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi?

III. Num dies 26 Martii assignari possit ut sedes fixa Festi perpetuo translati?

IV. Num in solemni Nuptiarum benedictione servandus sit ritus benedicendi arrhas et duos annulos, prout in appendice ad Rituale Romanum in Manuali Toletano praescriptus?

V. Num idem ritus servandus sit, etiamsi non sequatur Missa pro Sponsis?

VI. Num consuetudo sponsi scapulas sponsaeque caput velandi in benedictione Nuptiarum retinendus sit?

VII. Num sponsus et sponsa sacram Communionem necessario recipere debeant in Missa nuptiali?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito antea voto tum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris tum Rm̃i Assessoris Congregationis ipsius, hisce dubiis mature perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Officia certis Dominicis vel Feriis assignata, ac particulari Ecclesiae concessa, nequeunt transferri absque speciali privilegio ».

Ad II. « Provisum in antecedenti ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Nihil innovetur ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Affirmative ».

Ad VII. « Negative; et detur Decretum in Lavantina diei 21 Martii 1874 ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 15 Septembris 1881.

3532. BERGOMEN. (5827)

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia a Rm̃o Domino Camillo Guindani Episcopo Bergomen. resolvenda proposita fuere; nimirum:

Dubium I. Nonnullae Altarium sacrae mensae portatiles ita sunt constructae, ut in ipsis Reliquiarum sepulcrum non parvo lapide sit obtectum et calce sigillatum, sed quadam subtili lamina confecta ex vulgo *ottone* aut *latta*, calce sigillata, vel ad quatuor angulares extremitates stamno firmata vel alia lamina ferrea minus lata sed longiore transverse super illam deducta, hinc et inde infixa in lapide. Hoc autem Reliquiarum sepulcrum aliquando in sacrae petrae parte superiori, et aliquando in inferiori extructum invenitur. Certum est autem dictas mensas fuisse consecratas remotioribus temporibus. Quaeritur: An istae sacrae mensae Altarium tolerari possint?

Dubium II. Pridie Dedicationis Ecclesiae celebrantur Vigiliae ante Reliquias in Altari consecrando includendas: recitantur Nocturni cum Laudibus de Communi Sanctorum Martyrum. Dubitatur autem num Episcopus qui Dedicationem celebrat, Parochus, Sacerdotes utrique assistentes, postquam huiusmodi Officium recitaverint, postridie teneantur etiam recitare Officium diei occurrentis; vel huiusmodi obligatione soluti sint censendi iuxta illud axioma: Officium pro Officio? et quatenus negative,

Dubium III. Quaeritur quid dicendum sit de diversa praxi, quae alicubi invaluerit?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce dubiis rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Praxim amplius non esse sequendam ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 16 Septembris 1881.

3533. IMOLEN. (5828)

Rm̃us Dominus Aloisius Tesorieri Episcopus Imolen. insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi solvenda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. Sacerdotes, habentes facultatem ab Episcopo delegatam benedicendi sacra indumenta, debentne semper uti formula quae in Missali et Rituali reperitur titulo Sacrorum Indumentorum in genere, etiam quando simplex Manipulus cum Stola benedicenda est; vel uti possunt et ipsi formula benedictionis pro singulis sacris indumentis, quae in Pontificali habetur?

Dubium II. Anne Episcopus delegans Sacerdotes pro benedictione sacrae supellectilis possit eosdem subdelegare etiam pro benedictione sacrorum Vasorum?

Dubium III. Multae habentur benedictiones (quarum pleraeque in Rituali recens Romae edito) quae propriae sunt diversorum Religiosorum Ordinum. Hinc quaeritur: Num Episcopus et ab eo delegati Sacerdotes eas impertiri possint, maxime si in propria Dioecesi Religiosi Ordinis illius non existant?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et detur Decretum in una Briocen. diei 4 Septembris 1880 ad III ».

Ad II. « Affirmative; dummodo sacra unctio non sit in iis adhibenda ».

Ad III. « Negative, absque Apostolico indulto ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 2 Decembris 1881.

3534. ORDINIS (5829)
CISTERCIENSIS
CONGREGATIONIS DE TRAPPA.

Rm̃us D. Benedictus Abbas Monasterii Westmallensis, Vicarius Generalis Trappensium in Belgio, a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem humillime imploravit; nimirum:

Si Festum S. Isidori (4 Aprilis) inter Dominicam Palmarum et Dominicam in Albis incidens transferendum sit, saepe accidit hoc Festum translatum concurrere cum Festo Sancti Anselmi (21 Aprilis). Festa autem S. Isidori ac S. Anselmi habent eamdem Orationem nempe de Communi Doctorum, quo in casu pro Oratione S. Isidori vel S. Anselmi ad Commune Confessoris Pontificis recurrendum est; hinc exoritur dubium quaenam Oratio sit sumenda? Quapropter quaeritur an sequens nota in Breviario Cisterciensi die 4 Aprilis addi valeat, scilicet: « Si Festum S. Isidori translatum concurrat cum Festo S. Leonis vel S. Anselmi, pro Commemoratione Festi III Lectionum dicitur ad Vesperas Antiphona *Euge* ℣. *Ecce Sacerdos,* ad Laudes vero Antiphona *O Doctor*. Si insuper eadem sit Oratio Festi, de quo agitur commemoratio, sumatur pro isto Oratio *Exaudi quaesumus* ».

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii sic in casu respondendum censuit:

« Nullam specialem Rubricam in Breviario addendam esse Officio S. Isidori; sed servandam esse Rubricam generalem sub titulo de Commemorationibus num. 8; cuius sensus quoad Orationem est ut illa dicatur pro Commemoratione quae inter non dictas assignatur primo loco in Communi, nisi aliter in speciali Rubrica signetur ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 19 Decembris 1881.

3535. URGELLEN. (5830)

R. D. Ioachim Solans Sacrae Liturgiae in Seminario Urgellen. Professor, de sui Rm̃i Episcopi consensu, insequentia dubia a Sacra Rituum Congregatione enucleanda humillime proposuit; videlicet:

Dubium I. Communis praxis est in Ecclesiis praedictae Dioeceseos ut Sacerdotes celebrantes recipiant populi oblationes ad balaustium post lectum Offertorium in solemnioribus Festis. Attamen, alii Lignum S. Crucis, alii vero Stolam vel Manipulum praesertim viris ad deosculandum praebent, interim dicentes: *Oblatio tua accepta sit Deo*. Idem observatur in Missis exequialibus quoad osculum Stolae vel Manipuli. Continuarine potest huiusmodi praxis, maxime cum facile tolli nequeat? (1)

Dubium II. An possit servari consuetudo, qua Diaconus in Missa solemni elevat fim-

(1) E. Dub. II, VII, VIII, XI, XII, XIII, XIV, et XVI.

brias posteriores planetae Celebrantis, etiam dum hic Consecrationis verba pronuntiat?

DUBIUM III. Utrum Diaconus et Subdiaconus (quando Patenam non sustinet) se conformare debeant Celebranti, quotiescumque hic caput inclinat vel seipsum signat; an vero id tantum facere debeant quando Celebrans se signat aut caput inclinat, aliquid proferens voce non secreta? Item: An ipsi teneantur pectus percutere simul cum Celebrante ad *Nobis quoque peccatoribus,* ad *Agnus Dei* et demum ad *Domine non sum dignus?*

DUBIUM IV. Num simplex Sacerdos, Missam solemnem celebrans, concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicere possit?

DUBIUM V. Num, quando in Absolutione post Missam de Requie cantatam, nec tumulus erectus invenitur, nec lectica portatur, nec pannus extenditur ante Altaris gradus, possit Celebrans sistere in cornu Epistolae in plano, vel in suppedaneo versa facie ad latus Evangelii, prout moris est apud nos, et in eodem loco aspergere et Orationem cantare?

DUBIUM VI. Num servanda sit antiquissima consuetudo collocandi Crucem ad caput feretri vel tumuli, dum cantatur Missa et perdurat Officium emortuale?

DUBIUM VII. Quum in variis Ecclesiis etiam insignibus iuxta immemorabilem consuetudinem pulsatur Organum per totam Missam Feria V in Coena Domini; quaeritur: Num servari possit talis consuetudo haud facile abrumpenda?

DUBIUM VIII. Utrum velum quo Crux cooperitur Feria VI in Parasceve possit esse coloris nigri; an debeat omnino esse coloris violacei?

DUBIUM IX. Utrum adhiberi possint in Baptismo parva instrumenta ex sale confecta, quibus interna oris infantium tanguntur; an servandum Rituale Romanum, quod salem ad hoc requirit bene confractum et attritum?

DUBIUM X. Num Patrini in Baptismo recitare possint *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum Parochus ea recitat latino sermone?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, propositis dubiis maturo examine perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur in omnibus Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XVIII, § 16; et Celebrans in fidelium recipiendis oblationibus sileat. Consuetudo autem osculandi Stolam vel Manipulum servari potest, exceptis Missis Defunctorum ».

Ad II. « Serventur Rubricae Missalis et Caeremonialis Episcoporum ».

Ad III. « Quoad primam partem, Negative in omnibus; quoad secundam, Teneri tantum ad *Agnus Dei* ».

Ad IV. « Affirmative, si adsit consuetudo; et detur Decretum in una S. Iacobi de Chile diei 1 Iulii 1874 in respons. ad primum et secundum ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Serventur Rubricae ».

Ad VII. « Invectam consuetudinem esse eliminandam ».

Ad VIII. « Servetur Rubrica ».

Ad IX. « Servandum Rituale ».

Ad X. « Posse ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 30 Decembris 1881.

3536. DE SEYNA. (5831)

Insequentis dubii declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit Rmus Dominus Petrus Wierzhowski hodiernus Episcopus de Seyna; videlicet:

In Dominica Palmarum iuxta Rubricam Missalis, in Missis quae privatim sine benedictione Palmarum celebrantur, ultimum Evangelium legendum est: *Cum appropinquasset;* in his vero quae post dictam benedictionem absolvuntur immediate ab eodem celebrante, illud debet esse: *In principio;* hinc quaeritur: Quodnam Evangelium legere debeat Presbyter celebrans Missam, concelebrante Episcopo, qui iuxta Caeremoniale Episcoporum dictam functionem peragit?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, sic respondit:

« In casu legendum esse Evangelium S. Ioannis: *In principio* ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 16 Ianuarii 1882.

3537. LEAVENWORTHIEN. (5832)

Devotionem erga SSmum Cor Iesu in sibi credita Dioecesi, quoad externum cultum, uniformem ac liturgicis legibus apprime consonam reddere cupiens Rmus D. Ludovicus Maria Finch Episcopus Leavenworthien a Sacra Rituum Congregatione se-

quentium dubiorum declarationem humillime expetivit; nimirum:

I. Num liceat Sacerdoti celebranti, ante vel post expletum Missae Sacrificium, publice recitare preces vel hymnos in lingua vernacula, v. g. Novemdiales B. Mariae Virginis vel alicuius Sancti, coram SSmo Sacramento publice exposito?

II. Num liceat Sacerdoti coram SSmo Sacramento solemniter exposito ob devotionem Sanctissimi Cordis Iesu in Ecclesia publice celebranti, recitare actus vel alias preces in honorem eiusdem SSmi Cordis in lingua vernacula ad auditum populi fidelis adstantis, ita ut ad istas preces vel actus ipse respondere valeat?

III. Num liceat generaliter, ut chorus Musicorum (idest Cantores) coram SSmo Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris auditoque Rmo Assessore ipsius Congregationis, propositis dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, quoad preces tantum ».

Ad II. « Affirmative; seu provisum in praecedenti ».

Ad III. « Posse; dummodo non agatur de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis precibus, quae nonnisi latina lingua decantari debent ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 27 Februarii 1882.

3538. PISANA. (5833)

Quum Rmus Dominus Ferdinandus Capponi Archiepiscopus Thessalonicen. Coadiutor cum iure futurae successionis Rmi Domini Pauli Michaleff Archiepiscopi Pisani a Sacra Rituum Congregatione exquisierit:

An attenta singulari Bulla suae electionis, eius nomen in Missa dicendum sit; vel illud Rmi Archiepiscopi Pisani?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 11 Martii 1882.

3539. MONTEREYEN. (5834)
ET ANGELORUM.

Rmus Dominus Franciscus Mora Episcopus Montereyen. et Angelorum in California insequentium dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. In Festo Sanctae Bibianae Virginis et Martyris, Dioecesis Patronae et Ecclesiae Cathedralis Titularis, in Officio et Missa dicitur Oratio *Deus qui inter cetera potentiae tuae miracula*. Petitur num eadem Oratio dicenda sit pro Commemorationibus communibus seu pro Suffragiis Sanctorum, in Missa Votiva et quando apponitur pro tertia Oratione ad libitum. Item petitur respective de Commemorationibus Exaltationis SSmae Crucis, Sancti Gabrielis Archangeli, Nativitatis S. Ioannis Baptistae et S. Agnetis Virginis Martyris? Ratio dubitandi est, quod Orationes supradictis Festis assignatae, videntur convenire soli diei Festi seu Natalitii. (1)

Dubium II. Potest ne continuari consuetudo populum ita thurificandi, ut id fiat ex sanctuario a laico thuriferario triplici ductu ad Offertorium in Missa Solemni et in Vesperis ad *Magnificat*?

Dubium III. Potest ne tolerari praxis, quae invaluit in quibusdam Ecclesiis, ut in Vesperis decantentur aliqui versus ex omnibus vel aliquibus Psalmis vespertinis, ceteris omissis?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis accurate perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Quoad Orationem Nativitatis S. Ioannis Baptistae: Affirmative; quoad Exaltationem SSmae Crucis, Orationem sumendam ex Missa Votiva de Cruce in fine Missalis, exceptis Suffragiis, pro quibus dicenda erit Oratio ibi adnotata; quoad vero Orationem S. Bibianae, S. Agnetis ac Sancti Gabrielis Archangeli, Affirmative; mutatis respective voce Natalitia, Solemnia, Festum in vocem Commemorationem, Memoriam ».

Ad II. « Affirmative; dummodo laicus, uti Clericus ex officio, cotta sit indutus et non sit diversus ab eo qui Clero thus dedit ».

(1) E. Dub. II.

Ad III. « Negative; et inducta praxis omnino eliminanda ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 11 Martii 1882.

3540. MONTEREYEN. (5835)
ET ANGELORUM.

Inter alia dubia a Rmo Domino Episcopo Montereyen. Sacrae Congregationi Rituum pro opportuna resolutione proposita, quibus hac ipsa die responsum est, illud erat quo exquirebat: An, attentis locis circumstantiis, liceret Episcopo Missae solemni cantatae ac Vesperis interesse rochetto et mozzetta parato, sive assistere pluviali seu cappa ornato, inservientibus pueris superpelliceo indutis, qui vices suppleant sacrorum Ministrorum Episcopo assistentium?

Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, inhaerens praescriptionibus Caeremonialis Episcoporum ac plurium Decretorum, declarare debet:

« Nullatenus licere Episcopo sedere in Throno cum rochetto et mozzetta, vel cum pluviali et cappa, adhibendo simplices Clericos superpelliceo indutos loco sacrorum Ministrorum assistentium. Verumtamen ipsa Sacra Congregatio, attentis expositis circumstantiis, indulgendum censuit ut Episcopus assistere possit praefatis sacris functionibus in primo stallo in Choro super omnes alios, ad tramitem Decreti in una Oxomen. diei 24 Iulii 1638 ».

Die 11 Martii 1882.

3541. DECRETUM GENERALE. (5836)

Ex minus recta interpretatione Decretorum Sacrae Rituum Congregationis quibus declaratum fuerat dici posse Missam de Requie, praesente Cadavere, diebus ritus duplicis primae classis non festivis de praecepto, excepto Festo Titularis, factum est ut nonnullis in Ecclesiis usus invaluerit eiusmodi Missas canendi in solemnitate Anniversarii propriae Dedicationis, quod utpote Festum Domini ac prae Titulari maioris dignitatis honore pollens, vi Decretorum nunquam ipsi postponendum est. Quocirca eadem Sacra Rituum Congregatio, ad omnem ambiguitatem tollendam, opportunum e re esse duxit declarare, quemadmodum per praesens Decretum declarat ac praescribit:

« Nullibi licere in Anniversario Dedicationis Ecclesiae propriae Missam de Requie, ne praesenti quidem Cadavere, decantare; quemadmodum in Patriarchali Basilica Lateranensi aliisque praestantioribus Urbis Ecclesiis semper cautum fuit ».

Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 11 Martii 1882.

Facta autem per Sacrae Rituum Congregationis Secretarium SSmo Domino Nostro Leoni XIII relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacrae Congregationis approbavit et confirmavit, die 16 eodem mense et anno.

3542. ADIACEN. (5837)

Hodiernus Rmus Episcopus Adiacensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem humiliter expostulavit; nimirum:

I. Ab immemorabili Parochi et Ecclesiarum Rectores Dioeceseos Adiacen. rochetto, loco superpellicei, in administratione Sacramentorum utuntur; quamvis expresse declaraverit S. R. C. die 10 Ianuarii 1852 in una Cenomanen. in responsione ad quintum: « Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum ». Quaeritur: An Episcopus possit aut debeat hanc veterem consuetudinem tolerare, quae quidem commodior est et universaliter viget in Dioecesi?

II. Anne, cum Canonici, sive titulares sive honorarii, in Ecclesia Cathedrali utantur rochetto plano sine ullo ornatu, permitti possit aliis in Ecclesiis Canonicos quoscumque, Parochos et alios Sacerdotes rochettum adhibere, ut passim solent, acu pictum aut denticulatis texturis ornatum, quorum adversus consuetudinem alias ab Ecclesiae Cathedralis Capitulo reclamatum est?

III. An tolerari possit Confessarios in Ecclesia vel in sede confessionali Sacramentum Poenitentiae frequenter ministrantes uti Stola absque superpelliceo, aut viceversa?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative in omnibus ».

Ad III. « Servetur Rituale Romanum ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 23 Martii 1882.

3543. GNESNEN. (5838)

ET POSNANIEN.

Per varia Sacrae Rituum Congregationis Decreta vetitum est quominus sacra ornamenta ex gossypio vel lana contexta adhibeantur; immo ex holoserico opere tantum illa confici praescribitur. Quum vero non omnes Ecclesiae ob redituum defectum eiusmodi paramenta serica sibi comparare valeant, ab eadem Sacra Rituum Congregatione declarari petiit Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowscki Archiepiscopus Gnesnen. et Posnanien., an attenta Ecclesiarum paupertate liceat pro ornamentis sacris praeparandis illud adhibere panni genus, quod ex parte externa et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, sed habet operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino?

Et Sacra Rituum Congregatio, postquam votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris exquisivit, referente Secretario, sic declarare rata est :

« Attenta Ecclesiarum paupertate, panni genus de quo in casu pro sacris ornamentis tolerari posse ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 23 Martii 1882.

3544. PLACENTINA. (5839)

Rmus Dominus Franciscus Tammi hodiernus Praepositus ac prima Dignitas Ecclesiae Cathedralis Placentinae exponens 1°: Se habere suae Dignitatis Coadiutorem; 2°: Quod in Cathedrali Placentina Dignitates distributae sunt in Presbyterales et diaconales; praebendae vero aliae sunt presbyteralis, aliae diaconalis, aliae demum subdiaconalis ordinis; ac 3°: Quod ad augendum exiguum numerum Sacerdotum, praesertim diebus quibus Episcopus celebrat vel assistit, Coadiutus et Coadiutor simul Choro intersunt; insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum :

I. Quando orator et Coadiutor eodem tempore Choro intersunt, quin alteruter Altari inserviat, quaeritur : Num Coadiutor, attentis ipsius Sacrae Congregationis resolutionibus, debeat obtinere stallum immediate post alias Dignitates ordinis presbyteralis?

II. Coadiutore Altari assistente, praesens Coadiutus debet ne in suo stallo Choro interesse simpliciter et materialiter, nullam nec secundariam actionem exercens, uti ex. gr. offerendi thuribuli naviculam Episcopo assistenti pluviali et cappa induto, pacis osculum dandi aliaque praescripta in libro Caeremonialis peragenda, haec relinquens Dignitatibus inferioris ordinis? Viceversa, Coadiuto Altari inserviente, poterit ne similiter se gerere Coadiutor?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis exquisitaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarandum censuit :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 21 Aprilis 1882.

3545. SENIEN. (5840)

ET MODRUSSEN.

Rmus Dominus Georgius Posilović Episcopus Senien. et Modrussen. exposuit Sacrae Rituum Congregationi, quae sequuntur; nimirum :

In Ecclesia Sancti Viti Civitatis Fluminensis in Dioecesi Senien. et Modrussen., instaurationis maiorisque gratia decoris, nova incrustatio interna ex materia marmorea superinducta est, atque in eum finem, permittente Ordinario, prior incrustatio, vulgo *intonaco,* in qua depictae erant, Cruces et signa consecrationis, per totum internum Ecclesiae spatium decussa fuit simul et cum Crucibus, et quidem id insimul non successive, quia sic artificibus necessarium visum est. In reliquo vero per totam Ecclesiam, sive intra sive extra, nihil est mutatum : signanter Altare maius et omnia alia consecrata Altaria manserunt illaesa. Neque durante instauratione quidquid aliud accidit, quo Ecclesia censeri posset profanata seu violata.

Hinc Sacram ipsam Congregationem supplex rogavit pro resolutione insequentis dubii :

An in casu, qui supra expositus est, Ecclesia suam consecrationem amiserit; indigeatque nova consecratione?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarandum censuit :

« Negative, ad primam partem ; ad secundam, provisum in prima ; et iterum de-

pingantur vel apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis ». Atque ita declaravit ac rescripsit.
Die 4 Maii 1882.

3546. TAURINEN. (5841)

Rmus Dominus Archiepiscopus Taurinen. exposuit nonnulla quaesita quoad subterranea loca Ecclesiarum, quae in eiusdem Archidioecesi brevi consecrandae sunt; ubi spectacula, theatri more, ad iuventutem praesertim honeste exercendam peragenda essent. Rursus autem idem Archiepiscopus expetivit num licite consecrari possit Ecclesia, quae pertinens ad laicam familiam, per vigentes civiles leges potest hereditaria ratione transmitti aut vendi aut in usum profanum converti.

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, omnibus rite perpensis, censuit respondendum:

Ad I. « Non licere, utpote quod Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius ».

Ad II. « In casu, de quo agitur, nisi habeantur sufficientes cautiones, abstinendum ab eiusmodi Ecclesiae consecratione ».
Die 4 Maii 1882.

3547. SANCTORIEN. (5842)

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Ecclesia Sanctorien. a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii humillime resolutionem exquisivit; nimirum: (1)

Iuxta Caremoniale Episcoporum inter Vesperas solemniores potest thurificari praeter Altare SSmi Sacramenti etiam illud dicatum Sancto, cuius Festum agitur. Hinc quaeritur: Num liceat a suppedaneo Altaris Sancti thurificare tantummodo ipsius Sancti imago, omissa Altaris thurificatione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita censuit rescribendum:

« Servetur loci consuetudo ». Et ita rescripsit.
Die 4 Maii 1882.

3548. BARCINONEN. (5843)

Exposuit quidam Parochus Civitatis Barcinonen. eam in nonnullis istius Dioeceseos Paroeciis invaluisse consuetudinem, qua in administratione Sacramenti Matrimonii benedictio annuli omitti soleat, siquidem illum Sponsi ob suam paupertatem non deferant benedicendum prouti in Rituali praescribitur; unde fit ut a Parochis, tali omisso ritu, neque insequentes Orationes proferantur. Quare idem Parochus haec dubia S. Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime proponere duxit; nimirum:

I. Num Orationes, quae incipiunt *Confirma hoc Deus* et desinunt per Oremus *Respice*, partem constituant benedictionis annuli?

II. Num omittendae sint, quoties non fiat benedictio annuli? vel recitandae sint, etiamsi eadem benedictio omittatur ob defectum annuli?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistri et Rmi Assessoris Congregationis ipsius, hisce dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

« Censuit tamen pastorali Rmi Episcopi sollicitudini commendare ut consulere velit quatenus eiusmodi ritus benedictionis annuli nunquam omittatur, vel praecipiendo Parochis ut unum annulum semper secum teneant, qui Sponsis eo deficientibus pro tali benedictione rite explenda tradatur; vel eosdem Sponsos monendo, ut illum saltem ex metallo infimi valoris sibi provideant ».
Romae die 4 Maii 1882.

3549. BONAËREN. (5844)

Hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister Metropolitanae Ecclesiae Bonaëren., de consensu sui Rmi Archiepiscopi, a S. Rituum Congregatione humillime petiit num tolerari valeant insequentes consuetudines; nimirum:

I. Incessus Canonicorum in Processionibus Rogationum, qui non bini et bini, prout Caeremoniale Episcoporum docet, sed hinc inde ad latus Archiepiscopi; eo quod iste cappa tantum, illi vero pluvialibus induti assistunt.

II. In iisdem Processionibus, Parochi immediate ante Archiepiscopum viam faciunt, et non Clerus Ecclesiae Cathedralis; quia illi pluvialibus operti, isti autem superpelliceo incedunt.

(1) E. Dub. I et II.

III. Incessus Confraternitatis SSmi Sacramenti post baldachinum, vel hinc inde ad latus Cleri in Processionibus Corporis Christi et quae singulis mensibus Dominica quarta fieri solent?

Insuper hoc dubium solvendum proposuit, scilicet: An admitti possint assistentes Cleri in presbyterio, partim superpelliceo induti, partim vero non?

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

« Expositae consuetudines, excepta secunda, non esse tolerandas; et Caeremoniale Episcoporum omnino servandum ».

Ad dubium vero: « Negative ».

Atque ita respondit et rescripsit.

Die 4 Maii 1882.

3550. BREVE APOSTOLICUM (5845)

Quo una eademque constituitur formula absolutionis tum generalis tum in articulo mortis, et benedictionis papalis, adhibenda penes Tertiarios Franciscales aliasque eiusdem Ordinis familias, nec non penes alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes.

LEO PP. XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Quo universi utriusque sexus fideles in tertium S. Francisci Assisinatis Ordinem adscripti easdem leges eosdemque ritus in obeundis instituti sui functionibus adhibere possint, enchiridion seu manuale unicum typis edere visum est. Multiplices vero sub eiusdem manualis editionem exortae sunt de absolutionis tum generalis, tum in articulo mortis, tum de Papalis benedictionis formulis controversiae, ad quas dirimendas Consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Card. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositorum nonnulla proposita sunt dubia seu quaestiones. Hinc Consilium idem, consideratis perpensisque omnibus, quid de huiusmodi quaestionibus deliberaverit per Secretarium suum ad Nos referendum curavit.

Nos autem, quibus salutare frugiferumque Tertii Ordinis S. Francisci Sodalitium in deliciis semper fuit Nobisque summopere cordi est, ut illud sanctas sui instituti leges ritusque observet, atque in dies, hisce praesertim temporibus, propagetur et incrementa suscipiat, memorati Consilii deliberationem probavimus, eamque omnibus, per Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis cognoscendis Decretum, indicendam censuimus. Nostris mandatis obsequens Congregatio, sibique demandatum munus meliori quo fieri possit modo explere cupiens, opportunum in primis duxit omnes et singulas benedictionis et absolutionis generalis expendere formulas, quae nedum penes Tertiarios Franciscales, verum etiam apud alias eiusdem Ordinis Familias, imo et alios Regulares Ordines ac Tertiarios ad ipsos pertinentes, essent in usu; quo unam eamdemque ab omnibus in posterum respective in eiusmodi benedictionibus et absolutione adhibendam formulam concinnaret. Quamobrem praefata Congregatio omnes, quorum intersit, monendos putavit, ut siquid in casu notatu dignum iudicassent, intra congruum tempus eidem Congregationi subiicerent. Exacto inde triennio, quum nihil ex parte alicuius ex dictis Ordinibus obiectum sit, Congregatio Sacris Ritibus praeposita, accurate omnibus diligenter inspectis et expensis, quae sequuntur decrevit; nempe:

I. Pro Absolutione in articulo mortis retineatur in omnibus formula praescripta in Constitutione s. m. Benedicti Papae XIV: *Pia Mater,* addito tantum ad *Confiteor* nomine Sancti proprii Fundatoris:

II. Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione eiusdem s. m. Benedicti XIV: *Exemplis Praedecessorum*, sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco ubi Episcopus eam impertiat:

III. In Absolutione generali pro Regularibus cuiuscumque Ordinis, atque in benedictione cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Secularibus adhibeantur omnino duae insequentes formulae a Rmo Assessore ipsius Sacrae Congregationis propositae atque ab eadem approbatae, abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis; videlicet:

Formula Absolutionis Generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. *Secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Completis precibus, ab uno ex adstantibus dicitur Confiteor, *addito nomine proprii Fundatoris. Deinde Sacerdos dicit:*

Misereatur vestri etc. Indulgentiam, absolutionem etc.

Postea subiungit:

Dominus Noster Iesus Christus per merita suae sacratissimae passionis vos absolvat et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Summorum Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa, et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus poenitentiis oblitis, seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem omnium peccatorum, quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel malitia deliquistis, ac de quibus iam confessi estis: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Formula benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis Secularibus ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis habentibus.

Antiph. Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine; inclina aurem tuam ad preces nostras; parce Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. *Secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus, sperantes in te.
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis; ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende; ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Dicto deinde:

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Sacerdos prosequitur:

Dominus Noster Iesus Christus, qui Beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam et vivatis in saecula saeculorum. Amen.

Per sacratissimam passionem et mortem Domini nostri Iesu Christi, precibus et meritis Beatissimae semper Virginis Mariae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Beati Patris nostri N. et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam Indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Si haec Indulgentia immediate post Sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: Dominus Noster Iesus Christus etc. *et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato.*

Nos huiusmodi memoratae Congregationis Decretum omnino ratum habemus, et Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, probamus, confirmamus, sancimus, illudque ab omnibus et in omnibus hoc futurisque temporibus servari iubemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces exsistere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari ac definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non eiusdem Tertii Ordinis S. Francisci, ceterisve quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, ceterisque omnibus quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Iulii MDCCCLXXXII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

TH. Card. MERTEL.

3551. BREVE APOSTOLICUM (5846)

Quo nonnulla Festa inseruntur Kalendariis Ecclesiae universalis et Cleri Romani, ac reformatur rubrica de Translatione Festorum.

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Nullo unquam tempore Romani Pontifices Antecessores Nostri praetermiserunt Sanctorum virorum, qui doctrina, virtute, rerum gestarum praestantia Catholicam Ecclesiam, dum in terris agerent, illustrarunt, memoriam in animis Christifidelium, eorum praesertim, quorum est ceteros exemplo anteire, quo altius possent imprimere. Id autem hac inter alias ratione consequuti sunt, eorumdem scilicet Sanctorum Festa sive in universali, sive in particularibus Ecclesiis indulgendo, ac vitae et rerum gestarum historiam Breviariis inserendo, ut qui divinas preces recitare tenentur, ab iis virtutum illorum factorumque memoria cum laude quotannis repetatur. Hinc nostris etiam temporibus s. m. Pius Papa IX Praecessor Noster vota excipiens et preces multorum Sacrorum Antistitum, qui Romam convenerant Oecumenici Concilii Vaticani causa, peculiarem constituit Anno MDCCCLXXIV Sacrorum Rituum Congregationem, cui munus detulit expendendi utrum opportunum esset in Calendario Ecclesiae Officia inserere nonnullorum Sanctorum, qui Apostolorum opus prae ceteris prosequuti Ecclesiae universae aedificandae ac tuendae, et inter diversas gentes dila-

tandae, impensius adlaborarunt: Officia haec erant Sanctorum

Bonifacii Episcopi et Martyris,
Iustini Philosophi Martyris,
Cyrilli et Methodii Pontificum et Confessorum,
Cyrilli Episcopi Alexandrini,
Cyrilli Episcopi Hierosolymitani,
et Augustini Episcopi Cantuariensis.

Haec autem peculiaris Congregatio Sacrorum Rituum, omnibus quae ad rem pertinerent accurate perpensis, expedire censuit Officium S. Bonifacii ritu duplici ad universam Ecclesiam extendi, indulgendumque esse illis, qui S. Iustini Officium peterent eodem ritu: de aliis rem differre placuit. Quam sententiam idem Praecessor Noster ratam habuit et confirmavit. Haec tum quidem acta sunt.

Anno autem MDCCCLXXX visum est Nobis, Sanctis Fratribus Cyrillo et Methodio Slavoniae gentis Apostolis eiusdem cultus honorem tribuere, S. Bonifacio, ut diximus, a Praecessore Nostro delatum. Porro cum Sacrorum Antistites ac fideles rogare pergerent, uti pari honore condecorarentur tum S. Iustinus, tum alii inclyti Caelites, de quibus prolata res fuerat, tum etiam S. Iosaphat Episcopus Polocensis Martyr, praeclarum Polonae ac Ruthenae gentis lumen; cumque habenda esse tandem ratio videretur postulationum, quae a Romano Clero Apostolicae Sedi porrigebantur pro inscribendis in Calendario Urbis Festis quorumdam Sanctorum, qui Urbem ipsam suis illustrarunt exemplis et finem laborum suorum ibi assequuti eam propriis nobilitarunt exuviis: idcirco Nos particularem Sacrorum Rituum Congregationem a Praecessore Nostro iam pridem deputatam iterum constituere duximus, eique mandavimus ut opportune expenderet, qua ratione in Calendario sive Universali sive Cleri Romani Officia praedicta et alia in posterum, si opus esset, inseri possent. Itaque approbantes et confirmantes, quae a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus aliisque dictam Congregationem componentibus Decreta, et per Venerabilem Fratrem Nostrum Dominicum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Bartolinium Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum relata Nobis fuerunt, auctoritate Nostra Apostolica volumus et praecipimus ut in Calendario Universali Ecclesiae sub ritu duplici minori inscribantur Officia:

die IX Februarii S. Cyrilli Alexandrini Episcopi Confessoris;

die XVIII Martii S. Cyrilli Hierosolymitani Episcopi Confessoris;

die XIV Aprilis S. Iustini Philosophi Martyris;

die XVIII Maii S. Augustini Episcopi Cantuariensis Confessoris;

die XIV Novembris S. Iosaphat Episcopi Polocensis Martyris;

deinde ut in Calendario Cleri Romani sub ritu item duplici minori inscribantur Officia:

die XVI Aprilis S. Benedicti Iosephi Labre Confessoris;

die XXIII Maii S. Ioannis Baptistae De-Rossi Confessoris;

die XIX Augusti Beati Urbani II Papae et Confessoris;

die XI Octobris Beati Ioannis Leonardi Confessoris:

die XVII Decembris S. Leonardi a Portu Mauritio Confessoris;

affigantur autem in eodem Calendario Cleri Romani Festa:

Sancti Cyrilli Alexandrini diei XX Februarii;

S. Cyrilli Hierosolymitani diei XX Martii;

S. Augustini Cantuariensis diei VII Iunii;

et S. Iosaphat Polocensis diei XIV Decembris.

Quo vero in utroque Calendario tum Universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda, eadem Auctoritate Nostra volumus ac praecipimus, ut Rubrica Generalis Breviarii Romani tit. X de Translatione Festorum hac ratione mutetur; videlicet: « Festa duplicia minora (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festa semiduplicia, si occursu Dominicae vel maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint; secus, huiusmodi Festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in Rubric. tit. IX num.X et tit.X num.VIII »: postremo ut praesentes Litterae Apostolicae in novis editionibus Breviarii ad calcem Rubricae interim apponantur, donec accurata Rubricae ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Haec praecipimus et mandamus, non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et sy-

nodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Iulii MDCCCLXXXII Pontificatus Nostri Anno quinto.

TH. Card. MERTEL.

3552. CRACOVIEN. (5847)

Rm̃us Dominus Albinus Dunajewski Episcopus Cracoviensis quae sequuntur Sacrae Rituum Congregationi exposuit; videlicet:

In Dioecesi Cracoviensi secundum leges ecclesiasticas in omnibus Ecclesiis consecratis Anniversarium Dedicationis earum celebratur die ab Episcopo in actu consecrationis praefixa. Hic mos autem usque ad hodiernum diem viget in ea Dioecesis Cracoviensis parte, quae a Cathedrali Ecclesia nunquam avulsa fuit. Ast post erectionem Dioecesis Tarnoviensis, regimen Austriacum, in cuius ditionem haec pars Dioecesis Cracovien. abiit, regnante Imperatore Iosepho II, legem tulit statuentem, ut in posterum anniversarium Dedicationis in omnibus Ecclesiis celebraretur die, in quam cadit anniversarium Cathedralis i. e. Dominica tertia Octobris. Atque haec lex, non habito ullo respectu S. Sedis Apostolicae, in ea parte Dioeceseos praevaluit. Iam vero cum anno 1880 pars Dioeceseos Tarnovien. redierit ad Dioecesim Cracovien., Clerus eiusdem partis anceps haeret: An Anniversarium Dedicationis, uti consueverat, die anniversaria Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Tarnovien., vel potius die anniversaria Ecclesiae Cathedralis Cracovien. sacra i. e. Dominica III post Pentecosten celebrare debeat; an vero ad pristinum redire morem celebrandi Anniversarium die cuivis Ecclesiae propria? Sunt ergo in ea parte Dioecesis tres diversae sententiae aut opiniones, quibus Sacerdotes timorati offenduntur, et eapropter sententiam definitivam expectant.

Ad rem dilucidandam hoc quoque venit in Dioecesi Cracovien., scilicet parte eius antiqua, vigere consuetudinem celebrandi, praeter Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae, etiam Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis ritu duplici primae classis sine octava.

Hisce expositis ipsemet Rm̃us Episcopus Sacrae eidem Congregationi insequentia dubia declaranda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. Num pars Dioeceseos Tarnovien. nuper Dioecesi Cracovien. restituta celebrare debeat Anniversarium Dedicationis cuiusvis Ecclesiae, die actu Consecrationis adsignato; et celebrare item debeat Anniversarium Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis debito ritu duplicis primae classis absque octava?

Dubium II. Num idem Anniversarium propriae Dedicationis celebrare debeat vel valeat coniunctim et eadem die cum Anniversario Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Cracovien., uti fieri solet in vicina Dioecesi Tarnovien.?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus accurate perpensis, sic declarare rata est:

Ad I. « Affirmative; ad utramque partem ».

Ad II. « Negative; seu provisum in primo ».

Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 8 Augusti 1882.

3553. RUTHENEN. (5848)

Inter dubia a Rm̃o Episcopo Ruthenen. Sacrae Rituum Congregationi novissime proposita, quorum aliqua utpote iam alias resoluta praetermissa fuerunt, insequentia habebantur; nimirum:

Dubium I. Quaenam sub nomine Dominicae infra octavam veniat ex duabus Dominicis, quarum una incidit in die ipso Festi habentis octavam, altera in die octava? Et quatenus neutra ex iis habenda sit pro vera et propria Dominica infra octavam, quot Orationes et qualis Praefatio eidem Missae de Dominica erunt assignandae, cum in aliquibus Ecclesiis Regularium, vi propriae Rubricae aut ex concessione Apostolica, Conventualis celebratur praefata Missa de Dominica, praeter alteram Conventualem de Festo aut de die Octavae?

Dubium II. Num in Missa Conventuali de Feriis Quadragesimae, vel de Vigilia, aut Quatuor temporum, aut Rogationum etc., quae in Ecclesiis Cathedralibus et Regula-

rium celebratur post Nonam, saltem adiungi occurrenti Festo possit et debeat 1. collecta imperata pro vivis ex. gr. Ecclesiae, vel pro Papa, etiam in casu Festi primae classis? 2. Collecta pro Defuncto sive imperata, sive ad libitum etiam Sacerdotis celebrantis; ita ut iis in casibus attendatur solummodo qualitas Missae, minime vero ritus Festivitatis diei?

Dubium III. Qui iuxta Decretum S. Rituum Congregationis diei 13 Augusti 1701 in una Ordinis Eremitarum S. Augustini, privatim celebrat de Simplici vel reassumit Missam Dominicae praecedentis in Feria secunda vel prima die mensis non impedita, tenetur ne dicere secundam Orationem *Fidelium,* tam in Missa Conventuali quam in ceteris privatis, haud exceptis Missis de Feria aut de Vigilia? (1)

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, hisce dubiis accurato examine perpensis, post auditam sententiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit:

Ad I. « Quoad primam partem, neutri convenire; quoad secundam, ut in Missali cum Praefatione de Trinitate ».

Ad II. « Affirmative, ad utramque partem ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 25 Augusti 1882.

3554. VICARIATUS (5849)
APOSTOLICI
BOMBAYEN. SEPTENTRIONALIS.

In Vicariatu Apostolico Bombayen. Septentrionali nonnulli Missionarii curam parochialem exercent in pluribus simul oppidis valde dissitis, in quorum uno tantum regulariter resident. In aliquibus ex illis locis Ecclesiae benedictae habentur, ad quas christianae Communitates tamquam tot Parochiae pertinent. Quum dubium exinde ortum sit:

Num Missionarius pluribus ibi Ecclesiis adscriptus, dum in una tantum proprie residet, teneatur ad celebrandum Officium Titularium omnium illarum Ecclesiarum, idque sub ritu duplici I. classis cum octava? hodiernus Rmus Vicarius Apostolicus huiusmodi dubii declarationem a S. R. C. humillime expetivit.

(1) E. Dub. IV.

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re accurate perpensa, sic rescribere rata est:

« Negative, attentis peculiaribus circumstantiis; sed tantum Ecclesiae, apud quam residere solet; vel dignioris ». Atque ita rescripsit.

Die 25 Augusti 1882.

3555. ARGENTINEN. (5850)

Exponens Rmus Dominus Episcopus Argentinen. in plerisque Germaniae Dioecesibus decisiones Sanctae Apostolicae Sedis circa approbationem Litaniarum ab Ordinariis, speciatim Monitum Sacrae huius Rituum Congregationis sub die 16 Iunii 1880 latum, variis diversisque interpretationibus explicari, ab eadem Sacra Congregatione nonnullis propositis quaestionibus seu dubiis authenticam hac super re declarationem expetivit.

Sacra porro Rituum Congregatio, propositis quaestionibus accurate expensis, sequenti unico responso satisfaciendum duxit; videlicet:

« Monitum, de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas; posse vero, immo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare, et quatenus expedire iudicaverint, approbare; at nonnisi pro privata atque non liturgica recitatione ».

Romae die 29 Augusti 1882.

3556. ADIACEN. (5851)

Quum a S. Rituum Congregatione Rmus D. Paulus Matthaeus de la Foata Episcopus Adiacen. declarari petierit:

An tolerari possit Canonicos quoscumque, sive in Cathedrali sive in aliis Ecclesiis, iuxta veterem Dioeceseos consuetudinem, uti rochetto, mozzetta et Stola supra mozzettam in administratione Sacramentorum, in benedictione domorum quae fit in Sabbato Sancto, nec non in aliis benedictionibus, Processionibus et associationibus funerum, gallice *convois funèbres?*

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare rata est:

« Negative, iuxta Decreta, praesertim in Valentina die 12 Martii 1836 ». Atque ita declaravit et rescripsit.
Die 25 Septembris 1882.

3557. DUBLINEN. (5852)

Anno 1851 a S. Sede concessum fuit universo Hiberniae Regno Officium Puritatis Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici maiori recolendum Dominica prima post Calendas Maii non impedita Officio duplici. Quum vero dubitetur an Festum hoc considerandum sit tamquam Festum occurrens, ideoque celebrandum infra octavam Corporis Christi, si eo tempore occurrat prima Dominica, vel potius tamquam Festum translatum, ideoque post octavam transferendum; Eñus et Rñus D. Card. Eduardus Mac-Cabe Archiepiscopus Dublinen. a Sacra Rituum Congregatione huiusmodi dubii declarationem expetivit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, declarare rata est:

« Festum in casu considerandum tamquam occurrens ». Atque ita declaravit.
Die 25 Septembris 1882.

3558. NIVERNEN. (5853)

Rñus Dominus Stephanus Antonius Alfridus Lelong Episcopus Nivernen., divini cultus decorem et sacrae liturgiae exactiorem observantiam promovere satagens, nonnulla animadvertit, quae Sacrae Rituum Congregationi exponenda duxit ad opportunas solutiones concessionesque obtinendas; videlicet:

I. Ex quadam ordinatione ab uno e suis Praedecessoribus edita, nec non et alicuius indulti minus recta interpretatione, quindecim ab hinc annis invaluit usus solemniores SSñi Eucharistiae Sacramenti Expositiones inchoandi Missae lectae celebratione, Missamque solemnem aut cantatam postea coram SSño Sacramento iam exposito celebrandi, eo nimirum fine, ut numerosiores huic secundae Missae tardioribus horis celebratae fideles adesse valeant.

Postulavit itaque idem Rñus Episcopus, iuxta votum proxime habitae suae Synodi, ut praxis exposita servari licite valeat; ut in una De Nicaragua diei 27 Septembris 1864 in responsione ad secundum, saltem toleratum legitur.

II. In nonnullis Ecclesiis aut publicis Communitatum Oratoriis, etsi deinceps Expositio tota nocte sequenti perduratura sit, horis serotinis deponitur SSñum Eucharistiae Sacramentum, ut solemnis benedictio fidelibus confluentibus impertiatur; iterumque exponitur usque ad crastinam diem, qua minus solemnis fit depositio ante vel post Missam lectam. Hisce positis Rñus orator expetivit, ut talis consuetudo servari possit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce postulatis sic rescribendum rata est:

Ad I. « Expositam consuetudinem tolerari posse, facto verbo cum SSño ».
Ad II. « Negative ».
Atque ita rescripsit.
Die 25 Septembris 1882.

Facta itaque per eumdem Secretarium relatione SSño D. N. Leoni Papae XIII Rescripti Sacrae ipsius Congregationis quoad primum postulatum; Sanctitas Sua illius resolutionem approbare et ratam habere dignata est, die 28 eodem mense et anno.

3559. ANNECIEN. (5855)

Exoptans Rñus Aloisius Isoard Episcopus Annecien. ut ea omnia quae ad sacram liturgiam spectant in sibi credita Dioecesi rite usquequaque peragantur, Sacram Rituum Congregationem adivit ab ea insequentis dubii declarationem humillime expostulans; videlicet:

Quum expositio et repositio SSñi Sacramenti fit immediate ante vel post Missam seu Officium, ita ut celebrans eiusque Ministri ab Altari non recedant; licetne retinere Conopoeum et Altaris paramenta coloris quem exigit Officium diei, praesertim cum non ita facile sit ea tunc temporis immutare? (1)

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisito voto alterius Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, propositis dubiis accurate perpensis, sic rescribendum censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit ac declaravit.
Die 1 Decembris 1882.

(1) E. Dub. II.

3560. POLICASTREN. (5856)

A Rm̃o Domino Iosepho Maria Cione Episcopo Policastren. insequentia dubia enodanda Sacrae Rituum Congregationi proposita sunt; nimirum:

Quum in consecrandis Altaribus, ex declaratione Sacrae huius Congregationis in una S. Flori diei 25 Septembris 1846, Pontifex bina Crucis signa dextero pollice oleo Catechumenorum inuncto facere debeat supra quinque partes a Pontificali Romano praescriptas, quumque ab eodem Pontificali (ubi de Patenae et Calicis consecratione) praecipiatur a Pontifice signandam esse pollice sancto Chrismate peruncto Patenam ab ora in oram et Calicem a labio in labium; quaeritur:

Dubium I. In consecratione Patenae et Calicis debet ne Pontifex pollice sancto Chrismate inuncto binas Cruces; vel unam tantum signare super Patenam et Calicem, interim dicens *Consecrare et sanctificare?*

Dubium II. Et quatenus affirmative ad primam partem, possunt ne haberi valide consecrati Calices cum Patenis, super quibus unum tantum crucis signum cum pollice impressum fuit?

Dubium III. Et quatenus negative, invalidae censendae ne sunt Sacrorum Ministrorum ordinationes, in quibus Calices cum Patenis haud valide ut supra consecrati adhibiti sunt?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce dubiis accurate perpensis, sic respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita rescripsit.

Die 1 Decembris 1882.

3561. CEPHALUDEN. (5857)

Hodiernus Superior Confraternitatis a SSm̃o Crucifixo nuncupatae in loco vulgo *Lascaris* existentis intra fines Dioeceseos Cephaluden. Sacrae Rituum Congregationi exposuit Confraternitatem sub titulo B. Mariae Virginis de Monte Carmelo ibidem mense Aprili Anni 1881 fuisse institutam, ac deinde mense Septembris eiusdem anni supradictam quae a SSm̃o Crucifixo nomen mutuatur. Quum nuper contentio inter utramque orta sit quoad praecedentiam in Processionibus habendam, quoniam haec postrema a suo titulo, altera a prioritate institutionis huiusmodi praecedentiae honorem sibi vindicat; ab ipsa Sacra Congregatione idem Superior humillime percontatus est: Cuinam ex duabus praefatis Sodalitatibus ius competat alteram praecedendi in sacris Processionibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, re rite expensa auditaque sententia Rm̃i Episcopi Cephaluden. de informatione et voto requisiti, declarandum censuit:

« Praecedentiam in casu spectare ad Confraternitatem sub titulo B. Mariae Virginis de Monte Carmelo; et ita, ut haec ante Clerum in Processionibus incedere possit, prout iam ab Episcopo decretum fuerat ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 1 Decembris 1882.

3562. NESQUALIEN. (5858)

Iuxta Decreta Sacrae Rituum Congregationis vetitum est in Exequiis et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum nigro panno et pallio eiusdem coloris ornare Altare, in quo asservatur SSm̃um Eucharistiae Sacramentum. Quum vero in nonnullis locis Dioecesis Nesqualien. idem Sanctissimum Sacramentum asservetur vel in maiori Altari Ecclesiae, vel in unico Altari, aliis deficientibus; hodiernus eiusdem Dioeceseos Episcopus ab eadem Sacra Congregatione exquisivit num prohibitio, de qua supra, respiciat Ecclesias ubi asservatur Sanctissimum Sacramentum in Altari, quod maius vel unicum est.

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, sic declarare censuit:

« In casu, sacri Tabernaculi saltem Conopoeum esse debet violacei coloris ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 1 Decembris 1882.

3563. ROMANA. (5859)

Quum in Collegiata et parochiali Ecclesia sub titulo Sanctorum Celsi et Iuliani in Urbe die 22 Iulii celebretur Festum S. Mariae Magdalenae Poenitentis ritu duplici maiori ob insignem eius Reliquiam, et subsequenti die 23 S. Liborii Episcopi et Confessoris sub eodem ritu duplici maiori pariter ob insignem ipsius reliquiam; Rm̃us

D. Ioannes Baptista Annibali praefatae Ecclesiae hodiernus Archipresbyter a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem humillime exquisivit; nimirum:

An Vesperae diei 22 fieri debeant de antecedente cum commemoratione S. Liborii; vel potius de S. Liborio cum commemoratione S. Mariae Magdalenae?

Sacra vero Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, re accurate perpensa, sic decernere rata est:

« In casu Vesperas esse dimidiandas iuxta Rubricam Tit. XI, de Concurrentia Officii, N. 2 ». Atque ita decrevit.

Die 1 Decembris 1882.

3564. VICENTINA. (5860)

Ab hodierno Rmo Episcopo Vicentino Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione duae insequentes liturgicae quaestiones propositae fuerunt; nimirum:

I. Cum etiam post Constitutionem Pii Papae VII: *Decet Rom. Pontif.* 4 Iulii 1823, Sacra Rituum Congregatio declaraverit posse servari immemorabilem consuetudinem, ut Canonico solemniter celebranti assistat, praeter sacros Ministros Diaconum et Subdiaconum, unus Presbyter cum pluviali; dubitatur utrum hic Presbyter se gerere possit more Presbyteri assistentis Episcopo solemniter celebranti, prouti tradunt Bauldry aliique veteres Rubricistae; an vero debeat assistere dumtaxat ad librum, prout absque pluviali et cum superpelliceo tantum Rubricae Missalis permittunt in ritu celebrandi Missam Tit. VII, num. 11, et Tit. VIII, num. 8?

Ratio dubitandi est, quia praedicta Constitutione, quam cognoscere nequibant Bauldry aliique veteres Rubricistae, vetitum est omnino Canonicis adhibere ritus et caeremonias Episcoporum proprias absque speciali Apostolicae Sedis indulto, non obstantibus quavis firmitate roboratis consuetudinibus, et quia usus Presbyteri assistentis ritu pontificali est expresse interdictus Canonicis n. 16 Decreti per praedictam Constitutionem confirmati; quemadmodum interdictus est etiam ipsis Protonotariis Apostolicis ad instar Participantium nuncupatis n. 15 Decreti, per Constitutionem Pii Papae IX *Apostolicae Sedis Officium* confirmati die 29 Augusti 1872.

II. An in prima Missa novi Sacerdotis eamdem solemniter celebrantis assistere possit praeter Sacros Ministros, ut supra, unus Presbyter cum pluviali, non obstantibus Decretis Sacrae Rituum Congregationis; quibus huiusmodi abusus in Missa solemni cuiuscumque simplicis Sacerdotis omnino interdictus est.

Ratio dubitandi est, quia nonnulli contendunt quod prohibitae sunt tantum aliquae actiones huius Presbyteri assistentis cum pluviali novo Sacerdoti, veluti aspersio aquae benedictae ante Missam, gestatio Stolae sublus pluviale, ministratio patenae ad fidelium Communionem, incensatio Celebrantis facienda loco Diaconi etc., sed non est prohibita assistentia ipsius Presbyteri cum pluviali.

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente Secretario, sic declarare rata est:

Ad I. « Negative, ad primam partem; ad secundam vero partem, ubi sit consuetudo immemorabilis, posse cum pluviali assistere ».

Ad II. « Posse tolerari ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 1 Decembris 1882.

3565. SOCIETATIS IESU. (5861)

Quum Rev. P. Ioannes Maria Cybeo e Societate Iesu Missionarius in Brasilia a Sacra Rituum Congregatione postulaverit ut sibi ceterisque illius regionis Missionariis palmas benedicere liceret extra tempus Paschale, quas fideles Missionariis tradere solent benedicendas, idque iuxta peculiarem formulam a se propositam;

Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, his precibus ita annuendum censuit:

« Adhibeatur formula quae in Appendice Ritualis Romani adnotatur pro benedictione cuiuscumque rei, seu ad omnia ».

Die 5 Decembris 1882.

3566. ALMERIEN. (5862)

Aliqui Canonici Ecclesiae Almerien. dubitarunt an deberent praestare nec ne servitium pro Diacono Dignitatibus solemniter celebrantibus. Quum autem in rebus ambiguis in eadem Ecclesia standum sit pro dispositis in Metropolitana, et iuxta Metropolitani Capituli consensum; idcirco ab ipsomet Capitulo Sacrae Congregationi pro op-

portuna declaratione humillime proposita fuere sequentia dubia; nimirum:

I. An debeant Canonici huius Ecclesiae servire pro Diacono Dignitatibus solemniter celebrantibus?

II. In dubio utrum debeant nec ne servire, an recte procedant sese aptando Capituli Metropolitani consensui iuxta huius Ecclesiae erectionem?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarare censuit:

Ad I. « Si praebendae sunt omnes presbyterales, non teneri; Si secus, habentes praebendas Diaconales et Subdiaconales teneri; iuxta Decreta alias edita ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 15 Decembris 1882.

3567. SANCTI IOANNIS (5863)

IN AMERICA.

Rmus Dominus Ioannes Severny hodiernus Episcopus S. Ioannis in America Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. Utrum ex quocumque lapide confici possit operculum sepulcri, an vero debeat esse marmoreum?

Dubium II. Utrum in nova Altarium portatilium consecratione, quorum sepulcrum gypso clausum fuerit, praeparari debeat coementum, quemadmodum pro regulari Altarium consecratione in Pontificali Romano praescribitur; an vero commune sufficiat?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem, dummodo sit vere lapis naturalis; Ad secundam, provisum in prima ».

Ad II. « Standum dispositioni Pontificalis Romani ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 15 Decembris 1882.

3568. RAVENNATEN. (5864)

Metropolitanae Ravennatensis Ecclesiae sacrarum Caeremoniarum Magister a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime expostulavit; nimirum:

In quibusdam Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis die S. Marci aliisque diebus Rogationum post Nonam fit Processio Litanias Sanctorum decantando. Hisce absolutis, unus e Beneficiatis sive Cappellanis canit Missam Rogationum, in qua Crux Capituli adstat in cornu Evangelii. Post Missam Capitulum redit in Sacrarium cum Acolythis absque Cruce prout diebus ferialibus. Quaeritur:

I. In Missa Rogationum, quae canitur a Beneficiatis sive Cappellanis, collocari ne potest Crux Capituli in cornu Evangelii, sicut fit in Missis canonicalibus?

II. Absoluta Missa, reditus in Sacrarium fieri ne debet processionaliter cum Cruce?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, iuxta consuetudinem sacrosanctae Archibasilicae Patriarchalis Lateranensis ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit.

Die 5 Ianuarii 1883.

3569. URGELLEN. (5865)

R. D. Ioachim Solans sacrae Liturgiae in Seminario Urgellen. Professor de consensu sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia resolvenda humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Mos est in Ecclesiis praesertim Parochialibus Crucem deferre, in qua Reliquia inclusa invenitur S. Crucis, dum a sacristia ad Altare progreditur Sacerdos cum Ministris Missam solemnem celebraturus in Festis solemnioribus. Sed non una eademque est praxis Ecclesiarum; in aliis enim defertur Lignum S. Crucis a Subdiacono praeeunte cum velo humerali, in aliis a Diacono, in aliis vero a Celebrante. Quum vero a Rubricis et Decretis nihil circa hoc disponatur, quaeritur:

1. A quonam in casu deferenda sit praedicta S. Crucis Reliquia?

2. Ubinam collocanda in Altari? num scilicet inter candelabra, an vero supra mensam in medio post Corporale; et in casu, an auferenda sit Crux Altaris?

Dubium II. Episcopus Missae solemni assistens pluviali vel cappa indutus, dum benedicit aquam, debet ne Orationem *Deus qui humanae substantiae etc.* proferre et illam Celebrans omittere; an potius praedictam Orationem tenetur Celebrans reci-

tare, et Episcopus benedicendo aquam tantum dicere debet *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen?*

Sacra Rituum Congregatio, audita relatione sui Secretarii, sic rescribere rata est:

Ad I. « Usum deferendae Crucis in casu esse eliminandum ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 27 Ianuarii 1883.

3570. CORDUBEN. (5866)

Rmus Episcopus Corduben. Sacrae Rituum Congregationi duo insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime proposuit; nimirum:

I. An Exequiae pro Defuncto, cum effertur corpus, expleri valeant in Ecclesia diebus festis solemnioribus primae classis?

II. Num Collecta, *Et famulos tuos,* quae in fine Missalis Proprii Sanctorum Hispanorum legitur, dici debeat absque ulla variatione, etiamsi immediate praecedat Oratio pro Papa; an omitti opus sit, quando occurrit, nomen Sanctissimi?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, propositis dubiis rite expensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et huiusmodi funera transferantur ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali aeris campani sonitu ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.
Die 27 Ianuarii 1883.

3571. CINCINNATEN. (5867)

Rmus D. Gulielmus Henricus Elder Episcopus Hauaren et Coadiutor Rmi Archiepiscopi Cincinnaten., quum nonnulla privilegia ab Apostolica Sede obtinuerit quoad recitationem divini Officii pro eadem Archidioecesi, insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Privilegia concessa tantummodo pro Cincinnatensi Archidioecesi quoad recitationem divini Officii, valere ne possunt etiam pro aliis septem Dioecesibus, pro quibus simul cum ipsa Archidioecesi Cincinnaten. Ordo divini Officii recitandi conficitur?

Dubium II. Missionarii, uno eodemque tempore septem diversis Ecclesiis uti Rectores stricte addicti, tenentur ne de singulis earum Titularibus celebrare Festa cum Officiis et Missis sub ritu duplicis primae classis cum octava iuxta Rubricas?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, propositis dubiis sic respondendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative, iuxta Decretum in una Vicariatus Apostolici Bombayen. Septentrionalis diei 25 Augusti 1882 ».

Atque ita rescripsit.
Die 27 Februarii 1883.

3572. RHEDONEN. (5868)

Ex parte Monialium vulgo nuncupatarum *Adoratrices de la Justice divine* in Dioecesi Rhedonen. degentium Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia proposita fuerunt; nimirum:

I. An in recitatione Officii parvi de Beata Virgine Maria liceat ipsis dicere Hymnum *Te Deum* in Festis Deiparae in Adventu, aut in Quadragesima occurrentibus?

II. An in Choro, diebus in quibus celebrantur Festa duplicia, duplicandae sint Antiphonae ad Matutinum, Laudes et Vesperas?

III. An possint licite addi Commemorationes de Septem Doloribus Beatae Mariae Virginis et de S. Ioseph? Et quatenus negative: An eiusmodi consuetudinem a longissimis temporibus inductam S. Sedes benigne approbare dignetur?

Et Sacra Rituum Congregatio referente eiusdem Secretario, post auditam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententiam, sic declarare censuit:

Ad I. « Hymnus *Te Deum* in Officio parvo B. Mariae Virginis recitari sive dici debere a Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum; in Adventu autem et a Septuagesima usque ad Pascha, nonnisi in Festis B. Mariae Virginis ».

Ad II. « Affirmative, si Officium recitetur integrum, id est cum tribus Nocturnis; Negative, si unum Nocturnum tantummodo recitetur ».

Ad III. « Affirmative, quoad Commemorationem S. Ioseph tantum ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 27 Februarii 1883.

3573. ENGOLISMEN. (5870)

In Dioecesi Engolismen. plusquam sexaginta Ecclesiae reperiuntur olim parochiales, deinde suppressae, quae etsi stricte filiales aliarum nunc temporis parochialium non sint, tamen et administrationi Sacramentorum, et exequiis peragendis aliisque functionibus ad commoditatem Parochi et fidelium inserviunt. Hos inter Reverendissimus Dominus Alexander Leopoldus Sebaux hodiernus Episcopus Engolismen. exposuit existere parochialem Ecclesiam et adiacens territorium sub nomine S. Georgii Martyris, quem ex provectiorum incolarum testimonio patet ante Concordatum fuisse Loci Patronum, ideoque tunc temporis se ab operibus servilibus abstinuisse sacroque in die ipsius Sancti Martyris Festo interfuisse iidem testantur. Hinc idem Rm̃us orator insequentia dubia pro opportuna resolutione enodanda proposuit; nimirum:

I. An S. Georgius velut loci Patronus habendus et colendus sit, quamvis territorium non amplius Paroeciam distinctam efformet, sed alteri Paroeciae unitum fuerit; licet de titulis Ecclesiarum tantum, non vero de locorum patronis Constitutio s. m. Pii PP. VII *Christi Domini* et Decretum subsequens mentionem faciant? Et quatenus affirmative:

II. An Parochus, qui nunc prope hodiernam Ecclesiam parochialem residet et non intra territorium S. Georgio dicatum, quique iam in die Festo S. Petri ad vincula, Patroni tum parochialis Ecclesiae cum circumiacentis territorii, Missam pro populo applicaverit, ad secundam Missam teneatur die Festo S. Georgii?

III. An idem Parochus teneatur ad Officium S. Georgii sub ritu duplici primae classis cum octava recitandum; et quatenus affirmative: An translationes seu mutationes quascumque in Calendario Dioecesis exinde sequentes observare teneatur tantum quando celebrat in Ecclesia S. Georgii, vel etiam quando celebrat in Ecclesia hodierna parochiali?

IV. Anne idem Parochus possit vel debeat solemnitatem S. Georgii transferre in Dominicam sequentem, Missamque propriam de eodem Sancto cantare more votivo prout fit in Gallia pro Patronis iuxta ordinationem Cardinalis Caprara Legati a Latere; atque an eam Missam, nedum in Ecclesia S. Georgii, sed etiam in Ecclesia parochiali cantare possit aut debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, attenta praesertim oppidi denominatione a S. Georgio, quod grave argumentum suppeditat Patronatus ».

Ad II. et III. « Affirmative in omnibus ».

Ad IV. « Affirmative, in Ecclesia oppidi a Sancto Georgio nuncupati ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 18 Maii 1883.

3574. MARIANOPOLITANA. (5871)

Rm̃us Episcopus Marianopolitanus insequentium dubiorum resolutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expetivit; nimirum:

Dubium I. Num in Ecclesiis, ubi non adest stricta obligatio Chori, Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis omitti valeat aut debeat?

1. Quando Vesperis coram SSm̃o Sacramento exposito celebratis, statim fit repositio, qua peracta, Clerus discedit?

2. Quando post Vesperas inchoatur brevis expositio cum Ostensorio seu Pixide, Clerusque post benedictionem et repositionem egreditur?

3. Quando inter Vesperas et supradictam repositionem intercedit concio vel Processio?

4. Quando post Vesperas ostiolum Tabernaculi ad privatam expositionem aperitur, ac mox benedictione impertita, clauditur?

Et quatenus affirmative, quomodo Vesperae sint concludendae?

Dubium II. Si contingat in recitatione privata, separari Matutinum a Laudibus, quaeritur quomodo concludendum sit Matutinum, praesertim in feriis maioribus, in quibus preces flexis genibus addendae sunt ad omnes Horas? et quomodo inchoandae sint Laudes?

Dubium III. Anne Festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis intra Quadragesimam occurrente liceat, ubi non existit obligatio Chori, cantare statim post Missam Vesperas Festivitatis? Et quatenus af-

firmative, An possit celebrans, deposita Stola, Casula, Manipulo, pluviale super Albam induere; an vero ad sacristiam recedere debeat, et cum superpelliceo et pluviali mox redire?

Dubium IV. Ex indulto Apostolico recenter Provinciae Quebecensi concesso, semel in anno, die qua in unaquaque Ecclesia cum assensu Ordinarii fit expositio Reliquiarum ibidem asservatarum, licet unam Missam cum cantu celebrare de Ss. Reliquiis, uti in Appendice Missalis Romani, exceptis duplicibus primae classis, Dominica SSmae Trinitatis, nec non Dominicis, Vigiliis Octavisque privilegiatis; absque praeiudicio Missae conventualis vel parochialis de die vel Festo occurrente, (illis in Ecclesiis et diebus quibus praedictae Missae parochialis vel conventualis celebrandae obligatio existit) ac servatis Rubricis. Hinc quaeritur:

1. Quot et quales Reliquiae requirantur et sufficiant ut habeatur ius isto privilegio utendi? et quatenus satisforet exponere Reliquias Sanctorum non Martyrum, quisnam color in Missa esset adhibendus?

2. Quum in Appendice diversorum exemplarium Romani Missalis inveniantur diversae in honorem Ss. Reliquiarum Missae, an eligi debeat aut saltem valeat Missa, cuius Introitus incipit: *Multae tribulationes,* cum Oratione: *Auge,* Epistola: *Hic vero* et Evangelium: *Descendens Iesus?*

3. Utrum ritus duplex primae classis assignandus sit supradictae Missae; an vero ritus inferior?

4. Ubi neque de iure neque de facto celebratur Missa conventualis vel parochialis et altera Missa non cantatur conformis Officio diei, quaenam regula sequenda sit quoad commemorationem Officii currentis, cantum Symboli, Praefationem in Dominicis ac ultimum Evangelium Dominicae aut Feriae maioris occurrentis?

5. An nomine Ecclesiarum veniant etiam Oratoria privata? et quatenus Negative, idem Rmus Episcopus postulat ut sibi facultas impartiatur supradictam solemnitatem permittendi in Oratoriis sive publicis sive etiam piorum locorum internis, si hoc ad spirituale bonum fidelium et ad honorem Sanctorum promovendum expedire iudicaverit?

Dubium V. In Ecclesiis, ubi obligatio Chori non existit, Expositio Quadraginta Horarum peragitur ex mandato Ordinarii iuxta ordinationem Clementinam. Hinc quaeritur:

1. Utrum prima et tertia die, si non cantata fuerit altera Missa conformis Officio currenti, debeant in Missa votiva SSmi Sacramenti quaelibet commemorationes omitti? An vero Celebrans sub distincta conclusione cantare teneatur tum Orationem Missae de die, quamvis sit de Vigilia communi de qua nihil fit in duplici primae classis, aut de die infra octavam, festo simplici aut feria communi, quorum commemoratio locum non habet in duplici secundae classis, tum ceteras commemorationes speciales, quae adderentur in Missa occurrenti v. g. de Dominica per annum, de die infra octavam etc.?

2. An secunda die, quando Missa *Pro Pace* seu alia votiva rite assignata celebratur, collecta SSmi Sacramenti sub una conclusione Orationi Missae adiuncta, commemorationes omittendae sint, vel non, sicut supra quaesitum est?

3. Num si primam vel tertiam diem impeditam esse contigerit:

A) Commemoratio SSmi Sacramenti post Orationem Missae sub unica conclusione semper cantanda sit, non exceptis Feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto ac Festo Sanctissimi Cordis?

B) Adiungi debeant sub distincta conclusione, servato ritu Missae intrinseco, singulae commemorationes tum speciales tum communes, quae in eadem Missa, si cantaretur extra solemnis expositionis tempus, essent faciendae?

4. Quod si pari modo secunda dies fuerit impedita,

Anne adiiciendae sint tum Oratio Missae *Pro Pace* seu alterius legitime assignatae, tum collecta SSmi Sacramenti? Et quatenus affirmative, quisnam locus utrique orationi sit assignandus?

5. An Feria IV Cinerum in unam ex tribus supradictae expositionis diebus occurrente, tonus ferialis in cantu Orationum, Praefationis et *Pater noster* sit adhibendus? et an omittenda sit Oratio supra populum? (1)

Sacra porro Rituum Congregatio, post exquisitum in scriptis votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis, sic rescribere rata est:

(1) E. Dub. VI.

Ad I. « Quoad singulas partes, laudabiliter in casu dicitur Antiphona finalis Beatae Mariae Virginis in fine Vesperarum ».

Ad II. « Matutinum in casu concludendum Oratione de Officio diei; Laudes autem inchoandas ut in Psalterio ».

Ad III. « Licere utrumque: assumpto ad scamnum pluviali supra Albam; vel ad sacristiam super cottam ».

Ad IV. « Quoad primam partem, sufficere aliquot Sanctorum Reliquias etiam parvo numero: si non adsit Reliquia SSmae Crucis, aut alicuius Sancti Martyris, paramenti color sit albus;

Quoad secundam partem, Affirmative;

Quoad tertiam, assignandus ritus duplicis minoris;

Quoad quartam, sequenda regula a Rubricis descripta;

Quoad quintam, Negative; quod vero attinet ad petitam extensionem indulti, non expedire ».

Ad V. « Quoad primam, secundam, tertiam et quartam quaestionem: Serventur Rubricae et Clementina ordinatio; scilicet: in Missa votiva SSmi Sacramenti pro solemni eiusdem expositione ac repositione omittenda est quaelibet Commemoratio et Collecta. Infra octavam Sanctissimi Corporis Christi Missa erit de octava eadem cum Sequentia et unica Oratione absque Commemorationibus et Collectis. In Dominicis vero privilegiatis primae et secundae classis, in Festis pariter primae et secundae classis, feria IV Cinerum, feria II, III et IV Maioris hebdomadae (a mane enim Feriae V ad mane Sabbati Sancti a praedicta expositione omnino cessandum), omnibus diebus Octavae Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, nec non Octava propria privilegiata, canenda est Missa diei currentis cum Oratione SSmi Sacramenti sub unica conclusione, omissis Collectis et Commemorationibus. Quod si Festum aliquod primae vel secundae classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco sub distincta conclusione fit commemoratio Dominicae et dicitur eius Evangelium in fine. Missae tandem *Pro pace* adiungitur Oratio Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione. In diebus tamen exceptis ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum Oratione *Pro pace* sub unica conclusione.

Quoad quintam quaestionem; ad primam partem, Affirmative; ad secundam, Negative ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Maii 1883.

3575. RAVENNATEN. (5872)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Eminentissimi Archiepiscopi et Ecclesiae Metropolitanae Ravennaten. a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit insequentium dubiorum solutionem; nimirum:

Dubium I. Ex iure acquisito et ab antiquissima consuetudine nec non a Dioecesana Synodo (par. 2. c. XI. II, 22) confirmato et approbato, in cadaverum expositione, quae ex testatoris voluntate vel haeredum fit in Ecclesia non propria, bis celebrantur Exequiae: primum nempe a Parocho defuncti per Nocturnum et Exequias absque Missa, deinde a Rectore exponentis Ecclesiae per Nocturnum, Missam et Exequias. Quaeritur proinde: An in utriusque Exequiis recitari debeat Oratio *Non intres in iudicium?*

Dubium II. Et quatenus negative, in quibusnam Exequiis sit legenda?

Dubium III. An Episcopi in Missis de tempore Passionis assumere debeant Manipulum ante ℣. *Deus tu conversus,* ut in aliis Missis de Festo seu vivorum; vel potius ante Crucem pectoralem prout in Missis Defunctorum. Ratio dubitandi est quia in Missis de tempore Passionis omittitur Psalmus *Iudica me,* sicut in Missis de Requie; in quibus proinde Episcopi (ut aiunt Sacrorum Rituum expositores) accipiunt Manipulum ante Crucem pectoralem?

Dubium IV. Utrum Missa de Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi in Collegiatis et Cathedralibus Ecclesiis vetita sit tantummodo Dominicis ceterisque diebus festivis, ut erui posse videtur ex Caeremoniali Episcoporum (Lib. II, Cap. XXXV, § 1); an etiam prohibeatur omnibus Festis primae et secundae classis, quamvis non de praecepto?

Dubium V. Et quatenus affirmative ad secundam partem: Num in Missa Conventuali addi possit Commemoratio Anniversarii sub unica conclusione? Ratio dubitandi est quia responsa S. Rituum Congregationis, dum respiciunt Missas cantatas et solemnes, videntur innuere Missas, quae non sunt Conventuales Cathedralium et Collegiatarum.

Dubium VI. An pariter prohibeatur haec Missa solemnis in Cathedralibus et Colle-

giatis, ceteris diebus non festivis sed duplicia excludentibus? Et quatenus affirmative,

Dubium VII. An pariter exclusa remaneat hisce diebus commemoratio Anniversarii in Missis lectis?

Dubium VIII. An quod statuitur pro Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi intelligi debeat statutum pro Anniversario Electionis et Coronationis Summi Pontificis? (1)

Dubium IX. Sacra Rituum Congregatio sub die 19 Maii 1607 in Placentina in responsione ad dub. 12 declaravit: *Rem gravem* dici quando Missa votiva solemniter ab Episcopo et universo Clero et Civitate cum interventu Magistratus celebratur. Quaeritur ergo: Utrum necesse sit ut Episcopus (nisi legitime impediatur) intersit Missae eiusmodi ut Missa dicatur *pro re gravi,* et cantari possit etiam in duplicibus minoribus et maioribus; an sufficiat ut pro hac Missa cantanda accedat tantum consensus Episcopi sine interventu?

Dubium X. An quando in Altari lapis sepulcri firmus non invenitur, sed certo constat nunquam fuisse amotum, Episcopus possit vel per se vel per alium (quin lapis ipse amoveatur) firmare, novo addito caemento? vel Altare eo ipso profanatum censendum sit, ita ut nova indigeat consecratione?

Dubium XI. Et quatenus affirmative ad primam partem, An idem dicendum in casu quo dubitari possit amotum fuisse lapidem?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione sui Secretarii, nec non sententia R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, propositis dubiis maturo examine perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Oratio *Non intres* ex Rubrica Ritualis Romani in casu dicenda tantum finita Missa ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; iuxta Decreta alias edita ».

Ad V. « Affirmative, quando non celebratur duplex primae classis; in quo de Anniversario nihil fit ».

Ad VI. « Affirmative iuxta Decreta alias edita ».

Ad VII. « Affirmative, si in Missa excluditur quaecumque Collecta ».

(1) E. Dub. IX, X, XI et XII.

Ad VIII. « Affirmative, quoad Missam (ubi est praeceptiva) et quoad Commemorationem ».

Ad IX. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad X. « Ad primam partem, Affirmative; attamen per se ipsum, nisi obtineatur Apostolica facultas subdelegandi: Ad secundam vero partem, Negative ».

Ad XI. « In casu denuo consecretur forma consueta; vel breviori, si haec ab Apostolica Sede impetrata fuerit ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Maii 1883.

3576. CUNEEN. (5874)

Rm̃us D. Andreas Formica Episcopus Cuneen., quum in pastorali suae Dioeceseos visitatione peragenda nonnulla reperisset quae liturgicis praescriptionibus haud plane conformia sibi viderentur, sui muneris esse duxit desuper his a Sacra Rituum Congregatione sententiam humillime exquirere, insequentibus propositis dubiis; nimirum:

Dubium I. Num Episcopus praecipere possit ut Altaria ad quae per duos aut plures gradus ascenditur, sint insuper ligneo suppedaneo instructa, vel saltem tapete cooperta, praesertim in diebus solemnioribus?

Dubium II. In Dioecesi Cuneen. usus invaluit relinquendi tempore Missae super Altare, et quidem in posteriori eius parte, circumvolutum ligneo bacillo stragulum, quod inservit tobaleis Altaris extra Missam operiendis ne pulvere sordeant. An huiusmodi usus probari aut tolerari potest?

Dubium III. Num tolerari possit usus statuendi Crucem super Trono, et in eo praecise loco, super quo publicae adorationi in Ostensorio exponitur SSm̃a Eucharistia? Et quatenus affirmative, num tolerari possit usus Crucem ipsam superimponendi Corporali, quod Expositioni inservit?

Dubium IV. Utrum lampas, quod coram SSm̃o Sacramento collucere debet, sustentari liceat brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopiae; an potius suspensa ope chordularum esse debeat, prout universalis fert usus?

Dubium V. Num tolerari possit usus adhibendi huiusmodi lampades ex vitro non pellucido et diaphano, sed colore aliquo tincto v. g. viridi vel rubro?

DUBIUM VI. Num occasione alicuius Festi, tridui, novemdialis aut mensis v. g. Maii B. M. V. dicati, Iunii in honorem SSmi Cordis Iesu, liceat SSmam Eucharistiam ab Altari maiori super quo asservatur, ad Altare transferre in Ecclesiae lateribus erectum, ut in Festo sive per triduum, novemdiale, mensem, et sacra Communio in iis distribuatur et populo benedictio impertiatur?

DUBIUM VII. In solemnitate SSmi Corporis Christi consuevit in hac Dioecesi Episcopus Missam planam, seu sine cantu, celebrare, omnibus pontificalibus paramentis indutus, cum assistentia omnium Ministrorum paratorum et cum incensatione ad Introitum et ad Offertorium. Quum huiusmodi ritus videatur non omnino conformis praescriptioni Caeremonialis Episcoporum; quaeritur: Num, attenta antiquissima consuetudine, retineri possit?

DUBIUM VIII. Ex antiquissima pariter consuetudine in hac Dioecesi vigente, Episcopo, quoties populum cum SSmo Sacramento ipse est solemniter benedicturus, Ostensorium porrigit, loco Diaconi assistentis, Presbyter assistens, qui idcirco praeter pluviale Stolam induit. Quum vero id dissonum videatur a praescriptione Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. XXIII, § 12; et Cap. XXXIII, § 20, unde videtur desumenda regula servanda in similibus functionibus, quae saepius per annum occurrunt; quaeritur num memorata consuetudo servari possit?

DUBIUM IX. Pontificale Romanum P. I. *De Ordinibus conferendis*, omnia perquam accurate describit et prosequitur, quae sive ab Episcopo Ordines conferente sive ab ordinandis dicenda sunt vel agenda, eos veluti manu ducens per singulas sacri mysterii actiones. Cum vero pervenit ad ordinationem Diaconi, ait: « Conversus (Pontifex) cantat Orationem Missae diei cum Oratione pro ordinatis et ordinandis sub uno *Per Dominum*. Finita Oratione sedet Pontifex etc. ». Ibi nulla fit mentio de aliis Orationibus quae addendae essent in Missa diei iuxta Rubricas Missalis, quae potius excludi videntur. Verumtamen extat Decretum S. R. C. diei 26 Ianuarii 1658 in Conchen. ad 3, quo praedictarum Orationum recitatio generatim praescribi videtur. Hinc quaeritur: Utrum huiusmodi Decreti dispositio locum tantum habeat in Ordinationibus particularibus, seu quae privatim fiunt ab Episcopo in suo Sacello; an etiam in generalibus quae fiunt in Cathedrali, sed sine cantu et sine assistentia ministrorum paratorum; an tandem etiam in iis, quae solemniter fiunt cum cantu et cum Ministrorum paratorum assistentia?

DUBIUM X. Licet ne Missam nocte Nativitatis Domini ita praemature inchoare, ut adveniente hora mediae noctis iam sit decantatum Evangelium?

DUBIUM XI. Rituale Romanum in Ordine administrandi Sacram Communionem habet sequentem Rubricam: « Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit: *O Sacrum convivium* et ℣. *Panem de coelo etc.* ℟. *Omne delectamentum etc.* tempore Paschali additur *Alleluia* ». Quaeritur utrum *Alleluia* addendum etiam sit Antiphonae *O Sacrum convivium,* prout tradebant antiquiores Rubricarum expositores; an tantum versiculo *Panem de coelo,* quod recentioribus placet?

DUBIUM XII. Num, quando Ostensorium a Sacerdote superpelliceo et Stola induto defertur ab Altare, in quo asservatur, ad aliud super quo publicae adorationi exponenda est SSma Eucharistia, cooperiri debeat extremitate veli humeralis e Sacerdotis collo pendentis?

DUBIUM XIII. Quando duplex in Responsoriis reperitur asteriscus, debetne prima repetitio fieri usque ad versum; an usque ad asteriscum secundum tantum? Recentiores sacrorum Rituum explanatores contra Gavantum et Meratum hanc postremam sententiam tenent duobus S. R. C. Decretis innixi, uni scilicet diei 6 Septembris 1834 in Lauretana, alteri vero diei 7 Decembris 1844 in Mechlinien. in responsione ad dub. III; sed horum Decretorum primum videtur tantum indultum Basilicae Lauretanae concessum; alterum vero, quum tantum respiciat primum Responsorium Dominicae primae Adventus, et ultimum in Matutinis Defunctorum, de quibus nullum dubium enasci potest, videtur ad rem non facere.

DUBIUM XIV. In quadam recenti Breviarii Romani editione quae Taurini prodiit, legitur in die octava Dedicationis Ecclesiae sequens Rubrica: « In III Nocturno Homilia ut in die Festo, si omnes per octavam lectae sint; secus, quae primo omissae fuerint » Quaeritur:

1. Num haec Rubrica sit authentica? Et quatenus negative,

2. Num saltem regula per eam tradita Rubricis et Sacrae Rituum Congregationis Decretis sit conformis?

Dubium XV. Num tolerari possint Planetae ex panno serico frondibus floribusque, uti assolet, ornatae, partim acu pictis partim vero coloribus penicilli ope?

Dubium XVI. Num occasione solemnis tridui Expositionis SSmi Sacramenti pulsari liceat Organum in Missa solemni de Dominicis vel Feriis Adventus et Quadragesimae?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, post exquisitam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris nec non Rmi Assessoris Congregationis ipsius sententiam, omnibus mature perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Usum in casu improbandum ».

Ad III. « Negative in omnibus ».

Ad IV. « Utroque modo lampadem adhiberi posse, dummodo intra et ante Altare continuo ardeat ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Affirmative; dummodo tamen Sanctissima Eucharistia in duobus Altaribus continuo non asservetur ».

Ad VII et VIII. « Consuetudinem in casu, utpote abusum et corruptelam, esse omnino eliminandam; et servandum Caeremoniale Episcoporum ».

Ad IX. « Dispositionem allati Decreti in Conchen. in omnibus sacris Ordinationibus locum habere ».

Ad X. « Servandam esse Rubricam generalem Missalis Romani Tit. XV, num. 4 ».

Ad XI. « In casu adiungitur *Alleluia* tum Antiphonae, tum ℣. et ℟. ».

Ad XII. « SSmam Eucharistiam in casu non esse deferendam in Ostensorio, sed in capsula, aut sin minus in sphaera velo humerali cooperta ».

Ad XIII. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; iuxta alias decreta, et ut suis locis notatur in Breviario ».

Ad XIV. « Legendae Lectiones III Nocturni quae primae post recitatas infra octavam omissae fuerunt; quando vero omnes lectae sint, in octava erunt ut in Festo ».

Ad XV. « Tolerari posse ».

Ad XVI. « Quoad Organi sonitum in casu servandam esse strictim Caeremonialis dispositionem; iuxta Decreta, praesertim in Taurinen. in responsione ad dub. 1, diei 11 Septembris 1847 ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 2 Iunii 1883.

3577. CADURCEN. (5875)

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Cadurcensis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit moris esse in Processione solemni cum SSmo Eucharistiae Sacramento (et in die Adorationis perpetuae), quae non quidem mane celebrata Missa, sed post Vesperas fit in Festo SS. Corporis Christi, ut Canonicus celebrans vel etiam simplex Sacerdos induatur Amictu, Alba, Cingulo, Stola et pluviali, assistentibus Diacono et Subdiacono paratis uti in Missa, sed sine Manipulo. Hinc ab eadem Sacra Congregatione exquisivit:

I. An eiusmodi usus sit secundum Rubricas? Et quatenus Negative:

II. An Canonicus celebrans in casu debeat indui tantum rochetto cum Stola et pluviali; celebrans vero simplex Sacerdos uti superpelliceo loco rochetti?

III. An assistentes, Diaconus scilicet et Subdiaconus, debeant assumere paramenta sui ordinis; vel potius superpelliceum cum pluviali?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, prouti praescribitur in Caeremoniali Episcoporum ».

Ad II et III. « Provisum in primo ».

Atque ita respondit.

Die 15 Iunii 1883.

3578. CONGREGATIONIS (5876)

MISSIONARIORUM OBLATORUM

SS. ET IMMACULATAE

VIRGINIS MARIAE.

Ex Bulla s. m. Benedicti Papae XIV data sub die 24 Februarii 1748, S. Franciscus Xaverius Confessor habendus est uti Patronus principalis Indiarum cum omnibus et singulis praerogativis quae iuxta Breviarii ac Missalis Romani Rubricas Sanctis praecipuis locorum Patronis competunt; atque ideo eius Festum sub ritu duplici primae classis cum octava quotannis ibi peragendum est. Iam vero nunc dubium movetur an Regulares et Congregationes Religiosae, quae proprium habent Officium, plane subiiciantur praefatae Bullae praescriptioni; ac proinde debeant

I. Commemorationem eiusdem Sancti facere, quotiescumque recitandae sunt Commemorationes communes in Officio?

II. Festum ipsum celebrare sub ritu duplici primae classis?

Huius dubii solutionem quum Sacerdos Hector Maursit, e Congregatione Missionariorum Oblatorum Sanctissimae et Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis in insula Ceylan, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulaverit;

Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, posita consuetudine ».

Ad II. « Affirmative in casu; a Regularibus tamen celebrandum sine octava, nisi eisdem haec specialiter sit indulta ».

Atque ita rescripsit.

Die 15 Iunii 1883.

3579. URGELLEN. (5877)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis et sacrae Liturgiae Professor, de Episcopi sui consensu, sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi resolvendum alias proposuit; nimirum:

Communis praxis est in Ecclesiis praesertim parochialibus recipere populi oblationes ad balaustium post lectum Offertorium in solemnioribus Festis. Attamen, alii Lignum Sanctissimae Crucis, alii vero Stolam vel manum praesertim viris, ad deosculandum praebent, interim dicentes: *oblatio tua accepta sit Deo.* Idem observatur in Missis exequialibus quoad osculum Stolae vel Manipuli. Continuari ne potest huiusmodi praxis maxime cum facile tolli nequeat?

Huiusmodi vero dubio Sacra Congregatio respondit sub die 30 Decembris 1881 ad primum: « Servetur in omnibus Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XVIII, § 16; et Celebrans in recipiendis fidelium oblationibus sileat. Consuetudo autem osculandi Stolam aut Manipulum servari potest, exceptis Missis Defunctorum ». Iam vero intuitu praefatae resolutionis quamplurimi Parochi huius Dioecesis ad proprium Episcopum recurrerunt humiliter exponentes non leves difficultates, quibus obnoxia est memorati Decreti executio. Nam aegerrime, prout asseritur, ferunt populi omissionem osculi Stolae vel Manipuli in recipiendis oblationibus in Missis Defunctorum, timentes ne ex hoc populi recusent oblationes facere (siquidem in sua rusticitate, de hoc non discernentes, totam oblationis essentiam in praedictae Stolae vel Manipuli deosculatione constituunt) cum detrimento suffragiorum quae pro defunctis fratribus vel propinquis ex oblationibus, ut plurimum, proveniunt et fiunt. Ex hoc adeo salutari atque laudabili praxi fidelium pietas magnum lucrum absque dubio reportat, cum non tantum in Officiis exequialibus, sed etiam in quamplurimis diebus intra annum familiae seu propinqui defunctorum Ecclesiam adeant ad memorata donaria offerenda et suffragia pro fidelibus defunctis procuranda, tam in Missis quam in aliis functionibus, praecipue durante luctus anno.

Hasce porro rationes mature perpendens Rm̃us D. Episcopus Urgellen. sui muneris esse duxit eamdem Sacrorum Rituum Congregationem adire, et ab ea suppliciter efflagitare ut dignetur memoratam consuetudinem osculandi Manipulum vel Stolam in recipiendis oblationibus quae fiunt in Missis et aliis Officiis Defunctorum tolerare; sicque tollatur occasio murmurationum in Parochos, populorum pietas foveatur augeaturque in dies caritas erga animas Defunctorum.

Item ad quaestionem ab eodem Caeremoniarum Magistro huic Sacrae Rituum Congregationi propositam: « A quonam nempe deferenda esset Reliquia SSm̃ae Crucis cum proceditur a sacristia ad Altare in Missis solemnioribus per annum; siquidem ab antiquissimis temporibus viget generalis consuetudo, praesertim in hac Provincia Ecclesiastica Tarraconensi, praedictùm Lignum SSm̃ae Crucis deferendi, in casibus enunciatis; anne scilicet a Celebrante; an vero a Subdiacono? » Eadem Sacra Congregatio die 27 Ianuarii 1883, in responsione ad dub. I, sic rescribere rata est « Usum deferendae Crucis in casu esse eliminandum ».

Cum autem non absimiles difficultates, ac in quaestione praecedenti, occurrant in exequenda praefata resolutione; timendum enim est ne populi invehantur in Parochos omittentes Lignum SSm̃ae Crucis in memoratis casibus deferre, eo quod non possint deosculare praedictam Reliquiam post lectum Missae Offertorium in actu praesentandi oblationes; quae quidem omnia in ipsorum iudicio maximam Festo conferunt solemnitatem. Ideo etiam ad evitandas dissensiones petit Episcopus orator a Sacra Rituum Congregatione ut memoratam pra-

xim deferendi SSmam Crucem in casu a Celebrante tolerari permitteret.

Sacra vero Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, hisce postulatis accurate perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Attentis noviter deductis, quae casum clarius exponunt, servari posse consuetudinem tam in Missis vivorum quam pro defunctis, dummodo fidelibus ad osculandum praebeatur vel manus vel fimbria Manipuli aut Stolae, excluso prorsus osculo Ligni SSmae Crucis, cui specialis omnino cultus in Ecclesia exhibendus est ».

Ad II. « In decisis, et amplius; et ad declinandum omne scandalum ab Episcopo seu Parochis instruantur fideles de speciali atque altiori cultu qui salutiferae Crucis Domini Nostri Iesu Christi Ligno debetur ».

Atque ita rescripsit.

Die 15 Iunii 1883.

3580. SENEN. (5878)

Hodiernus Prior Chori Metropolitanae Ecclesiae Senensis a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem, de consensu sui Rmi Archiepiscopi, humillime petiit; videlicet:

Dubium I. An permitti possit adhiberi in Missa solemni a Canonico celebrante Sacerdotem assistentem indutum Alba, Amictu et pluviali; et non superpelliceo, amictu et pluviali, ut palam disponit Caeremoniale Episcoporum?

Dubium II. An tolerari possit consuetudo, qua Sacerdos in exequiis Defunctorum cooperit caput suum bireto, quando imponit et benedicit incensum?

Dubium III. An tolerari possit consuetudo, qua in Dominicis et in omnibus Festis solemnioribus Beatae Mariae Virginis ad finem Completorii immediate post *Benedicat et custodiat nos*, Chorus intonat Hymnum *O gloriosa Virginum etc.* et ita processionaliter accedit ad Altare B. Virginis ad canendam Antiphonam, seu *Ave Regina coelorum*, seu *Alma Redemptoris mater*, seu *Regina coeli*, seu *Salve regina* iuxta tempus; et post huiusce Antiphonae cantum immediate intonat et canit Litanias Lauretanas, supprimendo recitationem *Pater, Ave* et *Credo* praescriptam a Rubricis in fine Completorii?

Dubium IV. An in Litaniis maioribus S. Marci Evang. et Rogationum, impedita Processione extra Ecclesiam, Litaniae Sanctorum in Processione, quae intra Ecclesiam fit, duplicandae sint, prout duplicantur Litaniae in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes?

Dubium V. Utrum, quando olea consecrantur Feria V in Coena Domini, assistere debeant consecrantem Episcopum duo Diaconi assistentes; an Diaconi et Subdiaconi Missae?

Dubium VI. An tolerari possit consuetudo exponendi SS. Eucharistiae Sacramentum absque ullius Hymni cantu et absque incensatione?

Dubium VII. An tolerari possit usus annuli in Canonico Doctore, quando celebrat aut canit Missam?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, supposita immemorabili consuetudine; et Canonicus assistens indui debet pluviali super rochetto ».

Ad II. « Consuetudinem in casu non tolerandam, sed omnino tollendam ».

Ad III. « Servari posse consuetudinem; dummodo Officium integre recitetur, comprehensis *Pater, Ave* et *Credo* ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VI. « Consuetudinem exponendi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum absque incensatione prorsus eliminandam ».

Ad VII. « Negative ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 30 Iunii 1883.

3581. URBIS ET ORBIS. (5879)

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis die 28 Iulii superiore anno editas Sanctissimus Dominus Noter Leo Papa XIII, sententiam confirmans specialis Sacrorum Rituum Congregationis a se constitutae, cum aliquot Sanctorum atque etiam Beatorum Officia Calendario universalis Ecclesiae, nec non Calendario particulari Urbis addidisset: *quo in utroque Calendario habeantur sedes liberae ad nova Officia introducenda*, Rubricam generalem Breviarii Romani *Tit. X. de Translatione Festorum* immutandam praecepit, demptis videlicet translationibus Festorum Duplicium minorum (exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum) et Festorum Semiduplicium. Itaque specialis ipsa

Congregatio diebus 23 Iunii et 2 Iulii vertentis anni iterum coadunata est ad perficiendam, iuxta praefatam normam, textus Rubricarum correctionem.

Nutu autem eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, nonnulla insuper perpendere debuit immutatae Rubricae consectaria, quae novam aliquam opportunam dispositionem prorsus requirere censebantur. Compertum quippe est, coarctata translationum serie, superesse quidem, iuxta novae editae legis finem, sedes quamplures omnino liberas ad nova Officia in Calendariis introducenda; interim tamen haud leviter inde augeri onus Officiorum Ferialium; quod imminuto hodie Cleri numero, auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur.

Quemadmodum praeterea nuper Sanctitas Sua, ad evitandum ne Officia Sanctorum Benedicti Abbatis, Dominici et Francisci Confessorum, vigore immutatae Rubricae, saepe ad simplicem ritum reduci aut penitus omitti deberent, illa, attenta etiam tantorum Fundatorum praestantia, ad ritum Duplicis maioris elevavit; ita pariter censetur providendum quoad Festa Commemorationis Sancti Pauli Apostoli et Sanctorum Angelorum Custodum: perpensa peculiari utriusque Officii qualitate, nec non specialibus Rubricarum privilegiis, quibus ea hactenus gavisa sunt.

Tandem animadvertere, hac oblata occasione, licuit commemorationem de Octava Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli impediri Festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ritus duplicis secundae classis, ac Festo Visitationis Beatae Mariae Virginis ad eumdem ritum recenter elevato; quod aegre ferendum Romae iure merito putatur, quam beatissimi Apostolorum Principes supra omnes mundi Civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro, supremoque et indefectibili veritatis magisterio.

Sacra igitur specialis Congregatio, hisce omnibus maturo examine perpensis, de singulis, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, ita decrevit.

I. « Detur Indultum Generale tam Capitulis et Ecclesiasticorum Communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque Clero, persolvendi Officia Votiva per annum loco Officiorum Ferialium, praeterquam in Feriis Quarta Cinerum, totius tempore Passionis ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive: quoad choralem quidem recitationem, de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario semel pro semper adprobando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de Clero. Officia autem huiusmodi Votiva per annum, Missis Votivis in Missali Romano positis fere respondentia, haec pro singulis hebdomadae diebus assignantur; nimirum: pro

Feria II de Angelis,

Feria III de Sanctis Apostolis (Romae vero de Ss. Petro et Paulo),

Feria IV de S. Ioseph Sponso Beatae Mariae Virginis, Catholicae Ecclesiae Patrono,

Feria V de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento,

Feria VI de Passione Domini Nostri Iesu Christi,

Sabbato de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione.

Officia ipsa a Sacrorum Rituum Congregatione adprobanda erunt atque edenda. Firmis remanentibus aliis Votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis ».

II. « Festa Commemorationis S. Pauli Apostoli die 30 Iunii et SS. Angelorum Custodum die 2 Octobris a ritu duplicis minoris ad ritum duplicis maioris eleventur pro universa Ecclesia ».

III. « De Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae agatur Commemoratio singulis octavae diebus, quocumque Festo occurrente ».

Facta autem de praemissis per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua hoc Sacrae ipsius Congregationis Decretum, indulgendo singula in eo contenta, in omnibus adprobavit et confirmavit, atque evulgari iussit.

Die 5 mensis Iulii et anni 1883.

3582. CONVERSANEN. (5880)

Rm̃us Dominus Casimirus Gennari hodiernus Episcopus Conversanen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Pluribus in locis memoratae Dioeceseos benedici consuevit populus cum pixide parvo conopoeo contecta absque usu veli humeralis. Quaeritur num huiusmodi usus possit tolerari? (1)

(1) E. Dub. II.

Dubium II. In Rituali Romano pro administrando Baptismate infantibus tantum initio insinuatur variandum esse genus (*ab eo* vel *ab ea*) pro diversitate sexus infantis, ac deinde nihil dicitur. Quaeritur num in singulis locis variandum sit?

Dubium III. In administrando Confirmationis Sacramento debetne ab Episcopo simul et ab adstantibus recitari *Credo, Pater* et *Ave;* vel sufficit ut Episcopus moneat patrinos de obligatione docendi Confirmatos eas preces, uti praescribitur in Pontificali Romano?

Dubium IV. In Ecclesiis Matrice et Collegiata loci *Rutigliano* nuncupati, iampridem in octiduo fidelium Defunctorum et per triduum post Dominicas Septuagesimae et Sexagesimae, ex quodam legato, post Completorium exponi solet SSm̃um Sacramentum a Sacerdote pluviali albo induto: et post cantum Hymni *Pange lingua* et factam thurificationem velo cooperitur SSm̃um Sacramentum. Tunc a Sacerdote assumitur pluviale nigri coloris et Defunctorum Vesperae decantantur; ac post absolutionem tumuli cum cantu *Libera me Domine,* rursus Sacerdos induit pluviale albi coloris, et detegitur SSm̃um Sacramentum. Quo demum, post cantum *Tantum ergo,* benedictio fidelibus impertitur. Quaeritur num liceat huiusmodi praxim servare?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Consuetudinem ea recitandi, utpote laudabilem, servandam ».

Ad IV. « Affirmative; dummodo SSm̃i Sacramenti expositio fiat absoluto Defunctorum Officio, ac remoto, si fieri potest, tumulo; vel saltem extinctis candelis circa illum accensis ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 13 Iulii 1883.

3583. LINCIEN. (5881)

Quo Liturgicarum praescriptionum observantiae nec non Sacrae Rituum Congregationis Decretorum conformitati apprime consulatur in eis quae ad cultum divinum spectant, Rm̃us Dominus Franciscus Iosephus Rudigier Episcopus Lincien. sequentia dubia pro opportuna resolutione eidem Sacrae Congregationi humillime subiecit; nimirum:

I. An Dominica III Octobris, in qua in Dioecesi Linciensi Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et omnium simul Dioeceseos Ecclesiarum celebratur, debeat a Sacerdotibus, qui hac ipsa die celebrant Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, fieri Commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, prout hucusque factum est?

II. Quatenus vero haec Commemoratio Dedicationis Ecclesiae Cathedralis facienda esset, et quidem iuxta Rubricas per Orationem *Deus qui invisibiliter etc.;* quaeritur: An in hac Oratione verba illa *templum hoc* in *illud deprecaturi* (et sic respective in Secreta et Postcommunione) mutari debeant, prout in Calendario aliquarum Dioecesium adnotatur?

III. Dioecesis Linciensis anno 1871 die 28 Septembris indultum obtinuit, per totum Adventum, celebrandi quotidie unam Missam Votivam B. M. V. *Rorate,* excepto Festo Immaculatae Conceptionis eiusdem B. M. V. ac diebus quando fit Officium de die infra octavam eiusdem Immaculatae Conceptionis; item excepto Festo Expectationis Partus B. M. V. Nunc vero dubium exortum est: An die 10 Decembris in Festo Translationis Domus Lauretanae B. M. V. (quod Dioecesi Linciensi, anno 1870, die 7 Iulii concessum fuit) liceat dicere praedictam Missam Votivam *Rorate;* vel potius dici debeat Missa de Festo?

IV. In Dioecesi Linciensi viget (sicut in pluribus Dioecesibus Imperii Austro-Hungarici) consuetudo extinguendi Candelas tum acolythorum tum Altaris, dum canitur *Passio* in Missa solemni Dominicae Palmarum; quaeritur an haec consuetudo possit retineri?

Sacra vero Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita prius sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris nec non Rm̃i Assessoris Congregationis ipsius, sic enunciatis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative; et consuetudinem in casu tollendam ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 13 Iulii 1883.

3584. NITRIEN. (5882)

Intra limites Dioeceseos Nitrien., in oppido vulgo *Dubnicza* nuncupato, Ecclesia extructa et consecrata fuit die 25 Iunii 1789, quae deinceps duplex passa est incendium: primum quidem anno 1814, quo nonnisi lignea tecti compages ac turris conflagravit, alterum anno 1882, quo compages lignea turris, Ecclesiam versus corruens, fornicem mediae navis templi percussit, adeo ut parietes Ecclesiae in una parte vitiati, et binae in parietibus Cruces consecrationis destructae fuerint. Hinc in restaurationis operibus accidit, ut tum eiusmodi omnes Cruces penitus amotae sint, tum reliqui totius Ecclesiae muri cum ceteris Crucibus consecrationis inalbari rursus, atque ideo novae Cruces pictae efformari debuerint. Hisce perfectis, Ecclesia Dominica SSmae Trinitatis anni vertentis iuxta Ritualis praescripta benedicta est. Verum sequentia dubia statim suborta sunt circa Ecclesiae consecrationem, quae Rmus Dominus Augustinus Roskovany hodiernus Nitrien. Episcopus pro opportuna resolutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An, stantibus expositis, praedicta Ecclesia rursus consecranda sit? Et quatenus Negative,

Dubium II. An tantum omnes Cruces consecrationis iterum consecrandae sint; vel illae duae solummodo quae omnino abrasae fuerunt? et quatenus Affirmative ad primam partem;

Dubium III. An huiusmodi consecratio ita fieri possit, ut actus consecrationis inchoetur per Antiphonam *Lapides pretiosi etc.* et thurificationem?

Dubium IV. An pro nova Crucium consecratione praescriptum ieiunium pridie observari debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; idest nulla nova consecratio peragenda ».

Ad II. « Nulla Crux consecranda; sed tantummodo redintegrandae Cruces deletae ».

Ad III et IV. « Provisum in praecedentibus ».

Atque ita rescripsit.

Die 13 Iulii 1883.

3585. ARICHATEN. (5884)

Exponens Rmus Dominus Ioannes Cameron Episcopus Arichaten. in sibi commissa Dioecesi Altaria portatilia reperiri, quorum sepulcra coemento tantum conclusa sunt; quae quidem facile Reliquias amittere possunt, quum huc illuc ex necessitate transferantur; si iuxta declarationem Sacrae Rituum Congregationis lapide dumtaxat cooperiantur. Hinc eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

I. An in posterum pro Altarium consecratione in sua Dioecesi coementum tantum adhibere valeat loco lapidis seu operculi pro claudendis Reliquiarum sepulcris?

II. An ex singulis Altarium sepulcris, quae extant in Dioecesi Arichaten., coementum extrahere teneatur, et pro ipso lapides de more substituere? Et quatenus Affirmative,

III. An sit necessarium integram consecrationem repetere, quia ob duritiem coementi in substitutione facienda, eiusdem coementi cum Reliquiis et granis thuris facile contingeret commixtio?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative; sed in casu Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a SSmo D. N. Leone Papa XIII tributis, indulget usum brevioris ritus. Hic autem ritus erit sequens: Episcopus orator, vel per se vel per simplices Sacerdotes hoc tantum in casu Apostolicae Sedis nomine delegandos, certas Sanctorum Reliquias in iisdem aris reponat, iis solummodo caeremoniis servatis, quae in Pontificali Romano praescribuntur, dum in sepulcro reconduntur Reliquiae, et superponitur lapis; scilicet ut signetur sacro Chrismate Confessio sive Sepulcrum, et interim dicatur Oratio: *Consecretur et sanctificetur etc.*: postea, reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris et superposito operculo ac firmato, dicatur altera Oratio: *Deus qui ex omnium cohabitatione Sanctorum etc.;* et nihil aliud ».

Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 28 Iulii 1883.

3586. OSTIEN. ET VELITERNEN. (5885)

Hodiernus Ordinator Calendarii pro usu Dioeceseos Ostien. et Veliternen. a Sacra

Rituum Congregatione haec declarari humillime expetivit; nimirum:

I. Quotiescumque infra octavam alicuius Festi eam habentis non occurrat duplex vel semiduplex, neque ullum Festum ad tramitem novarum Rubricarum reponendum sit, fieri ne prorsus debet de octava; aut licitum est recitare Officium votivum respectivum, prouti ex Decreto Urbis et Orbis diei 5 Iulii vertentis anni indultum fuit?

II. In Festo S. Dominici Confessoris nuper a SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII ad ritum duplicem maiorem evecto, quaenam Lectiones in primo Nocturno legendae sunt?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Legendae sunt Lectiones de Communi 2 loco Conf. non Pontif. *Beatus vir* ».

Atque ita declaravit, rescripsit ac servari mandavit.

Die 13 Augusti 1883.

3587. CASTELLANETEN. (5886)

In Calendario Dioeceseos Castellaneten. diei 9 Augusti affixum est Festum S. Stephani Papae et Martyris, in cuius Missa legitur Evangelium de Communi unius Martyris 2° loco. Idem autem Evangelium ponitur pro Vigilia S. Laurentii Martyris quae in ipsum diem incidit. Hinc Rmus Dominus Caietanus Bacile Episcopus Castellaneten. a Sacra Rituum Congregatione exquisivit:

I. Debetne legi aliud Evangelium in fine Missae pro commemoratione Vigiliae S. Laurentii, et quale? Et si Negative,

II. Quid agendum pro IX Lectione in recitatione Officii?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic respondendum censuit:

Ad I et II. « In casu de Vigilia faciendam esse tantummodo commemorationem, tum in Laudibus Officii diei, tum in eius Missis privatis cum consueto *Initium S. Evangelii secundum Ioannem* in fine ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 19 Septembris 1883.

3588. DIANEN. (5887)

Rmus Dominus Pro-Vicarius Generalis Dioeceseos Dianen. a Sacra Rituum Congregatione horum dubiorum declarationem humillime expostulavit; nimirum:

I. An Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium debeatur in celebratione solemnium Missarum Presbyter assistens, veluti praerogativa propria vel potius uti praerogativa particularis?

II. An simplici Canonico celebranti, loco Episcopi aut dignitatis impeditae vel absentis, competat ius habendi Presbyterum assistentem?

Et Sacra eadem Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ac relatione sui Secretarii, sic declarare rata est:

Ad I. « Neutrius praerogativae adesse privilegium ».

Ad II. « Provisum in praecedenti; seu Negative ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 19 Septembris 1883.

3589. GOANA. (5888)

Rmus Dominus Antonius Sebastianus Valente hodiernus Archiepiscopus Goan. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequens dubium humillime subiecit:

In Ecclesiis praedictae Archidioeceseos mos viget imagines Patroni in Throno locandi, ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum exponitur, tametsi extra tempus huiusmodi expositionis. Quaeritur num hic mos tolerari possit, quum sine magna populi repugnantia ac dispendio aboleri nequeat?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, re mature perpensa, ita rescribendum censuit:

« Curet Rmus Archiepiscopus, quantum fieri potest, ut mos iste eliminetur; et imagines aliter super Altaribus collocentur ». Atque ita rescripsit.

Die 19 Septembris 1883.

3590. RAVENNATEN. (5889)

Emus et Rmus Dominus Card. Iacobus Cattani Archiepiscopus Ravennaten. a Sacra Rituum Congregatione exquisivit: An in Ordinatione generali, quae, ut par est, fit cum cantu, ad evitandam immodicam prolixitatem, liceat Graduale et *Benedictus* dimidiate canere?

Et Sacra Rituum Congregatio, proposito dubio sic repondendum censuit:

« Affirmative; dummodo pars, quae non canitur, clara voce recitetur ». Atque ita respondit ac rescripsit.
Die 19 Septembris 1883.

3591. RAVENNATEN. (5890)

Ab Emo et Rmo Domino Cardinali Iacobo Cattani Archiepiscopo Ravennaten. insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna resolutione proposita fuere; nimirum:

Caeremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXIV) dicit a Presbytero assistente vel a Subdiacono pacem dandam alicui Acolytho vel Caeremoniario, qui ceteris de Choro eam distribuit; quaeritur:

I. An Caeremoniale in hoc directive se habeat, vel praeceptive? Et quatenus affirmative ad secundam partem,

II. An consuetudo immemorabilis dandi pacem solis Canonicis tolerari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic rescribendum censuit:

« Servetur Caeremoniale (Lib. I, Cap. XXIV, §§ 2, 4 et sequentib.); ita ut pax detur tum Canonicis, tum ceteris de Choro ». Atque ita rescripsit.
Die 19 Septembris 1883.

3592. RAVENNATEN. (5891)

Emus et Rmus Dominus Cardinalis Iacobus Cattani Archiepiscopus Ravennaten. a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii declarationem exquisivit; nimirum:

In Ordinatione maiorum Ordinum dicenda est Oratio pro Ordinatis sub unica conclusione cum Oratione Missae diei. Quaeritur ergo: Quae dicetur Oratio Missae diei in Sabbatis Quatuor temporum? Prima ne quae dicitur post quintam Lectionem ante Epistolam? Ratio dubitandi est, quia ex una parte Oratio propria Missae diei videretur quae dicitur primo loco post *Kyrie*, quae cum Officio concordat; ex parte vero altera, attenta Pontificalis Rubrica, Oratio propria Missae diei videretur quae dicitur ante Epistolam.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris sententia, sic declarare rata est:

« Servetur praescriptum a Pontificali Romano (Tit. De Ordinatione Diaconi) ». Atque ita declaravit ac rescripsit.
Die 19 Septembris 1883.

3593. SALOPIEN. (5892)

Rmus Dominus Edmundus Knight Episcopus Salopiensis Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. In opere R. P. D. Martinucci cui titulus *Manuale sacrarum Caeremoniarum* Lib. VII, Cap. 2, N. 47 de inhibitione discedendi, quae legitur ab Archidiacono ante Ordinationes, dicitur: « Si Ordinatio peragatur ab Episcopo extraneo, ex mandato Episcopi Ordinarii, legetur semper praedictum mandatum nomine Episcopi Ordinarii ». Quaeritur quomodo sit legenda haec inhibitio, si Ordinatio fiat ab Episcopo extraneo, servatis servandis tempore Sedis vacantis; An sit nominandus Episcopus extraneus, seu potius Vicarius Capitularis? Et quatenus Affirmative ad secundam partem: Quibus verbis sit nominandus?

Dubium II. Ritus servandus in expositione et benedictione SSmi Sacramenti, auctoritate Concilii primi Provincialis approbatus, praecipit ut Sacerdos, cotta indutus, utatur Amictu; et adiungit: « Si expositio SSmi Sacramenti immediate sequatur aliud Officium divinum et Sacerdos pluviali coloris respondentis Officio diei indutus non recedat ab Altari, tunc paramentis non mutatis velum humerale albi coloris assumatur. Quatenus vero recedat et expositio habeatur tanquam functio distincta ab Officio praecedenti, paramenta albi coloris adhibeantur. Nec tamen improbandus usus assumendi pluviale album pro expositione Sanctissimi Sacramenti, etiamsi ipsa immediate sequatur Officium, cui competit color diversus ». Porro quando benedictio SSmi immediate sequatur Vesperas solemniter cantatas et paramenta non sint mutanda, quaeritur: An foret contra Decreta, alias edita a Sacra Rituum Congregatione, si Sacerdos antequam induat pluviale pro Vesperis, simul sumat Amictum et Stolam propter benedictionem SSmi, quae Vesperas statim secutura est? Et quatenus hoc sit prohibitum, quaeritur: An Sacerdos pluviali indutus illud apud Altare deponere et reassumere debeat, sumptis interim Amictu et Stola, et hoc etiamsi paramenta non sint coloris albi?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Inhibitio legenda est nomine Vicarii Capitularis hisce verbis: *Rmus Dominus N. N. huius Dioeceseos, Sede vacante, Vicarius Capitularis deputatus sub excommunicationis poena praecipit etc.* ».

Ad II. « Licet sumere Amictum et Stolam, si ante Vesperas fiat expositio, et benedictio immediate illas sequatur ».

Atque ita rescripsit.

Die 19 Septembris 1883.

3594. AQUEN. (5893)

Rm̃us Dominus Iesephus Maria Sciandra hodiernus Episcopus Aquen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit:

Ex Decretis ipsius Sacrae Congregationis recitatio libera alicuius Officii ad libitum fit obligatoria, quum iussu Ordinarii illud affixum fuerit diei non impedito in Calendario Dioecesano. Idipsum confirmari videtur Decreto *Urbis* et *Orbis* nuperrime die 5 Iulii vertentis anni, quoad choralem recitationem; quum post Capitularem Officiorum electionem semel pro semper factam et ab Ordinario approbatam, eorumdem recitatio fit obligatoria. E contra quoad privatam recitationem, singulis e Clero licet pro lubitu Officium Feriae vel Officium Votivum eius diei recitare. Hinc quaeritur:

Dubium I. Num libera electio, quoad privatam recitationem concessa, coarctetur solummodo ad Officia Votiva ad libitum in Decreto 5 Iulii citato contenta; ideoque pro Officiis antecedentibus ad libitum servanda sint Decreta alias edita?

Dubium II. Num in redigendo Ordine annuali divini Officii debeant nunc duo Officia, alterum Feriale et alterum Votivum ad libitum, adnotari, quoties privata alterutrius recitatio singulorum arbitrio relinquitur?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ad utrumque ».

Ad II. « Redacto Ordine divini Officii more consueto iuxta Rubricas, addi poterit Rubrica particularis Officii Votivi currentis diei ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 19 Septembris 1883.

3595. DECRETUM. (5894)

Ob recentem ad ritum duplicis primae classis evectionem Festi Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis et Festi S. Iosephi eiusdem Deiparae Sponsi, Catholicae Ecclesiae Patroni, quum inter solemniora eadem Festa accensenda sint;

« Sacra Rituum Congregatio congruum duxit ut in Caeremoniali Episcoporum, tum Lib. I, Cap. XVI, § 4, in quo agitur de usu Pallii, tum Lib. II, Cap. XXXIV, § 2, ubi dies enumerantur quibus Episcopi solemniter celebrare solent, utraque ex praedictis Festivitatibus amodo inseratur. Hanc porro Sacrae ipsius Congregationis sententiam, per Secretarium SSm̃o Domino Nostro Leoni Papae XIII relatam, Sanctitas Sua ratam habens, praecepit ut in novis praefati Libri liturgici editionibus eiusmodi additamentum perficiatur ».

Die 19 Septembris 1883.

3596. DUBIORUM. (5895)

Quum nonnulla oborta sint dubia circa indultum generale a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII datum per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis sub die 5 Iulii nuper praeteriti, quoad recitationem Officiorum Votivorum per annum loco Ferialium; Sacra eadem Congregatio sui muneris esse censuit ea sedulo examini subiicere, atque exinde authenticam declarationem emittere.

Quapropter idem Sacer Ordo subsignata die ad Vaticanum in particulari coetu coadunatus insequentia dubia expendenda suscepit; nimirum:

I. An verba Indulti *quoad privatam vero recitationem ad libitum singulorum de Clero* intelligenda sint de eis tantum, qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur?

II. An statuta, de consensu Capituli seu Communitatis ab Ordinario adprobato, recitatione Officii Votivi, liceat quandocumque ab ea acceptatione recedere?

III. An Indultum ipsum ita acceptari possit, ut quibusdam anni diebus de Feria, aliis vero de Votivis Officiis in chorali recitatione agi valeat?

Em̃i porro ac Rm̃i Patres, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II et III. « Negative ».

Atque ita rescripserunt, declaraverunt ac servari mandarunt.

Die 10 Novembris 1883.

3597. DUBIORUM. (5896)

Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna declaratione proposita fuere; nimirum:

Dubium I. Cum ex Decreto diei 5 Iulii 1883 liberum sit iis, qui nullo canonico titulo ad Chorum tenentur, recitare, quibusdam Feriis exceptis, vel Officium Feriale, vel Officium Votivum huic Feriae respondens, quaeritur: Utrum obligatio adhuc maneat solum Officium Votivum recitandi, ubi istud Officium antea iam fuerat speciali privilegio alicui Dioecesi concessum: ita ut praefatis diebus ferialibus non detur optio inter Officium Feriale et Officium votivum? Et quatenus Affirmative; An optio detur diebus contentis in novo Indulto 5 Iulii 1883 in alio praecedenti exceptis?

Dubium II. Tempore Paschali in Officio Votivo Passionis est ne addendum *Alleluia;* et servanda eiusdem temporis propria?

Dubium III. In Rubrica Officiis Votivis nuper indultis praemissa statuitur, ut eadem Officia habeant tum commemorationem, tum IX Lectionem de Festo simplici occurrenti. Quaeritur igitur: An praedicta Officia Votiva recitari possint, nedum loco Officiorum Ferialium, prout in Decreto diei 5 Iulii 1883, sed etiam loco Officii alicuius Festi simplicis (v. g. Sanctae Agnetis secundo) quod unice ea die in Calendario assignetur?

Dubium IV. Ex eadem Rubrica, Vesperae Officii Votivi currentis ritus semiduplicis, si die praecedenti vel sequenti occurrat Officium aliud quodcumque IX Lectionum, ordinandae sunt iuxta Rubricam de concurrentia Officii. Cum autem Officium Votivum cum alio item Votivo, concurrere possit, quaeritur:

1. Utrum hoc in casu Vesperae, iuxta praefatam Rubricam Generalem Breviarii De Concurrentia Officii Tit. X, Num. 4, semper dicendae sint a capitulo de sequenti cum commemoratione praecedentis; an vero habenda sit ratio dignitatis unius Officii Votivi prae alio, iuxta eiusdem Rubricae n. 2?

2. Quid praesertim agendum sit, cum Officium Votivum Sanctissimi Sacramenti concurrit cum Officio de Passione D. N. I. C.?

Dubium V. Cum Festum Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae die 28 Octobris incidit in Feriam secundam, quaenam in secundis Vesperis adhibenda est Oratio pro Commemoratione Officii Votivi de Apostolis, quod sequenti Feria tertia recitari contingat?

Dubium VI. Si in Vigilia, Feriis Quatuor temporum aliisque Feriis propriam Missam habentibus recitetur in Choro Officium Votivum, sunt ne canendae duae Missae, altera de Vigilia vel Feria, altera de Officio Votivo; an potius unica dicenda est Missa de Vigilia vel Feria cum commemoratione Officii Votivi?

Dubium VII. Quoties Feria tertia recitatur Officium Votivum omnium Sanctorum Apostolorum, omitti ne debet in Suffragiis ad Vesperas ac Laudes commemoratio Apostolorum Petri et Pauli?

His porro dubiis a Secretario relatis, Sacra Rituum Congregatio, post accuratum omnium examen, sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative, ad primam et secundam partem ».

Ad II. « Affirmative; et adhibeatur color rubeus toto anni tempore ».

Ad III. « Affirmative; et provisum in Rubrica Officiorum ».

Ad IV. Quoad 1. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Quoad 2. « Totum de praecedenti, nihil de sequenti ».

Ad V. « Sumatur Oratio pro aliquibus locis die XXIX Iunii scilicet: *Deus qui nos Beatorum Apostolorum commemoratione laetificas: praesta quaesumus; ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum* ».

Ad VI. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VII. « Negative ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 24 Novembris 1883.

3598. URBIS ET ORBIS. (5897)

Ad praesidium columenque militantis Ecclesiae Virum sanctissimum excitavit misericors Deus, Dominicum Guzmanum, inclytum Ordinis Praedicatorum conditorem et patrem, qui pugnare pro Ecclesia catholica aggressus est, maxime precatione confisus, quam Sacri Rosarii Mariani nomine primus instituit, et per se suosque Alumnos longe lateque disseminavit. Admirabilem hanc orandi formulam nobilis instar tesserae christianae pietatis Catholici

semper habere consueverunt. Quare vix ac Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad opem a Iesu Christo per Mariam Virginem Eius Matrem praesentibus necessitatibus impetrandam, integrum mensem Octobrem Rosarii precibus in toto Catholico Orbe hoc anno exigendum, encyclicis datis Litteris, indixit; ubique sacrorum Antistites et fideles populi, supremi Pastoris voluntati obtemperantes, frequentissima Rosarii recitatione pietatis suae et dilectionis erga Dei Matrem peramantissimam splendida argumenta exhibuerunt, certam spem foventes se, eadem Beatissima Virgine opitulante, a caelesti misericordiarum Patre in praesentibus, tam privatis, quam communibus christianae reipublicae calamitatibus efficacius optata subsidia impetraturos.

Iamvero Sanctissimus idem Dominus Noster summopere cupiens tum augeri cultum erga ipsam augustam Dei Genitricem hac praesertim orandi consuetudine eidem Virgini gratissima, tum Christifideles ad hoc obsequium Ei praestandum magis magisque excitari, humillimas preces sibi oblatas a Rm̃o Patre Iosepho Maria Larroca Magistro Generalis Ordinis Praedicatorum, nimirum ut Litaniis Lauretanis addendam indulgeat Reginae a Rosario invocationem, quae iamdudum apud Dominicianam Familiam in usu est, benigne ac perlibenter excepit. Voluit propterea Sanctitas Sua praecepitque, ut ceteris Litaniarum Lauretanarum beatae Mariae praeconiis et hoc in Ecclesia universa in posterum addatur postremo loco, scilicet: *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

Mandavit praeterea super his expediri Litteras in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Decembris 1883.

3599. CONGREGATIONIS (5898) PIORUM OPERARIORUM.

In Ecclesia sub titulo S. Nicolai vulgo « *alla Carità a Toledo* » adnexa domui Congregationis Piorum Operariorum in Civitate Neapolitana, singulis Feriis VI ad parvum Altare ligneum, in quo D. N. I. C. simulacrum sub nomine *Ecce Homo* magna fidelium veneratione colitur, pia exercitia fieri solent in honorem Pretiosissimi Sanguinis ipsius D. N. I. C., sacrosanctum Missae Sacrificium celebratur ac SSm̃um Eucharistiae Sacramentum exponitur, quo fidelibus demum benedictio impertitur.

Quum vero circa pium huiusmodi morem nonnulla dubia oborta sint, Rev. P. Petrus Centofanti hodiernus Praepositus Generalis Congregationis Piorum Operariorum, Sacrae Rituum Congregationi humillime ea subiecit pro opportuna resolutione; nimirum:

Dubium I. In ligneo Altari SSm̃um Sacramentum potestne publico cultui exponi?

Dubium II. Antequam adstantibus fidelibus detur benedictio cum SSm̃o Sacramento, haberine potest conciuncula vulgo *Fervorino*?

Dubium III. Praedictum simulacrum debetne coopertum manere, durante SSm̃i Sacramenti expositione?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, omnibus accurate perpensis auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative; dummodo SSm̃i Sacramenti expositio rite perficiatur, et agatur de Altari rite extructo ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Durante huiusmodi SSm̃i Sacramenti expositione, statuam de qua in casu posse detectam manere ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 14 Decembris 1883.

3600. TORNACEN. (5900)

A s. m. Pio Papa IX die 11 Februarii 1848 indultum fuit ut in Dioecesi Tornacen. recitaretur sub ritu duplici Officium votivum de Immaculata Deiparae Conceptione cunctis Sabbatis non impeditis. Porro de huius indulti applicatione ad Sabbata prius non libera, nunc post recens Decretum Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII exortum est dubium. Hinc Rm̃us Dominus Isidorus Ioseph du Rousseaux hodiernus Episcopus Tornacen. a Sacra Rituum Congregatione declarare petiit: An vi praefati indulti anni 1848 liceat in Dioecesi Tornacen. recitare sub ritu duplici Officium cum Missa Immaculatae Conceptionis B. M. V. singulis Sabbatis in indulto diei 5 Iulii currentis anni comprehensis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, sic respondit:

« Aut stricte utendum veteri indulto; aut novo, veteri prorsus dimisso ». Atque ita respondit ac declaravit.

Die 22 Decembris 1883.

3601. DE LINARES. (5901)

Rmus Dominus Ignatius Montes de Oca, hodiernus Episcopus Dioeceseos de Linares, exponens quod in sua Cathedrali Ecclesia diebus solemnioribus IX Matutini Lectio non ab Hebdomadario sed a Capituli Praeside recitari solet, a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit: An huiusmodi consuetudo licite continuari possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

« Consuetudinem in casu esse abusum; et ideo tollendam ». Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 11 Ianuarii 1884.

3602. DE LINARES. (5902)

In Ecclesia Cathedralis Dioeceseos De Linares in Mexico mos invaluit quibusdam in Festis Missam solemnem decantandi ex adventitia fidelium oblatione, cui Missae Capitulum assistit: et Missam, cuius canendae onus adest iisdem diebus pro Benefactoribus, ab Hebdomadario lectam celebrari. De huiusmodi vero consuetudinis legitimitate dubitans Rmus Dominus Ignatius Montes de Oca hodiernus Episcopus de Linares a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, ut ea licite continuari possit, attenta praesertim illius Ecclesiae redituum deficientia.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit:

« Expositam consuetudinem tolerari posse in casu, dummodo assistat Capitulum Missae lectae pro Benefactoribus ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Ianuarii 1884.

3603. ORDINIS (5903)

CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

Rmus P. Procurator Generalis Carmelitarum Excalceatorum Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod in Calendario perpetuo Ordinis ab eadem Congregatione sub die 26 Iunii 1850 approbato, die 15 Februarii habetur Festum S. Petri Thomae Ep. Mart. eiusdem Ordinis; et die immediate sequenti Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora et Reliquiae asservantur in Ecclesiis Ordinis; quae duo Festa per benignum Rescriptum ipsius Sacrae Rituum Congregationis sub die 8 Martii 1883 e ritu duplicis minoris ad ritum duplicis maioris evecta sunt. Contingit autem quod Ordinis Calendaristae differunt circa modum ordinandi Vesperas diei 15 Februarii. Quare orator ad diversitatem tollendam humillime supplicavit pro insequentis dubii solutione; nimirum:

Quomodo ordinandae sint Vesperae in praefata Officiorum concurrentia?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, sic declarandum censuit:

« In casu Vesperas esse dimidiandas, nempe recitandas a Capitulo de sequenti ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 11 Ianuarii 1884.

3604. URGELLEN. (5904)

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellen. in Hispania, de consensu sui Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum: (1)

Dubium I. In Regnis Aragoniae et Valentiae nec non in Catalauniae Principatu, in solemnitate SSmi Corporis Christi cantatur Missa cum expositione SSmi Sacramenti, quod expositum remanet usque ad Vesperas, quibus absolutis, fit solemnissima Processio cum SSmo Sacramento. Hinc quaeritur: Num possit ad maiorem Festi solemnitatem, cantari Missa Pontificalis (ut alicubi fit), adhibita diligenti cura ad praecavendas irreverentias erga Sanctissimum Sacramentum?

Dubium II. Utrum in concursu Officii votivi SSmi Sacramenti cum Officio item votivo Passionis D. N. I. C. Vesperae fieri debeant a Capitulo sequentis, cum praecedentis commemoratione; an potius integrae dicendae de SSmo Sacramento absque Passionis commemoratione?

Dubium III. Utrum Officium duplex (non Doctoris) vel semiduplex occurrens cum S. Mathia Ap. die 25 Februarii in anno bissextili, ad modum simplicis reduci de-

(1) E. Dub. I, IV et V.

beat, iuxta novas Rubricas; an vero servandum Decretum huius S. R. C. diei 1 Martii 1681 in una Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensium in responsione ad tertium?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris hisce dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 11 Ianuarii 1884.

3605. NEAPOLITANA. (5907)

Ut in ecclesiasticis functionibus omnia ordinate fiant, rectaque methodus servetur, sacrarum Caeremoniarum Magistri Neapolitanae Ecclesiae, annuente Rm̃o Archiepiscopo, insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime postularunt; nimirum:

Dubium I. Pontificale Romanum sub fine tituli *De benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia aedificanda,* haec habet: « His expletis (Episcopus) si velit, parat se ad celebrandam Missam in dicto loco de Sancto, in cuius nomine Ecclesia fundatur ». Quaeritur:

1. Adsunt ne dies, in quibus talis Missa uti prohibita habenda est?

2. Haec Missa, sive canatur sive legatur, quo ritu celebranda est? anne ut votiva solemnis pro re gravi, exclusa omni commemoratione; vel ut votiva privata?

3. Si Episcopus nolit talem Missam celebrare, potestne illam alius Sacerdos celebrare?

Dubium II. Rituale Romanum, titulo *Ritus benedicendi novam Ecclesiam,* praecipit ut peracta benedictione, dicatur Missa de tempore vel de Sancto. Quaeritur:

1. De quo Sancto celebranda erit haec Missa? de Sancto occurrente; an de Sancto in cuius honorem dedicatur Ecclesia?

2. Quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam; quo ritu celebranda erit, ut in secundo quaesito dubii praecedentis?

Dubium III. Peracta consecratione alicuius Ecclesiae vel Altaris, in Pontificali Romano praescribitur ut dicatur Missa prout notatur in Missali in ipsa die dedicationis Ecclesiae vel Altaris. Quaeritur:

1. In hac Missa sive agatur de consecratione Ecclesiae sive de consecratione Altaris, debentne fieri illae commemorationes, quae ne in duplicibus quidem primae classis omittendae, uti de Dominica, de Feria privilegiata etc.?

2. Licetne celebrare talem Missam pro utroque casu exposito, in omnibus diebus anni, nullo excepto?

3. Si aliqui dies excipiuntur, debetne saltem, in Missa diei, fieri Commemoratio Dedicationis?

Dubium IV. Occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, nulla Missa specialis in Missali notatur pro ea, sed adest tantum Collecta ex. gr. ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem etc.? Quaeritur:

1. Si in his rerum adiunctis Episcopus vellet Missam solemnem *pro re gravi* celebrare, quam Missam dicere deberet?

2. Quod si haec Missa esset illa *pro quacumque necessitate,* oportebitne tollere Collectam ipsius Missae *pro quacumque necessitate* et substituere Collectam particularis necessitatis, quae urget; an retenta illa, addere et hanc sub unica conclusione?

Dubium V. Sacra Rituum Congregatio, die 29 Ianuarii 1752 in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae, in responsione ad 6, statuit ut Missae propriae Festivitatum B. M. V. non possint celebrari uti votivae. Quaeritur:

1. In hac prohibitione includitur ne etiam Missa proxime concessa Immaculatae Conceptionis *Gaudens gaudebo?* Ratio dubitandi oritur quod post Graduale praedictae Missae, inveniuntur variationes in ipso Graduali faciendae, prout diversa sunt tempora anni, praemissis verbis « In Missis votivis ».

2. Missae sub variis titulis B. M. V., ex. gr. de Monte Carmelo, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis etc. comprehenduntur in regula praedictarum Festivitatum; ita ut numquam dici possint uti votivae, exceptis diebus octavae si habent?

3. Item Missa SSm̃i Cordis Iesu *Miserebitur* potestne celebrari uti votiva? (1)

Dubium VI. Pluries Sacra Rituum Congregatio decrevit, ut infra octavas privilegiatas celebrari non liceat anniversaria pro

(1) E. Dub. VI, VII, IX et X.

defunctis. Hinc quaeritur: Praeter Octavas Epiphaniae, Paschalis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, debetne considerari uti privilegiata etiam Octava Nativitatis Domini, ita ut et haec quoque anniversarium funus excludat? Dubium oritur ex eo quod Scriptores rerum liturgicarum de hac re alii aliter sentiant.

Dubium VII. Avulsis ob humiditatem lapidibus, qui tegebant Reliquias quorumdam Altarium, et nova calce firmatis, dubitabatur num praedicta Altaria indigerent nova consecratione. Exposito dubio Sacrae Rituum Congregationi sub die 25 Septembris 1875 in una Ordinis Cisterciensis, responsum fuit: « Si sepulcrum apertum non fuerit, sed tantummodo de novo coemento firmatum, Negative; si secus, Affirmative ». Nunc quaeritur: Haec decisio potestne etiam retineri quum tota mensa Altaris consecrati ad modum fixi e suis stipitibus sublevata, non omnino dimota, novo coemento ipsis stipitibus firmatur et coniungitur?

Dubium VIII. Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum inter dies, in quibus Reverendissimus Archiepiscopus uti potest *Pallio*, adnumerant etiam « principales festivitates Ecclesiae suae ». Quaeritur:

1. Comprehenduntur ne inter principales festivitates Ecclesiae suae etiam centenarius Festus alicuius Sancti, solemnis Incoronatio alicuius Imaginis B. M. V. vel aliae similes festivitates quae extraordinaria pompa celebrantur, sive in Ecclesia Metropolitana, sive in Ecclesiis propriae Archidioeceseos?

2. Si Rm̃us Archiepiscopus per specialem gratiam debeat benedictionem Papalem impertiri in aliqua die, in qua uti nequit Pallio in Missa, debetne peracta Missa Pallium induere hac una de causa ut praedictam benedictionem impertiatur?

Dubium IX. Potestne Archiepiscopus iis diebus, quibus ei permittitur usus Pallii, absoluta Missa Pontificali, dimittere Pallium cum ceteris indumentis Pontificalibus, sumere pluviale, et sic indutus impertire benedictionem Papalem?

Dubium X. Absoluto chorali Officio, etiam Hora Nona recitata, potestne iterum cantari Hora Tertia, quando Archiepiscopus assumit paramenta Pontificalia ad celebrandum?

Sacra porro Rituum Congregatio, audita relatione Secretarii nec non sententia Rm̃i D. Assessoris Sacrae ipsius Congregationis, hisce dubiis maturo examine perpensis, rescribere rata est:

Ad Dubium I. Quoad 1. « Affirmative; scilicet dies infra annum solemniores ».

Quoad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Quoad 3. « Affirmative ».

Ad Dubium II. Quoad 1. « Negative, ad primam partem; Affirmative ad secundam ».

Quoad 2. « Ritu solemniori ».

Ad Dubium III. Quoad 1. « Negative, si agatur de consecratione Altaris; Affirmative, si agatur de consecratione Ecclesiae ».

Quoad 2. « Negative; iuxta Rubricas et Decreta ».

Quoad 3. « Affirmative, sub unica conclusione ».

Ad Dubium IV. Quoad 1. « In casu dicenda foret Missa *Pro quacumque necessitate* ».

Quoad 2. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad Dubium V. Quoad 1. « Negative ».

Quoad 2. « Affirmative ».

Quoad 3. « Affirmative; et detur Decretum in Mechlinien. diei 1 Septembris 1838 ad III ».

Ad Dubium VI. « Affirmative ».

Ad Dubium VII. « Negative ».

Ad Dubium VIII. Quoad 1. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Quoad 2. « Negative ».

Ad Dubium IX. « Negative; et hic usus servatus in Ecclesia Metropolitana est eliminandus, quia benedictio Summi Pontificis nomine impertienda dari debet, absoluta Missa Pontificali, a Celebrante induto iisdem paramentis, reassumptis etiam chirothecis et Pallio ornato; quippe qui actionem exercet plenitudinis Pontificalis dignitatis ».

Ad Dubium X. « Negative; et quatenus Canonicis non placeat recitare Sextam et Nonam post Missam Pontificalem, Beneficiarii Ecclesiae Metropolitanae recitent privatim easdem duas Horas in Ecclesia Sanctae Restitutae ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 23 Februarii 1884.

3606. BOBIEN. (5908)

Hodiernus Episcopus Bobien., novam Appendicis Missalis pro sua Dioecesi editionem curaturus, insequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi proposuit:

In Appendice postrema edita anno 1843 reperitur, Feria VI in Parasceve, Oratio particularis pro Episcopo, decantanda post Orationem pro Papa, et Oratio particularis pro Rege decantanda post Orationem pro cathecumenis. Sabbato Sancto ad *Exultet* post illa verba *Imperatorem nostrum N.* dicendum praescribitur *una cum Rege nostro N., quorum tu Deus etc.;* item praescribitur, ob regressum Regis in sua dominia, decantandam esse in Cathedralibus alteram Missam pro gratiarum actione, et in omnibus Missis lectis addendas esse Orationes pro gratiarum actione et ad poscenda Suffragia Sanctorum. Hinc quaeritur :

Dubium I. An in Missa Praesanctificatorum Orationes particulares pro Episcopo et pro Rege canendae sint, cum de approbatione ac Apostolica venia non constet?

Dubium II. An Sabbato Sancto ad *Exultet* loco verborum *Imperatorem nostrum N.* canendum sit *Regem nostrum N.,* cum pariter de approbatione ac Apostolica venia minime constet?

Dubium III. An Missa solemnis et Orationes ob Regis regressum in Missis lectis adhuc decantandae et recitandae sint, cum fere in omnibus Pedemontanis Dioecesibus (ut etiam in hac Bobien., pluribus abhinc annis) id amplius non observetur?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem sui Secretarii, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis sic rescribere rata est :

Ad I, II ac III. « Nihil innovetur ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 9 Maii 1884.

3607. CONGREGATIONIS (5909)

CLERICORUM REGULARIUM EXCALCEATORUM SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

Hodiernus Ordinator Calendarii annui pro divino Officio persolvendo Sacroque celebrando in usum Congregationis Clericorum Regularium Excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit :

Dubium I. Quum Congregatio praedicta ditata sit privilegio Officii votivi Septem Dolorum B. M. V. quolibet anni Sabbato non impedito, quaeritur : Utrum Oratio in Missa debeat respondere Orationi ipsius Officii; an alia Oratio *Interveniat* usurpanda sit, ut in Missali Romano secundo loco?

Dubium II. Quando Officium votivum, quod propria gaudeat in Hymnis conclusione, concurrat cum duplici, quaeritur: Num dicta conclusio locum habere debeat in Hymno Completorii ipsius diei, in quo Officium votivum persolutum fuit?

Dubium III. An ii omnes de Clero qui Romae degunt, sed Calendario ac Proprio in usum Cleri ipsius Urbis haud utuntur, debeant recitare Officium votivum Ss. Petri et Pauli Apostolor. Feriis III liberis; vel alterum de Apostolis Ecclesiae universali concessum?

Dubium IV. Quando Dominica I post octavam Ss. Petri et Pauli Apostolor. occurrit duplex minus, debet ne istud locum cedere Festo Commemorationis omnium Ss. Romanae Ecclesiae Summorum Pontificum, quod sub ritu pariter duplici minori affixum est Dominicae primae non impeditae post praedictam octavam?

Dubium V. An Festa mobilia Maternitatis et Puritatis Deiparae Dominicis affixa transferri possint?

Dubium VI. In Officio S. Hilarii Episcopi Conf. et Ecclesiae Doct. Lectiones I Nocturni sunt ne de Scriptura occurrente; an de Communi Doctorum: *Sapientiam?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. « Debet respondere Orationi Officii ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Absque privilegio, transferri nequeunt ».

Ad VI. « Lectiones I Nocturni sunt de Scriptura occurrente ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Maii 1884.

3608. NICOSIEN. (5910)

Rmus Dominus Bernardus Cozzuoli hodiernus Episcopus Nicosien. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit; nimirum :

Dubium I. An possit Episcopus permittere ut functiones omnes Hebdomadae maioris fiant in Ecclesiis omnibus, in quibus SSm̃um Eucharistiae Sacramentum asservatur, licet renuente Parocho, cui eaedem Ecclesiae subiectae sunt?

Dubium II. An Feria V in Coena Domini possint Parochi, praeter ius relativum ad adimplementum praecepti paschalis, sibi alia iura vindicare quoad Ecclesias exteras intra parochialem iurisdictionem existentes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, propositis dubiis ita rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative; dummodo tamen horis diversis fiant sacrae functiones, ne fidelium concursus ad Ecclesiam parochialem impediatur ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Maii 1884.

3609. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI. (5911)

Rm̃us P. Fr. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis totius Ordinis Minorum Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit:

In Conventu S. Columbae V. M. Molleani Ordinis Minorum, die 31 Decembris, Festum Titularis propriae Ecclesiae, semper est celebrandum. Quare eodem die de S. Silvestro Papa Conf. ibidem hucusque semper fiebat per modum simplicis. Quia autem secundum novas Rubricas Generales de duplici ad ritum simplicem redacto deinceps fieri nequit Commemoratio in ritu duplici primae classis, ignoratur quidnam in praefato Conventu agendum sit quoad Festum S. Silvestri. Hinc eidem Sacrae Congregationi insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit; nempe:

Dubium I. Utrum in casu Festum S. Silvestri perpetuo omitti debeat nec ne?

Dubium II. An ipsum prima die libera ante diem 31 Decembris, quae in Calendario praefati Conventus est die 9 Decembris, sit anticipandum?

Dubium III. An celebrari valeat die 30 Decembris cum commemoratione Dominicae infra octavam Nativitatis Domini?

Dubium IV. An demum Festum Titularis in diem 30 Decembris transferri et Festum S. Silvestri in die 31 Decembris relinqui possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus propositis dubiis ita rescribere rata est:

« Festum S. Silvestri Pont. Conf. in diem 30 Decembris fixe transferatur cum Commemoratione Dominicae, si occurrat ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Maii 1884.

3610. SALERNITANA. (5912)

Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Salernitanae Sacrae Rituum Congregationi duo insequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Ex veteri consuetudine Canonici ipsius Ecclesiae, in Festo Annuntiationis B. M. V., etiamsi infra Quadragesimam occurrat, choralibus insignibus rubri coloris uti solent. Quaeritur: Num attenta recentiori Rubrica quoad Festum S. Ioseph Conf. B. M. V. Sponsi, adhiberi debeant in casu insignia coloris violacei; an rubri?

Dubium II. Iuxta Constitutiones Capitulares iidem Canonici quotannis Missam de Requie cantare debent pro anima sui Archiepiscopi qui postremo decessit. Rm̃us vero Archiepiscopus Guadalupi, hodierni Archiepiscopi praecessor, obiit postquam nuntium remiserat huius Archidioeceseos, quin tamen titulum vel curam alterius recepisset. Quaeritur: Num praefata Missa solemnis pro anima alterius antecessoris Archiepiscopi, vel pro enuntiato Guadalupi, qui obiit postremo loco, celebranda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Uti posse, facto verbo cum SSm̃o, attentis specialibus circumstantiis et rationibus, colore rubro ».

Ad II. « Anniversarium celebrandum esse pro cl. me. Archiepiscopi Guadalupi ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Maii 1884.

Facta autem SSm̃o D. N. Leoni Papae XIII a S. R. C. Secretario fideli relatione quoad primum, Sanctitas Sua benigne annuere dignata est pro gratia, tam in Festo Annuntiationis Deiparae quam in Festo S. Iosephi

eiusdem B. M. V. Sponsi intra Quadragesimam occurrentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 iisdem mense et anno.

3611. CAURIEN. (5913)

Hodiernus Sacrarum Caeremoniarum Magister Cathedralis Ecclesiae Caurien. insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda humillime subiecit; nempe:

Dubium I. Lectiones libri Machabaeorum, in Dominica V Octobris et duobus feriis sequentibus positae, saepe legi non possunt, propter Festa S. Narcisi et S. Fructi ritus duplicis minoris, quae habent Lectiones I Nocturni alter proprias, alter vero de Communi. Quaeritur:

1. An dictae Lectiones libri Machabaeorum legi possint in Festis ritus duplicis minoris habentibus Lectiones primi Nocturni proprias vel de Communi assignatas?

2. An si una tantum dies libera remaneat ad legendas Lectiones Dominicae V Octobris, Lectiones etiam Feriae II et III sequentium possint legi dicta die, nempe prima de qualibet die?

Dubium II. Cum in Officio votivo S. Iacobi Ap. in fine Officiorum Propriorum Ss. Hispanorum posito, quod recitabatur in omnibus Hispaniarum Regnis ex indulto Clementis Papae IX dato die 23 Iulii 1647, Feria 2 cuiuslibet hebdomadae non impedita, et recitatur hodie in Feriis III loco Officii votivi de Ss. Apostolis iuxta Decretum S. R. C., non notentur Lectiones primi Nocturni legendae in Quadragesima; quaeritur: Quaenam Lectiones legendae sint pro I Nocturno in Officio votivo S. Iacobi tempore Quadragesimae?

Dubium III. In editione Officiorum votivorum per annum a S. R. C. die 14 Augusti anni elapsi edita, notatur pro Feria V Officium votivum de SSmo Eucharistiae Sacramento, ut in Appendice Breviarii Romani. Quum autem in hac Appendice nihil dicatur circa Lectiones primi Nocturni in Quadragesima; et in diversis editionibus Breviarii Romani pro III Nocturno diversae Lectiones notentur pro mensibus Ianuarii, Februarii, Martii et Aprilis; quaeritur:

1. Tempore Quadragesimae in Officio votivo SSmi Sacramenti quaenam Lectiones legi debeant pro I Nocturno?

2. Quae Lectiones legendae sint pro III Nocturno in Officio votivo Sanctissimi Sacramenti dictis mensibus?

Dubium IV. Cum in Officio Immaculatae Conceptionis votivo per annum concesso a S. R. C. per Decretum diei 5 Iulii anni transacti, ut recitetur singulis Sabbatis non impeditis, extra tempus Passionis et Adventus a die 17 usque ad 24 Decembris inclusive, non notentur Lectiones I Nocturni in Quadragesima et Sabbatis Quatuor Temporum, quaeritur: Quaenam Lectiones legendae sint pro I Nocturno in Officio votivo Immaculatae Conceptionis, tempore Quadragesimae et Sabbatis Quatuor Temporum?

Dubium V. Utrum vi Brevis SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII diei 28 Iulii 1882 censeatur suppressum Decretum S. R. C. diei 1 Martii 1685 in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium; ita ut Festum duplex minus (Sancti non Doctoris) vel semiduplex occurrens anno bissextili die 25 Februarii, in qua tunc agitur de S. Mathia, iam non transferatur ad diem immediate sequentem, sed redigatur ad ritum simplicis?

Dubium VI. Prohibitum est a S. R. C. adhibere incensum in Missa sine Ministris cantata. Cum autem in hac Dioecesi, et plus vel minus in ceteris Hispaniae Dioecesibus, desideretur copia Sacerdotum, ita ut rarissimi in Ecclesiis parochialibus (praesertim ruralibus) inveniri possint Sacerdotes ad celebrandam Missam solemnem cum Ministris, sed tantummodo cantatam a solo Sacerdote, et in ea adhibeatur incensum ex consuetudine fere immemoriali, quae supprimi non posset sine offensione et scandalo populi; quaeritur: An saltem ubi sit praedicta consuetudo, tolerari possit usus incensi in Missis quae cantantur sine Ministris sacris, si hi inveniri non possint?

Dubium VII. Iuxta Decreta S. R. C. Capitulares omnes tenentur obedire Caeremoniarum Magistris in iis quae divinum cultum respiciunt, et isti in sui muneris exercitio sunt Capitularium Directores, non famuli. Hinc quaeritur: An Magistri Caeremoniarum teneantur exquirere consensum et approbationem Capituli, ita ut non possint in Ecclesia Cathedrali executioni tradere aliquod Decretum S. R. C. ad cultum divinum spectans, antequam obtineant dictum consensum et approbationem? Et quatenus negative: An Capitulares, praetextu alicuius consuetudinis etiam immemorialis vel praesumpti privilegii, possint se tueri contra debitam observantiam Decretorum, quae ipsis opponunt Magistri Caeremoniarum, ut e medio auferantur consue-

tudines quae Rubricis vel Decretis opponuntur? (1)

Dubium VIII. Quum in hac Ecclesia Cathedrali quandoque celebrantur Missae de Requie cum assistentia totius Capituli, quae tamen Missae appellantur anniversaria, licet improprie, utpote non fundata pro die obitus; quaeritur: An praedictae Missae dici debeant post Nonam; vel post Primam?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Secretarii, hisce dubiis maturo examine perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Ad utramque partem, Negative; et tantum Lectiones Dominicae V in casu legendae, si adsit dies libera ».

Ad II. « In Officio votivo S. Iacobi Apostoli tempore Quadragesimae legendae sunt in primo Nocturno Lectiones: *Sic nos existimet homo,* prout in Festo ».

Ad III. « In I Nocturno legendae Lectiones de Scriptura diei Festi, uti iam provisum in editione Romano-Ratisbonen. 1883: pro III. autem Nocturno Officii votivi Sanctissimi Sacramenti mensibus Ianuario et Februario ut Feria VI infra octavam, Martio autem et Aprili uti in Sabbato ».

Ad IV. « Legendae Lectiones ut in die festo ».

Ad V. « Per Breve diei 28 Iulii 1882 minime censendum suppressum enuntiatum Decretum in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium in responsione ad dubium tertium; Festa enim quae in anno communi fixa sunt diebus 24, 25, 26, 27 et 28 Februarii, in anno Bissextili tamquam proprias habent dies 25, 26, 27, 28 et 29 eiusdem mensis respective ».

Ad VI. « Negative, sine speciali indulto ».

Ad VII. « Negative, ad primam partem; quatenus tamen opus sit, Magister Caeremoniarum antea notum faciat Episcopo et Capitulo S. Congregationis Decretum. Quoad secundam, quatenus agatur de re gravi et rationabili, consulatur S. Congregatio ».

Ad VIII. « Servetur Rubrica Missalis Tit. XV *De Hora celebrandi Missam* Num. 3 ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Iunii 1884.

3612. NANNETEN. (5914)

Rm̃us Dominus Iulius Franciscus Le Coq hodiernus Episcopus Nanneten. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna declaratione humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Rubrica Missalis Romani Tit. IX, Num. 15, praescribit ut in Missis votivis Sanctorum Apostolorum dici debeat secundo loco Oratio *Concede nos famulos tuos etc.* Hinc quaeritur: An id etiam locum habeat in Missis votivis, quando Feriis III non impeditis Officium fit de Sanctis Apostolis; vel potius dici oporteat Oratio *A cunctis?* (2)

Dubium II. An in Vesperis Officiorum Dominicae Passionis infra Quadragesimam occurrentium, nempe Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum etc. fieri debeat Commemoratio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, si de eo recitatum sit Officium votivum Feria praecedenti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis rite perpensis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « In Missis votivis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli dicitur altera Oratio *Concede nos famulos tuos etc.;* in Votivis omnium Sanctorum Apostolorum dicitur Oratio *A cunctis* ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 18 Iulii 1884.

3613. RATISBONEN. (5915)

R. P. Georgius Schober Sacerdos Congregationis SSm̃i Redemptoris et Censor Curiae Episcopalis Ratisbonen. insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Auctores liturgici non conveniunt an in Festo Pretiosissimi Sanguinis Commemoratio SSm̃i Sacramenti facienda sit, quoties coram Eo exposito Missa solemnis celebratur: alii negant, quia in Orationibus SSm̃i Sacramenti expressa Sanguinis D. N. I. C. mentio fit, alii affirmant, afferentes Decretum S. R. C. diei 7 Iulii 1877, in una Societatis Presbyterorum Sanctissimi Sacramenti ad primum, quia Missa non versatur in eodem mysterio. Quaeritur: Est ne facienda commemoratio SSm̃i Sacramenti in hoc Festo?

Dubium II. Quum in Pontificali Romano non clare dicatur, qui actus et caeremoniae

(1) E. Dub. VIII. — (2) E. Dub. II.

iterari debeant, dum pluria Altaria fixa in eadem Ecclesia consecrantur; quaeritur:

1. An Episcopus, si post unctionem et clauso sepulcro primi Altaris processerit ad Altare secundum, in consecratione huius Altaris iterum incipere debeat ab Oratione *Deus qui in omni loco etc.*, et hanc Orationem iterare debeat quotquot Altaria consecrantur?

2. Sunt ne etiam Antiphonae *Sub Altare Dei etc.* et *Sub Altare Dei audivi etc.* ab Episcopo toties intonandae et a cantoribus cantandae, quot Altaria consecranda sunt?

3. Exigiturne etiam eadem iteratio circa Orationem *Deus qui ex omnium cohabitatione?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative, in omnibus ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 18 Iulii 1884.

3614. VENTIMILIEN. (5916)

Rm̃us D. Thomas Reggio hodiernus Episcopus Ventimilien., occasione praesertim pastoralis visitationis a se peractae in Civitate Sancti Romuli, ubi perantiqua existit Collegiata S. Syri Ecclesia, cuius Praepositus est etiam ipsius Civitatis Parochus, ita ut penes eum tota maneat animarum cura, graves haberi quaestiones Praepositum inter et Canonicos deprehendens; ut omnia rite componantur, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem poscere operae pretium duxit; scilicet:

Dubium I. In Dominicis Festisque diebus, etiam solemnioribus, quibus ex Synodo Dioecesana fit concio, debetne Praepositus concionem habere absolutis choralibus functionibus; an potius inter Missarum solemnia, vel ante vespertinam Sanctissimi Sacramenti benedictionem?

Dubium II. Quum ex Bulla erectionis Collegiatae, hyberno tempore concedatur Canonicis praedictae Ecclesiae usus cappae cum armellino, hic vero usus octoginta abhinc annis in desuetudinem abierit; nunc vero solus hodiernus Praepositus tribus abhinc annis, nemine reclamante, cappam adhibuerit; quaeritur: Num is licite huiusmodi iure uti valeat, aliis Canonicis non utentibus?

Dubium III. In Rogationibus aliisque similibus Processionibus, in quibus choralis habitus solet assumi, quaeritur: Num a Praeposito qui Albam et pluviale non induit, assumenda sit Stola, uti Rituale innuere videtur, etsi contraria vigeat consuetudo?

Dubium IV. Quo populi pietati satisfiat, contingit aliquando ut Missa coram SSm̃o Eucharistiae Sacramento exposito celebretur, ac post Missam benedictio cum eodem impertiatur: itemque ut in honorem Deiparae supplicatio fiat pluribus cereis accensis atque interim divinum litetur sacrificium. Quaeritur: Num huiusmodi functiones, quae ordinarie a Praeposito peraguntur, Rubricarum praescripto offendant?

Dubium V. Quum ex Canonicis memoratae Ecclesiae quidam dent operam, ut Praeposito in omnibus parochialibus officiis praesto sint, quoties iidem in Altaris ministerio illi deserviunt, possunt ne canonicalem habitum licite induere, iuxta invectam consuetudinem?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito antea voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Servetur consuetudo ».

Ad II. « Negative; quum privilegium Collegio, non singulis concessum sit ».

Ad III. « Serventur Decreta ».

Ad IV. « Negative; si rite fiant ».

Ad V. « Negative; et consuetudinem in casu esse omnino tollendam ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 18 Iulii 1884.

3615. URGELLEN. (5917)

seu

SANCTIMONIALIUM

ORDINIS SANCTAE CLARAE.

Franciscus Roca Presbyter et Confessarius Monialium Sanctae Clarae Balagarii Urgellensis Dioeceseos in Hispania exposuit Sacrae Rituum Congregationi in Monasterio S. Clarae Balagarii immemorialem consuetudinem existere, quo, in die Festo eiusdem Sanctae, SSm̃um Eucharistiae Sacramentum ita exponatur ut Ostensorium teneatur a manu dextera Imaginis ipsius

Sanctae; ac proinde ab eadem Sacra Congregatione humiliter expostulavit:

I. Num praelaudata consuetudo Monialium Clarissarum sit legitima? Et quatenus negative,

II. Postulatur suppliciter ut continuari possit de speciali gratia.

Et Sacra Rituum Congregatio respondit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Non expedire; ac detur Decretum inuna Lisbonen. diei 23 Aprilis 1875 ». (Num. **3349**).

Die 2 Augusti 1884.

3616. VIGLEVANEN. (5918)

R. D. Ioseph Precerutti Parochus Ecclesiae S. Mariae Maioris in oppido Laumelli Dioeceseos Viglevanen., de consensu Rmi sui Ordinarii, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime petiit; nimirum: (1)

In Ecclesiis praesertim parochialibus mos viget, ut infra annum et maxime in octiduo Defunctorum, fiat pro Defunctis SSmi Eucharistiae Sacramenti expositio, in qua pro eorumdem suffragio ante *Tantum ergo* Psalmus *Miserere* cantari solet. Quum Sacra Rituum Congregatio declaraverit in una Florentina, die 18 Februarii 1843, tolerandam esse consuetudinem, si adsit, concludendi praedictum Psalmum cum versiculo *Requiem aeternam etc.;* atque cum haec conclusio multum conferat ad excitandam magis magisque pietatem ac devotionem erga animas fidelium Defunctorum igne Purgatorii detentas, hinc quaeritur: An, ubi non adest, introduci possit consuetudo enuntiatae Psalmi conclusionis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

« Negative ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 12 Augusti 1884.

3617. BERGOMEN. (5919)

R. D. Canonicus Primicerius Cathedralis Ecclesiae Bergomen. de consensu sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nempe:

DUBIUM I. Quum Decretum Generale S. R. Univ. Inquis. datum 31 Augusti 1881, quoad benedictionem nuptialem, praecipiens ut eadem benedictio impartiatur extra tempus feriatum iis coniugibus, qui eam *quacumque de causa non obtinuerint,* pluribus superioribus a Sacra Rituum Congregatione datis praescriptionibus derogaverit; quaeritur:

1. Tempore feriato elapso, ad impartiendam supradictis coniugibus nuptialem benedictionem celebranda ne erit Missa pro Sponsis cum eodem pro his quoque valituro indulto quod stat pro ceteris, qui ad nuptialem benedictionem suscipiendam accedunt tempore non feriato?

2. Anne pro dicta Missa celebranda dies eligi debeat, quo Missae votivae permittuntur?

3. Eritne celebranda Missa quae occurrit, et in hac facienda commemoratio pro Sponsis et ea benedictio impartienda, quae in Missali posita invenitur post *Pater noster;* aut ea quae post *Placeat?*

4. Supradicti Sponsi, qui illas benedictiones quacumque ex causa non obtinuerint; tunc ne erunt advocandi ut suscipiant, cum pro novis Sponsis Missa celebretur extra tempus feriatum? (2)

DUBIUM II. Bouix in suo Tractatu de Capitulis (Par. 3, c. I, § I, Punct. 11, n. 7) dicit: Quando Episcopus ad Cathedralem pontificaliter accedit, aspersorium ei a prima Dignitate Capituli Cathedralis esse porrigendum multoties decisum est. At vero quando ad aliam Ecclesiam assistente Cathedralis Capitulo accedit, aspersorium non a digniori de Cathedralis Capitulo, sed a Superiore Ecclesiae, ad quam accedit, est porrigendum: quod a Sacra Rituum Congregatione videtur decisum. Hinc quaeritur: An supradicta sententia S. R. C. illi derogaverit Decreto dato die 6 Aprilis 1680 in Lauden., quo declaravit: Aspersorium debere porrigi per digniorem ex Capitulo Cathedralis, quando capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Satis provisum per memoratum Decretum Generale, in quo edicitur Missam in casu esse celebrandam iuxta Rubricas ».

(1) E. Dub. I. — (2) E. Dub. II.

Ad II. « Negative; et Decretum in Lauden. pro opportunitate servetur ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Augusti 1884.

3618. NAXIEN. (5921)

Rmus Dominus Iosephus Zaffino Archiepiscopus Naxien. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. Num prohibitum sit Episcopo, qui cappa magna indutus assistit Missae solemni coram SSmo Sacramento exposito, more solito ante ultimum Evangelium Missae benedictionem populo impertiri; quum in Metropolitana Ecclesia Naxiensi vigeat consuetudo, qua benedictio in eiusmodi Missis detur a Sacerdote celebrante?

Dubium II. Decet ne quod Episcopus cappa vel pluviali indutus adsistens sacris functionibus, in quibus a Sacerdote celebrante benedictio datur cum SSmo Eucharistiae Sacramento, his expletis episcopalem benedictionem populo impertiatur, uti in nonnullis Graecis Dioecesibus obtinet?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Benedictionem in Missa solemni etiam exposito SSmo Sacramento, non a Celebrante, sed ab Episcopo in Throno eidem Missae, cappa vel pluviali induto, assistente esse dandam ».

Ad II. « Benedictionem episcopalem in casu prorsus non decere ».

Atque ita rescripsit.

Die 12 Septembris 1884.

3619. NERITONEN. (5922)

Rmus Dominus Michael Mautone hodiernus Episcopus Neritonen. Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod, ob Religiosarum Familiarum suppressionem in Civitate Neritonen., Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, etsi nequeant cohabitare in Coenobio adnexo propriae Ecclesiae sub titulo S. Antonii, in hac tamen sacras de more functiones peragunt; eo vel magis quod Sodalitium Tertii Ordinis ipsius S. Francisci ac Pia Unio sub invocatione Deiparae Perdolentis ibi sedem habeant.

Exinde tamen nonnulla dubia orta sunt circa Exequias; an scilicet Parocho et Capitulo Ecclesiae Cathedralis; vel ipsis Religiosis ius competat celebrandi Exequias defunctorum ad eas Sodalitates pertinentium, quorum cadavera in Ecclesia S. Antonii deferuntur.

Quare idem Rmus Episcopus ab eadem Sacra Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime petiit; nimirum:

Dubium I. Cuinam ius competat Exequias celebrandi in Ecclesia praedicta? Fratribus ne quorum propria est Ecclesia; vel Parocho et Capitulo Ecclesiae Cathedralis? Et quatenus Affirmative ad primam partem,

Dubium II. Exequiis in eadem Ecclesia Regulari absolutis, possunt ne iidem Religiosi (absque superpelliceo et Stola) ceterique Confratres ad coemeterium deferre cadaver, quando a defuncti parentibus Parochus ad id non invitatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « In casu ius Exequiarum spectare ad Religiosum Rectorem Ecclesiae Regularis; salvis iuribus Parocho competentibus ».

Ad II. « Affirmative, sub conditione quod Sacerdos e Religiosis superpelliceum et Stolam induat; dummodo tamen non obstet peculiaris aliqua praescriptio Dioecesana ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 12 Septembris 1884.

3620. PASTOPOLITANA. (5923)

Rmus Dominus Ignatius Velasco Episcopus Pastopolitanus sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit; nimirum:

Quum aliquorum Calicum cuppae adeo altae sint, ut pollex eorumdem fundum nequeat pertingere; quaeritur utrum in consecratione Calicis essentiale sit efformare cum sancto chrismate Crucem a labio ad labium, ita ut centrum Crucis sit prorsus in ipso fundo cuppae; an sufficiat ungere, quomodo possit, quousque pertingat pollex, sive etiam ungere liceat longiori digito, nempe indice?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris,

re mature perpensa, ita rescribendum censuit :

« In casu servetur quantum fieri potest Rubrica Pontificalis Romani ». Atque ita rescripsit.

Die 12 Septembris 1884.

3621. SANCTORIEN. (5925)

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Ecclesia Cathedrali Sanctorien., de mandato sui Reverendissimi Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione proposuit ; nimirum :

Dubium I. An servari possit consuetudo vigens in hac Dioecesi , qua Diaconus in Missa solemni et Celebrans in Vesperis Cruces parietum Ecclesiae in anniversario ipsius Dedicationis thurificet ?

Dubium II. Item in Ecclesiis huius Dioeceseos servari ne potest consuetudo renovandi SSmam Eucharistiam semel vel bis in mense; licet qualibet hebdomada iuxta Caeremoniale Episcoporum eadem SSma Eucharistia foret renovanda ?

Dubium III. In solemnitate Corporis Christi, quando in publica Processione ad parva Altaria portatilia in viis populo impertitur benedictio cum SSmo Eucharistiae Sacramento , praemitti ne debet Hymnus *Tantum ergo* cum versiculo *Panem de coelo* et Oratione *Deus qui nobis;* vel alia Antiphona cum alio versiculo , prouti obtinet in Ecclesia Sanctorien. ?

Dubium IV. Diebus Dominicis aspersio aquae benedictae super populum fieri ne debet a Celebrante extra Chorum gradiente usque ad ianuam Ecclesiae ; vel a Choro conversus ad populum Celebrans debet aspergere populum, iuxta praescripta tum in Caeremoniali Episcoporum, tum in Decretis ?

Dubium V. Quando canitur Officium Defunctorum , in fine cuiusque Psalmi dum dicitur ℣. *Requiem aeternam etc.,* Episcopus debet ne dextera manu tumulum benedicere, quum nihil de hoc praescribatur in Caeremoniali Episcoporum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis , ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Exposita consuetudo servari potest; dummodo sive Diaconus sive Celebrans thurificationem perficiat stando ».

Ad II. « Servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum Lib. I, Cap. VI, § 2 ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ; et servetur Decretum in Volaterrana diei 23 Septembris 1820 ».

Ad IV. « In Dominicis aspersio populi cum aqua benedicta facienda est a Sacerdote ad cancellos presbyterii ; iuxta Decreta alias edita ».

Ad V. « Negative ; et serventur Rubricae ac Caeremoniale Episcoporum ».

Atque ita rescripsit.

Die 12 Septembris 1884.

3622. TARVISINA. (5926)

De mandato Rmi Episcopi Tarvisini hodiernus Sacrarum Caeremoniarum Magister in Dioecesano Seminario Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Quando Titulares vel Patroni loci alicuius habentur duo Sancti, quorum eadem die in Calendario universali fit Officium, ast sub ritu diverso, ex. gr. alter sub ritu duplici et alter sub simplici ; quomodonam agendum est? Posset ne, quemadmodum in Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, fieri Officium sub ritu duplici primae classis cum octava de illo qui iuxta Calendarium universale potiori ritu gaudet cum Commemoratione alterius; et in sequenti die Festum (seu Commemoratio) alterius sub ritu duplici maiori? singulis vero octavae diebus duplex utriusque Commemoratio?

Dubium II. Quando Titulares vel Patroni sint duo Martyres, quorum eadem die Festum inscriptum est in Calendario Dioecesano, ast unius tantum Officium praescribitur in Calendario universali; potest ne fieri Officium plurimorum Martyrum cum communi Oratione ?

Dubium III. Quando Ecclesiae alicuius Titulares sint duo Sancti, quorum Officium seu Festum distinctis diebus assignatur; debet ne recoli seorsim Festum sub ritu duplici primae classis cum octava ?

Dubium IV. In Dioecesi Tarvisina (ex Rescripto S. R. C. anni 1834) agitur Anniversarium dedicationis omnium ruralium consecratarum Ecclesiarum Dominica IV Octobris; Anniversarium vero Ecclesiae Cathedralis fit Dominica prima post diem sextam Iulii ; celerarum demum Civitatum Ecclesiarum idem Festum recolitur respectivis propriis diebus. Hinc quaeritur :

1. Debet ne vigere regula, quae praescribit una eademque die celebrandum esse Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et omnium Dioeceseos Ecclesiarum consecratarum? Et huic Officio debent ne sese conformare Ecclesiae non consecratae? An distinctio haberi debet inter Ecclesias consecratas et non consecratas, atque inter urbanas et rurales?

2. Si autem Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis seorsim praefata die recolatur, debet ne ab universa recoli Dioecesi?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Si Sancti Titulares vel Patroni, de quibus est sermo, sunt aeque principales, de ipsis simul agendum est eadem die et sub ritu classis quem Sanctis Patronis Rubricae assignant ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « In casu, Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Dominica post diem VI Iulii sub eodem ritu, etsi sine octava, erit recolendum ab universa Dioecesi indistincte, scilicet ab omnibus Ecclesiis sive consecratis sive non consecratis, atque sive urbanis sive ruralibus. De consecratis vero Ecclesiis urbanis idem Festum erit celebrandum respectivis diebus solummodo a Clero eisdem Ecclesiis stricte addicto; quemadmodum a Clero, cui demandata est cura Ecclesiarum ruralium consecratarum sive non consecratarum, Anniversarium Dedicationis Dominica IV Octobris peragendum est ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 12 Septembris 1884.

3623. BRUNEN. (5928)

Per Decretum S. R. C. diei 10 Februarii 1860 ad universas Ditionis Austriacae Ecclesias, in Missis vel solemnibus vel parochialibus, diebus quibus a Rubricis permittitur, specialis Collecta pro Imperatore cum Secreta et Postcommunione addenda praecipitur. Diversis tamen coarctatur interpretationibus sensus verborum *Missa parochialis.* Hinc Rm̃us Dominus Franciscus Salesius Bauer hodiernus Episcopus Brunen. ab eadem Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime petiit; nimirum:

Dubium I. Quaenam Missa per ea verba iuxta mentem ipsius Sacrae Congregationis intelligenda est?

Dubium II. Quum ex Litteris Apostolicis: *In Suprema,* a Summo Pontifice Leone Papa XIII datis die 10 Iunii 1882, Episcopi teneantur ad Missam celebrandam et applicandam pro populo omnibus Dominicis et ceteris Festis, tum adhuc de praecepto servandis, tum quae de huiusmodi Festorum numero sublata sunt; et quum haec obligatio Parochorum obligationi analoga sit, quaeritur: Num in praedictis verbis memorati Decreti de Missis parochialibus, includatur onus etiam pro Episcopis Ecclesiarum Ditionis Austriacae?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, propositis dubiis ita rescribendum censuit:

Ad I. « Parochialis Missa appellanda est, quam Parochi diebus Festis etiam abrogatis tenentur applicare pro populo; atque in ea Collectam, de qua in casu, addere debent ».

Ad II. « Negative; idest Episcopus in casu non teneri ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 28 Novembris 1884.

3624. LUCIONEN. (5929)

Rm̃us Dominus Nicolaus Catteau hodiernus Episcopus Lucionen. atque etiam ipsius nomine hodiernus Ordinator Calendarii in usum eiusdem Dioeceseos Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecerunt; nimirum:

Dubium I. Quum ex indulto Apostolico solemnitas Patroni Principalis cuiusque loci ut plurimum Dominica infra octavam eiusdem Patroni locum habeat, ex ipsius Sacrae Rituum Congregationis responsionibus constat quod in Ecclesiis, ubi neque viget obligatio Chori neque alia canitur Missa de Officio currente, fieri debet huius Commemoratio cum ceteris occurrentibus in Missa votiva solemni eiusmodi solemnitatis translatae. Hinc quaeritur:

1. Num in ea Missa solemni Commemoratio facienda sit de die infra octavam, si forte alia occurrat octava, vel de Simplici occurrente?

2. Num faciendae sint eiusmodi Commemorationes, si in hac Dominica occurrat

Duplex secundae classis quod Commemorationem tum diei infra octavam tum Simplicis in Missa solemni excludit?

Dubium II. Ubi Festum Purificationis B. M. V., quo concluditur tempus Natalitium, octava gaudet, debet ne in Missa infra eiusdem octavam usurpari Praefatio Nativitatis; vel potius de Beata Maria Virgine cum verbis: *Et te in Purificatione?*

Dubium III. Quaenam ex Communi repetendae sunt Lectiones II et III Nocturni infra octavam utriusque Cathedrae S. Petri; Apostolorum ne, an Confessorum Pontificum?

Dubium IV. Ubi Festum Titulare Patrocinii S. Ioseph habet octavam, possunt ne absque indulto intra octavam usurpari Lectiones quae in supplemento ad Octavarium Romanum specialiter concessae videntur?

Dubium V. Quaenam Lectiones recitari debent in II et III Nocturno infra octavam Sacratissimi Rosarii, cum in Octavario non reperiantur communes Lectiones pro octavis Beatae Mariae Virginis?

Dubium VI. Ex Decreto 8 Iunii 1709 in Bracharen. in responsione ad dub. 2, diebus VI et VII infra octavam Festi Titularis SSm̃ae Trinitatis faciendum est Officium de die secunda et tertia infra octavam Corporis Christi cum Commemoratione SSm̃ae Trinitatis; Rubrica vero specialis Octavarii Romani VI die infra octavam Sanctissimae Trinitatis sic sonat: Si Festum Sanctissimae Trinitatis titulus est Ecclesiae, fit de octava eiusdem cum commemoratione octavae Corporis Christi. Quaeritur cuinam ex duabus his sententiis adhaerendum sit?

Dubium VII. Quando concurrit dies octava SSm̃ae Trinitatis cum sequenti Festo duplici primae classis, debet ne fieri Commemoratio octavae praedictae?

Dubium VIII. Cum Festa S. Ioseph et Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad primum gradum inter solemnitates erecta sint, quaeritur an his diebus liceat celebrare Missam solemnem de Requie praesente cadavere, uti fit Feriis II et III infra octavam Paschae et Pentecosten? (1)

Dubium IX. In concurrentia Festi SS. Redemptoris cum Officio votivo SS. Sacramenti, debet ne fieri Commemoratio huius Officii votivi in Vesperis?

Dubium X. Ex Rubricis Generalibus Missalis Tit. XVII, N. 5, in Missis Feriarum Adventus etc. genuflectere debent omnes in Choro, dicto per Celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini*. Nunc quaeritur utrum haec Rubrica intelligenda sit usque ad *Pax Domini* inclusive; an exclusive?

Dubium XI. In tota fere Dioecesi Lucionensi adest consuetudo canendi Missas, quae infra hebdomadam a diversis fidelibus petuntur, omittendo in Choro *Gloria* et Graduale vel Tractum, nec non Sequentiam vel *Credo*, si dicenda occurrant; ea ratione quod cantor unicus omnes Missae cantus difficillime solus peragere possit, populusque diuturnitatem Missae praesertim in diebus servilibus aegre sustineat. Quaeritur utrum praedictus modus canendi Missas servari possit; an prout abusus eliminandus sit eiusmodi consuetudo?

Dubium XII. Quaeritur utrum in Ecclesiis mere parochialibus, ubi non adest obligatio Chori, Vesperae, quae ad devotionem populi diebus Dominicis et Festivis cantantur, conformes esse debeant Officio diei ut in Breviario; an desumi possint ex alio quolibet Officio ex. gr. de SSm̃o Sacramento, vel de Beata Maria Virgine?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nempe:

Ad I. « Negative, ad utrumque ».

Ad II. « Praefatio Nativitatis, ut in die Festo ».

Ad III. « Repetantur Lectiones diei Festi ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Ut ad III ».

Ad VI. « Servetur Decretum in Bracharen. citatum ».

Ad VII. « Negative; et servetur Rubrica de Concurrentia ».

Ad VIII. « Negative ».

Ad IX. « Negative ».

Ad X. « Inclusive, usque ad *Pax Domini* per Celebrantem ».

Ad XI. « Consuetudo, de qua in casu, veluti abusus prorsus eliminanda est ».

Ad XII. « Licitum est in casu Vesperas de alio Officio cantare; dummodo ii qui ad Horas Canonicas tenentur, privatim recitent illas de Officio occurrente ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 29 Decembris 1884.

(1) E. Dub. IX.

3625. ISCLANA. (5930)

Hodiernus Parochus Ecclesiae sub titulo S. Mariae Magdalenae Poenitentis loci vulgo *Casamicciola* intra fines Insulae ac Dioeceseos Isclanae, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia, de consensu Rmi Domini Ordinarii, pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Ecclesia parochialis sub enunciato titulo, terraemotu collapsa, quum ab interitu fuerit vindicata, possit dicari Sanctissimo Cordi Iesu?

Dubium II. Utrum super Altari maiori praedictae Ecclesiae in fabrefacta aedicula locari possit statua Dominum Nostrum Iesum Christum detecto Corde et ad eius pedes provolutam repraesentans ipsam Sanctam Mariam Magdalenam?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; retenta tamen S. Maria Magdalena tamquam contitulari ».

Ad II. « Nihil in casu obstare ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 16 Ianuarii 1885.

3626. TAURINEN. (5931)

Ex parte Emi ac Rmi Domini Card. Caietani Alimonda Archiepiscopi Taurinen. Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione subiectum fuit; nimirum:

Quum inter Officia Taurinen. Archidioecesi concessa illud habetur Insignis miraculi SSmi Corporis Christi; quaeritur: Num ad *Primam* dicendum sit ℣. *Qui apparuisti hodie*, in Officio quod tamquam votivum aliquando recitatur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, sic decernere rata est:

« Dicendum in casu: *Qui sedes ad dexteram Patris* ». Atque ita declaravit.

Die 16 Ianuarii 1885.

3627. VALLEN. (5932)

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Vallen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia declaranda humillime subiecit:

Ex Decreto Urbis et Orbis edito die 5 Iulii 1883 datum est Capitulis indultum persolvendi Officia votiva per annum loco Officiorum Ferialium; et quoad choralem recitationem, post capitularem electionem semel pro semper factam et ab Ordinario approbatam, eorumdem recitatio fit obligatoria. Hinc quaeritur:

I. Num, quando in die non impedita occurrit Vigilia alicuius Sancti, ideoque fit Officium de Feria occurrenti cum tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium eiusdem Vigiliae iuxta Rubricas generales, in Choro recitandum sit Officium votivum eo die assignatum; vel Officium Vigiliae? Et quatenus Affirmative ad primam partem,

II. Num in Ecclesia Cathedrali duae celebrandae sint Missae; una scilicet post Tertiam de eo Sancto cuius recitatum est Officium votivum, et altera de Vigilia post Nonam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, hisce dubiis ita rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; iuxta novissimam Rubricam praepositam Officiis votivis per annum ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita respondit ac declaravit.

Die 16 Ianuarii 1885.

3628. BRUNEN. (5933)

Rmus Dominus Franciscus Salesius Bauer hodiernus Episcopus Brunen. exponens a fidelibus sibi commissae Dioeceseos, occasione primi millenarii ab obitu S. Methodii Episcopi proxime recolendi, Casulas et pluvialia dono offerri suis Ecclesiis exhibentia a tergo imagines Ss. Pontificum Cyrilli et Methodii non acu in tela serica, sed oleo super tela linea vel gossypio pictas alterique eiusmodi telae agglutinatas, a Sacra Rituum Congregatione humiliter quaesivit: An sacra paramenta cum eiusmodi imaginibus legitime adhiberi possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem sui Secretarii, re mature perpensa, ita in casu rescribendum censuit:

« Pictas imagines uti exponitur permitti posse, dummodo agatur de paramentis sericis, vel auro argentoque contextis, ac de cetero ad normam legum liturgicarum confectis ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 30 Martii 1885.

3629. DECRETUM. (5934)

Sacra Rituum Congregatio decrevit quod in Missa de Festo Cathedrae Sancti Petri tum Romae tum Antiochiae, quando huiusmodi Festa in propria sede impedita in aliquam diem intra tempus Paschale translata occurrant, omisso Graduali, dicatur: *Alleluia, Alleluia.*

℣. Ps. 88. *Confiteantur Domino misericordiae eius, et mirabilia eius filiis hominum. Alleluia.*

℣. Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Alleluia.*

Die 31 Martii 1885.

3630. BRIOCEN. (5935)

Rev. Vicarius Generalis Dioeceseos Briocen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia quoad Nolarum benedictionem, praesertim si plures simul benedicendae sint, quum de his sileat Pontificale Romanum, pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Dictis septem prioribus Psalmis, lavandae ne sunt alternatim et sine interruptione omnes Campanae benedicendae, dum recitantur (semel tantum) Psalmi 145, 146 et ceteri sequentes in Pontificali?

Dubium II. Unctio immediate subsequens Olei sancti infirmorum facienda ne est supra singulas Campanas, antequam dicatur Oratio *Deus qui per beatum Moysen etc.*, quae forsan tunc dicenda esset numero plurali?

Dubium III. Nonne idem dicendum de ceteris unctionibus? Faciendae ne sunt alternatim et sine intermissione super singulas Campanas, dum recitatur seu cantatur, semel (vel pluries si unctiones tempus protrahant) Psalmus 28 *Afferte Domino?* et postea Oratio, quae sequitur, dicenda ne est in numero plurali?

Dubium IV. Habenda ne sunt tot thuribula quot sunt Campanae, iisdem Campanis supponenda; an sufficit supponere aliquantisper unum idemque thuribulum alternatim cuilibet Campanae, dum semel dicitur seu cantatur Psalmus 76 *Viderunt te aquae etc.?* et postea Oratio sequens dicenda ne est semel tantum, sed in numero plurali?

Dubium V. Delegatus a suo Ordinario vi indulti Apostolici ad benedicendam Campanam alicuius Ecclesiae designatae, potest ne uti sua delegatione ad benedicendum plures Campanas si revera essent plures Campanae ad eamdem Ecclesiam pertinentes simul benedicendae, quamvis de una tantum Campana litterae delegationis loquantur?

Dubium VI. Oratio specialis *Benedic Domine hanc aquam etc.* a Pontificali tradita in benedictione signi vel Campanae, dicenda ne est ab Episcopo prout iacet in Pontificali, nempe in numero singulari; vel potius in numero plurali; sive quando plures sunt Campanae hic et nunc benedicendae, sive quando Episcopus benedicit pro casibus inopinatis aquam caute servandam in vasis bene clausis, tradendamque in posterum postulantibus, data occasione benedictionis Campanae?

Dubium VII. Deficiente aqua benedicta ab Episcopo, quia vas dictam aquam continens forte effractum fuit, seu ob aliam causam fortuitam; quid facere debeat Sacerdos ab Episcopo delegatus vi indulti Apostolici, quando omnia parata sunt ad benedictionem Campanae, fideles christiani convocati et iam forsan congregati, et recursus ad obtinendam apto tempore aquam benedictam praescriptam sit prorsus impossibilis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I, II, III et IV. « Lotiones et unctiones faciendae sunt supra singulas Campanas per modum unius, dum interea semel et pausatim recitantur aut cantantur Psalmi praescripti, et semel dicuntur Orationes plurali numero; thuribula seu focula aut vasa in quibus ardeat incensum, tot adhibenda sunt et supponenda quot sunt campanae ».

Ad V. « Facile delegatio intelligi poterit facta pro tot Campanis, quot sunt benedicendae: expedit tamen, si fieri possit, ut in casu declaratio petatur ab Ordinario ».

Ad VI. « Aquam benedicendam esse toties quoties; et tantum in functione peragenda sive ab Episcopo sive ab eius delegato, et specialem Orationem traditam a Pontificali recitandam in numero singulari vel plurali, prout perficitur benedictio unius vel plurium Campanarum ».

Ad VII. « Nisi Delegato delegata etiam

fuerit facultas benedicendi aquam, abstinendum esset a Campanae seu Campanarum benedictione: in casu autem, attenta necessitate, praesumi potest facultas etiam ad benedicendam aquam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Aprilis 1885.

3631. CONCORDIEN. (5936)

De mandato Rm̃i Domini Episcopi Concordien., Rev. D. Antonius Canonicus Belgradus hodiernus Magister Caeremoniarum in Seminario ipsius Dioeceseos Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An praeter Episcopum etiam Clerus sedere possit, quando Celebrans Altare thurificat, absoluta Confessione; et quando recitat Introitum et *Kyrie*?

Dubium II. Sin autem, tum ad eam Altaris thurificationem, tum ad recitationem Introitus Clerus stare debeat, quaeritur: Num tolerari possit consuetudo sedendi?

Dubium III. Invaluit consuetudo ut in Missa solemni cum assistentia Episcopi, celebrans Canonicus det osculum pacis Presbytero assistenti, qui eam defert ad Episcopum ac statim Diacono qui etiam dat Subdiacono, Ministris Missae inservientibus; secus isti in Officio suo perturbarentur. Potestne tolerari inducta consuetudo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ac Rm̃i Assessoris ipsius Sacrae Congregationis, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; seu durante thurificatione; Negative, ad secundam; seu quum recitatur Introitus et *Kyrie* ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III. « Servandam Caeremonialis dispositionem ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Aprilis 1885.

3632. TROIANA. (5937)

Rm̃us Dominus Thomas Passero hodiernus Episcopus Troianus quod sequitur dubium Sacrae Rituum Congregationi enodandum subiecit; nempe:

In Ecclesia Cathedrali Troiana singulis annis solemni pompa SSm̃um Eucharistiae Sacramentum publice fidelium adorationi exponi solet in forma Quadraginta Horarum; antequam vero SSm̃a Eucharistia reponatur, fit cum eadem intra ambitum Ecclesiae solemnis Processio, incedentibus singulis Capituli Canonicis Planeta indutis, ut praescribitur in Missis et Vesperis Pontificalibus. Dubitans autem idem Episcopus an huiusmodi consuetudo adversetur Rubricis et Decretis S. R. C., humillime petiit num licite ea servari queat?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, in casu respondendum censuit:

« Servari posse expositam laudabilem consuetudinem ». Atque ita respondit.

Die 14 Aprilis 1885.

3633. AUXIMANA. (5938)

Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Auximanae, qui ex privilegio iisdem facto ab Innocentio Papa XIII cappam magnam quovis anni tempore gestare possunt; hactenus tamen tempore aestivo cappas deponere et cottas super rochettum assumere censuerunt. Nunc vero Sacram Rituum Congregationem rogarunt ut declarare dignaretur: An Dignitates et Canonici supradicti cappam potius deferre possint, pelliculis remotis, earumque loco, serico rubro apposito?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuit:

« Poterunt se gerere utroque modo; quamvis magis honorifica habenda sit cappa, detractis pelliculis ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 9 Maii 1885.

3634. NANNETEN. (5939)

Rm̃us Dominus Iulius Franciscus Le Coq hodiernus Episcopus Nanneten. Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Anno subsequenti 1886 solemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli, translata pro Galliis in Dominicam, occurrit celebranda die 4 Iulii. Porro eadem die in Dioecesi Nannetensi ex speciali indulto celebratur solemnitas SS. Cordis Iesu, cuius Festum colitur sub ritu duplici primae classis. Haec

autem solemnitas locum tenet solemnitatis Octavae Corporis Christi olim celebrari solitae, et claudit pro populo seriem Missarum, benedictionum et Processionum quae in honorem SS. Sacramenti fiunt per hebdomadam a Dominica praecedenti, in qua celebratur solemnitas Festi Corporis Christi. Quaeritur quomodo ordinandae sint hae solemnitates? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

« Transferatur in casu solemnitas Sacri Cordis Iesu ad sequentem Dominicam ». Atque ita rescripsit.

Die 29 Maii 1885.

3635. OVETEN. (5940)

Rm̃us Dominus Raymundus Martinez y Vigil hodiernus Episcopus Oveten. exposuit in sua Cathedrali Ecclesia cunctis diebus Festis Processionem claustralem fieri immediate ante Missam solemnem Conventualem, etsi haec Pontificalis sit. Quum vero haec praxis adversari videatur Caeremoniali Episcoporum, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit; nimirum:

An huiusmodi praxis tolerari possit; vel potius claustralis Processio ante Horam Tertiam perficienda sit, quae immediate praecedat Missam Pontificalem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita rescribendum censuit:

« Servetur in casu laudabilis consuetudo vigens in Patriarchali Archibasilica Lateranensi; idest cum Missa Pontificalis celebratur, Processio claustralis omittatur ». Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 29 Maii 1885.

3636. NAMURCEN. (5941)

Insequentium dubiorum declarationem Rm̃us Dominus Eduardus Iosephus Belin hodiernus Episcopus Namurcen. a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Quum iuxta Rubricas Breviarii Romani Dominica post Epiphaniam vel Pentecosten, quae aliter omittenda esset, poni debeat in praecedenti Sabbato, quod non est impeditum Festo novem Lectionum, alioquin in alia praecedenti die, similiter non impedita etc.; quaeritur: Num dies Festo semiduplici ad libitum assignata, sive sit Sabbatum immediate ante Dominicam Septuagesimae, sive ante Dominicam XXIV post Pentecosten (vel alia dies illud Sabbatum praecedens) habenda sit tamquam sedes libera, in qua reponi possit Dominica anticipata?

Dubium II. Num in Festo Sacrarum Reliquiarum, quod in Namurcensi Dioecesi ultima Dominica Octobris recolitur, exponi possint etiam Reliquiae D. N. I. C.? Ratio dubitandi est, quod huiusmodi Festum, prouti ex toto Officio apparet, sit tantummodo de Reliquiis Sanctorum.

Dubium III. Utrum Imago Sacri Vultus D. N. I. C. deferri queat in Processione Sanctissimi Sacramenti?

Dubium IV. Utrum eadem Imago velari debeat tempore, quo non exponitur cum cereis accensis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; et servetur Decretum in una Lycien. diei 4 Aprilis 1705, in responsione ad 5 ».

Ad II. « Exponi posse; seu affirmative ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative; si imago permagna populi veneratione colatur ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 29 Maii 1885.

3637. ARETINA. (5942)

De mandato Rm̃i Episcopi Aretini, hodiernus annualis Calendarii Ordinator pro Clero ipsius Dioeceseos, insequentia dubia enucleanda Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Quum Officium votivum de Immaculata B. M. V. Conceptione in Sabbato etiam Quatuor Temporum nec non infra Quadragesimam et Adventum ex Indulto diei 25 Aprilis 1806 sub ritu duplici minori recitari valeat; dubitatur an eiusmodi concessio extendatur etiam ad illa Sabbata, quibus iuxta Rubricas Officia vo-

(1) E. Dub. II.

tiva recitari nequeunt. Hinc quaeritur: An idem Officium in Sabbatis Quadragesimae, Adventus, Quatuor Temporum et Vigiliae recitandum sit sub ritu duplici minori, vel iuxta recentiorem Rubricam sub ritu semiduplici?

Dubium II. Octava Assumptionis B. M. V. pro Dioecesi Aretina ita privilegiata est, ut infra eam fiat tantummodo de Officio ritus primae vel secundae classis etiam translato. In Proprio autem dioecesano habentur Lectiones pro singulis diebus octavae. Sed hodiernus Calendarii Ordinator sumpsit Officia dierum infra octavam ex Breviario Romano vel ex Proprio, et neglexit omnino Officia illa quae fortuito omittebantur. Quaeritur quid servandum in posterum? (1)

Dubium III. An Officium B. M. V. Matris Divini Pastoris Dominicae primae Maii assignatum transferri valeat, in casu impedimenti, in primam Dominicam insequentem liberam?

Dubium IV. Item quaeritur circa Officia Maternitatis, Puritatis B. M. V. et eiusdem de Succursu, Dominicis II, III, et IV Octobris affixa?

Dubium V. Infra octavam Corporis Christi, quum de ea fiat Officium, omittine debet, iuxta Rubricas reformatas, nona lectio historica de Semiduplici occurrente ad instar Simplicis redacto?

Dubium VI. Cathedralis Ecclesiae Aretinae Titularis est Solemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli; Contitularis vero est S. Stephanus Protomartyr, cuius Festum sub pari ritu recolitur, nempe Duplicis primae classis cum octava. Quaeritur an de Contitulari Cathedralis, idest de S. Stephano, fieri debeat Festum sub ritu duplici primae classis in tota Dioecesi; vel in Cathedrali tantum?

Dubium VII. Regularis, qui ex Ordinis sui constitutionibus, teneatur in fine Missae recitare Antiphonam *Salve Regina* cum ℣. *Ora pro nobis* et Oratione *Omnipotens*, debetne postea recitare rursus Antiphonam *Salve Regina* et preces nuper praescriptas?

Dubium VIII. Sacerdos, expleta Missa, debetne se inclinare Cruci Altaris, antequam descendat ad praescriptas preces recitandas? hasque recitans debetne genuflectere in suppedaneo, vel in infimo Altaris gradu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Vel retinendum particulare indultum cum exceptionibus; vel acceptandum novum sub ritu semiduplici ».

Ad II. « Singulis octavae diebus, si fiat de octava, legendae Lectiones in Proprio assignatae si adsint, secus quae extant in Breviario; in Officio autem primae aut secundae classis Lectiones ipsi Officio assignatae ».

Ad III et IV. « Absque indulto, Negative; et Officia enunciata eo anno omittenda ».

Ad V. « Servetur Rubrica generalis Breviarii Romani, Titul. IX de Commemorationibus, Num. 10 ».

Ad VI. « Servetur consuetudo ».

Ad VII. « Affirmative; iuxta probatam praxim respectivi Ordinis ».

Ad VIII. « Inclinationem, de qua in casu, non praescribi neque prohiberi; et in recitatione precum genuflectendum pro lubitu sive in suppedaneo, sive in infimo gradu Altaris ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Iunii 1885.

3638. MARIANOPOLITANA. (5943)

Rm̃us Dominus Eduardus Faber Episcopus Marianopolitanus a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum: (2)

Dubium I. An Vigilia occurrente in Sabbato Quatuor Temporum, Episcopus Ordines conferens debeat non solum facere Commemorationem de Vigilia per Orationes; sed etiam legere eiusdem Evangelium in fine Missae?

Dubium II. Num imagines, quae quatuordecim Viae Crucis stationibus affigi solent ad instruendos fideles eorumque pietatem fovendam, relinqui possint non velatae, tempore Passionis?

Dubium III. Num Rubrica, qua praecipitur campanulam a ministro Missae lectae pulsari, spectet etiam ad Oratoria privata, in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro?

Dubium IV. Utrum Orationes coram Sanctissimo Sacramento exposito, extra Missam

(1) E. Dub. III, VI, IX et XI. — (2) E. Dub. I, II, V, VI, VII, VIII, IX, X et XI.

et Horas Canonicas, cantandae sint in recto tono; an vero cum duplici vocis a *Fa* ad *Re* inflexione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nempe:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis Oratoriis ».

Ad IV. « Orationes in casu cantandas esse recto tono, cum unica vocis inflexione in fine cuiusque Orationis ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Iulii 1885.

3639. URGELLEN. (5944)

Hodiernus Cathedralis Ecclesiae Urgellen. sacrarum Caeremoniarum Magister eiusdemque Dioeceseos Calendarii Director, de sui Rm̃i Episcopi consensu, insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. Sacra Rituum Congregatio anno 1791 ad preces Rm̃i Archiepiscopi Tarraconen. indulsit ut, praefato anno et in posterum, quoties contigerit Festum S. Georgii M. Patroni principalis totius Principatus Cathalauniae incidere in Feriam VI Maioris Hebdomadae vel in Sabbatum Sanctum, idem Festum cum Officio, Missa, octava ac praeceptum audiendi Sacrum transferatur ad Feriam secundam post Dominicam in Albis. Cum autem per Decretum anni 1867 non amplius detur obligatio audiendi Sacrum in memorato Festo, et cum anno 1881 SSm̃us Dominus Noster Leo Papa XIII Sanctam Mariam sub titulo de Monte Serrato eidem Cathalauniae Provinciae seu Principatui Patronam principalem dederit, eiusque Festum celebrandum concesserit Dominica postrema Aprilis; quaeritur: Utrum standum sit Decreto supra memorato anni 1791, ac proinde anno sequenti 1886 transferendum sit Festum Inventionis SSm̃ae Crucis (siquidem Feria II post Dominicam in Albis occurrat die 3 Maii); an potius Festum S. Georgii deinceps transferendum sit in casu ad primam diem liberam iuxta Rubricas?

Dubium II. Quum diversimode sentiant Auctores circa aquae lustralis aspersionem faciendam in Altari, in quo expositum invenitur Sanctissimum Sacramentum; quaeritur: Utrum omittenda sit in casu aspersio aquae benedictae; an vero facienda? Et quatenus affirmative ad secundam partem; Num in casu omitti debeat aspersio Altaris? (1)

Dubium III. In nova Rubrica speciali Breviarii posita ante Festum SSm̃i Nominis Iesu, Dominica II post Epiphaniam legitur « Occurrente Dominica Septuagesimae, reponitur hoc Festum in diem 28 Ianuarii tamquam in sedem propriam, translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat et transferri valeat, nisi sit altioris ritus etc. ». Iam vero quum in tota Hispania die 28 Ianuarii celebretur Festum S. Iuliani Episcopi et Conf. sub ritu duplici secundae classis (et quidem cum octava in plurimis Dioecesibus), quaeritur: Utrum transferendum sit Officium S. Iuliani quotiescumque SSm̃i Nominis Iesu Festum a praefata Dominica II post Epiphaniam quavis causa removeri debeat; an vero translato Officio Sanctissimi Nominis Iesu ad primam diem liberam iuxta Rubricas, faciendum sit in casu de S. Iuliano memorata die 28 Ianuarii?

Dubium IV. Quando Episcopus adstat, non in Sede presbyterii iuxta Altare, sed in Sede seu stallo Chori siti in medio Ecclesiae et ab Altari valde distantis; possunt ne tam Celebrans quam Ministri post Altaris aspersionem simul procedere ad Chorum, ibique Ministri profunde inclinati aspersionem recipere ab Episcopo; vel potius debent isti ibidem aspergi a Celebrante, postquam iste ab Episcopo fuerit aspersus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative ad secundam ».

Ad II. « Exposito SSm̃o Sacramento, omittitur tantum aspersio Altaris ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Ministros, quatenus incedant cum Celebrante, aspergendos esse simul cum eo ab Episcopo ».

(1) E. Dub. III.

Atque ita rescripsit, declaravit ac servari mandavit.

Die 18 Iulii 1885.

3640. EUGUBINA. (5945)

Rmus Dominus Innocentius Sannibale hodiernus Episcopus Eugubinus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit:

Pervetus mensa Altaris, sub quo requiescunt exuviae S. Ubaldi Episcopi Conf., iampridem consecrata per modum fixi, nuper amota, Altaris instaurandi causa, iterumque apposita, constat ex lapide cuius longitudo est metrorum 2,27 et latitudo metrorum 0,52, cui idcirco tamquam corona, zona marmorea obducitur per ferri laminas coniuncta ipsi lapidi; ita ut mensa non constet ex unico lapide uti praescriptum est pro Altaribus fixis. Hinc quaeritur: Quidnam in nova consecratione agendum sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Si tamquam Altare fixum consecrandum sit, rite construi debet cum tota mensa ex uno et integro lapide, iuxta canonicas praescriptiones ». Atque ita rescripsit.

Die 29 Augusti 1885.

3641. CARTHAGINIEN. (5947)

In Dioecesi Carthaginien., ad maiorem solemnitatem et pompam in Processionibus praesertim Maioris Hebdomadae, quando simulacra Deiparae Perdolentis per vias publicas circumferuntur, mos est gestandi baldachinum (hispanice *palio*) desuper extensum, quod est eiusdem formae ac illud quo SSmum Eucharistiae Sacramentum solemniter defertur, sed diversi coloris, ut plurimum caerulei. Id etiam obtinet in Civitate vulgo *Lumilla* nuncupata; ita tamen ut huiuscemodi pallium coloris caerulei veluti tentorium explicetur tantummodo si pluvia decidat, quo simulacra Virginis uti vocant de Doloribus et de Angustiis, triumphali curru inaurato vecta, ab imbre defendi valeant. Quum vero de usu baldachini dubium ortum sit, hoc de consensu Rmi Episcopi Carthaginien. Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione subiectum fuit.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribendum censuit:

« In casu usum tolerari posse ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Septembris 1885.

3642. RHEMEN. (5949)

A Rmo Ordinario Archidioeceseos Rhemen. insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi subiecta sunt; nimirum:

Dubium I. An in Oratione Sancti Isidori Agricolae addendum sit verbum *Agricola?* (1)

Dubium II. Anne in Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. conclusio Orationis facienda sit per verba *Qui vivis* vel *Qui tecum vivit;* vel potius *Per eumdem Dominum?*

Dubium III. Anne in Ordinationis Missa facienda sit Commemoratio Simplicis; vel potius supprimi debeat, sicut Commemoratio Duplicis?

Dubium IV. Anne in Oratione Missae de Requie pro Cardinale Presbytero, sed Episcopo, cuidam Ecclesiae consecrato et adscripto, dicendum sit, ut docet Castaldi (Praxis Caerem. lib. II, sect. VI, cap. V, num. 6) *Deus qui inter... famulum N. Presbyterum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere etc.;* vel potius *famulum tuum N. Episcopum Cardinalem pontificali fecisti dignitate vigere?*

Dubium V. Utrum in Missis votivis per annum de Immaculata Conceptione in Praefatione dici debeat: *Et te in commemoratione Conceptionis Immaculatae;* an sicut in Festo: *Et te in Conceptione Immaculata?*

Dubium VI. Utrum in Lamentationibus Ieremiae in Officio Tridui Sancti, pronuntientur Litterae hebraicae *Aleph, Beth etc.;* an potius symphonia tantum per organum in Choro exprimatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto etiam alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Oratio allata concludi debet: *Per eumdem etc.* ».

(1) E. Dub. II.

Ad III. « Si in Ordinatione dici debeat Missa de Festo occurrente, Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam. Si vero Missa sit Ferialis, ut in Sabbatis Quatuor Temporum et Sabbato *Sitientes,* haec Missa nullam admittit Sanctorum occurrentium Commemorationem ».

Ad IV. « Affirmative, ad primum; Negative, ad secundum ».

Ad V. « Dicendum ut in Festo ».

Ad VI. « Litterae hebraicae dicendae sunt ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 23 Septembris 1885.

3643. SENEN. (5950)

Paucis abhinc annis in Metropolitana Ecclesia Senen. quotannis die Festo Assumptionis Deiparae, una cum ipsius principis Ecclesiae Canonicis, Insignis Ecclesiae Collegiatae Canonici sub titulo B. M. V. Loci vulgo *Presenzano* Missae Pontificali solent interesse, licet diverso stallorum ordine assideant. Quum vero dubitatio orta sit num supradictae Collegiatae Canonici vestes tantum chorales deferentes aeque ac Canonici Metropolitani, qui sacris paramentis induti in proprio stallo assident, duplici ductu thurificandi sint; Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium de consensu Rm̃i D. Archiepiscopi Senen. pro opportuna declaratione propositum fuit; nimirum:

Quum Canonici praefatae Insignis Collegiatae Pontificalibus assistunt in Ecclesia Metropolitana, sunt ne thurificandi unico, prouti hucusque factum est; an duplici ductu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita in casu rescribendum censuit:

« Nihil innovetur ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 23 Septembris 1885.

3644. MARSORUM. (5951)

Rm̃us Dominus Henricus De Dominicis hodiernus Marsorum Episcopus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Num permitti vel saltem tolerari queat invecta in praefata Dioecesi ab antiquis temporibus consuetudo, vi cuius in deferendis funebri pompa fidelium cadaveribus, semel aut pluries feretrum in via sive platea deponitur, et post cantum Antiphonae *Libera me Domine* lustrali aqua aspergitur cum multiplici Cleri emolumento?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Expositam consuetudinem, dummodo turpis lucri gratia non fiat (quod scandalum aut admirationem pareret), in casu tolerari posse ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Novembris 1885.

3645. ISCLANA. (5952)

Hodiernus Parochus Ecclesiae sub titulo SS. Cordis Iesu et S. Mariae Magdalenae Poenitentis loci vulgo *Casamicciola* intra fines Dioeceseos Isclanae Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia de consensu sui Reverendissimi Ordinarii pro opportuna solutione humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Utrum post recentem legitimam dedicationem Ecclesiae parochialis factam etiam SSm̃o Cordi Iesu, retenta tamquam Contitulari S. Maria Magdalena, Parochus teneatur applicare Missam pro populo in utroque Festo; an tantum, sicut hactenus factum est, in Festo S. Mariae Magdalenae Poenitentis?

Dubium II. Quum ob Paroeciae extensionem Parochus non possit in Sabbato Sancto omnes fidelium domus perlustrare aspergendo eas aqua fontis, num valeat haec tam necessaria perlustratio anticipari iam inde a quarta Dominica Quadragesimae cum aqua de more solito benedicta?

Dubium III. Hoc in casu dicendae ne sunt Antiphona et Oratio praescripta in Rituali pro Sabbato Sancto, recitando *Alleluia;* an alia Antiphona et Oratio quae proxime succedit in eodem Rituali?

Dubium IV. Potestne tolerari consuetudo quae hac in Paroecia invaluit, in ducendis funeribus Confratrum S. Mariae a Pietate; nimirum quod, ducto funere usque ad ianuam Oratorii Confratrum, Parochus seu eius Vicarius coram Clero ac populo Stola funebri exuatur, Cappellanus vero suam Stolam induat, in limine Oratorii aspergat Corpus aqua benedicta et sic funus proprio marte prosequatur, nullo respectu habito ad iura parochialia?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Si Festum SS. Cordis Iesu non sit de praecepto, Parochus, illius die, non tenetur ad Missam applicandam pro populo ».

Ad II. « Benedictio domorum in casu fieri nequit ante Sabbatum Sanctum; poterit vero fieri, durante hebdomada octavae Paschatis ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».

Ad IV. « Negative; et detur Decretum Urbis et Orbis diei 10 Decembris 1703 ad 20 ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 20 Novembris 1885.

3646. PAPIEN. (5953)

Rm̃us Dominus Augustinus Riboldi hodiernus Episcopus Papien. exponens in Capitulo suae Cathedralis Ecclesiae non adesse ordinis distinctionem tum quoad praebendas, tum quoad sacra paramenta, sed in functionibus Pontificalibus omnes Canonicos indiscriminatim pluviale assumere solere; a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Quum in Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una Alexandrina sub die 15 Martii 1608, dicatur: « si non sint distinctae praebendae, fiat tamen distinctio per paramenta »; debetne in sacris paramentis noviter conficiendis introduci distinctio; vel invecta tribus abhinc seculis consuetudo servari potest?

Dubium II. In dictis paramentis tela aurea admitti potest pro coloribus tum albi, tum rubri, tum viridis?

Dubium III. Potestne permitti tela argentea pro paramentis albi coloris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur consuetudo ».

Ad II. « In casu potest adhiberi tela aurea, ratione pretiositatis ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Novembris 1885.

3647. ASCULANA. (5954)

Rm̃us Ordinarius Dioecesis Asculanae Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit Cathedralis Basilicae Canonicos in Missis privatis uti opera inservientis infra sacrosancti Sacrificii actionem; nimirum quod inserviens Missae, saepissime laicus, initio Missale aperit et sub finem claudit foliaque huius vertit, simul introitum, Orationes ceterasque partes indicans; idem ante Offertorium Calicem e medio Altaris retrahit, sistit in cornu Epistolae et discooperit, amovet pallam desuper hostiam: absoluta Communione, super Calicem a celebrante Canonico extersum et purificatorio ac forsan patena coopertum, collocat pallam, plicat corporale et in bursam reponit; ac demum Calicem velo bursaque instructum in medio sistit Altaris. Ne vero haec inservientium praxis, quae praesertim in Cathedrali Basilica adhiberi coepit etiam a quolibet Sacerdote Sacrum faciente, magis invalescat et ad ceteras Dioecesis Ecclesias propagetur; idem Rm̃us Ordinarius eidem Sacrae Congregationi quae sequuntur dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An aliquid sit in exposita praxi quod Asculanae Cathedralis Canonicis liceat vi consuetudinis; quae tamen per resolutionem Sacrae ipsius Congregationis ipsis datam diei 27 Maii 1788 in responsione ad primum reprobata fuit? Et quatenus Negative,

Dubium II. An idem servari debeat quoad Canonicos quoscumque, quibus nulla facta fuerit prohibitio?

Dubium III. An Canonici cuiuslibet Ecclesiae quavis consuetudine, non tamen scripto privilegio suffulti, teneantur universi et singuli cunctis Rubricis Missae in celebratione privata sese omnino conformare prouti ceteri Sacerdotes?

Dubium IV. An de expositis aliquid Asculanis Canonicis liceat, vigore privilegii Apostolici utendi Canone et palmatoria in Missis etiam privatis?

Dubium V. An eiusmodi privilegio Canonis et palmatoriae frui possit Vicarius Generalis Asculanae Dioeceseos, qui non sit ibidem Canonicus?

Dubium VI. An Canonis et palmatoriae privilegium, et si quid aliud permittitur, locum habere possit quando privatae Missae Canonicorum inservit aliquis plane laicus, interdum vix puber, Ecclesiae servitio ad-

dictus, veste talari sive nigri sive rubri coloris, cum vel sine superpelliceo?

Dubium VII. An quae nunc temporis locum habere solent in Missis Canonicorum privatis, fieri valeant ex consuetudine in Missis Conventualibus, quae a Mansionariis absque Diacono et Subdiacono decantantur; etiam tum cum Minister sit laicus, licet veste talari et superpelliceo indutus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II et III. « Affirmative ».

Ad IV. « Exhibeatur privilegium Apostolicum ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Tolerari posse ex necessitate, dummodo inserviens talari veste et superpelliceo sit indutus ».

Ad VII. « Ut ad proximum ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 11 Decembris 1885.

3648. CAMERACEN. (5955)

Rm̃us Dominus Franciscus Eduardus Hasley Archiepiscopus Cameracen. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. Moniales a S. Clara seu Coletinae e Belgico Regno in Archidioecesim Cameracen. hunc usum invexerunt; nimirum: Intra parietem qui medius est intra Chorum Sororum et Sanctuarium cellula est praeparata ubi SSm̃a Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente, Sorores ostiolum cellulae in Choro suo aspiciens aperiunt: adhuc tamen clausum remanet SSm̃um Sacramentum solido vitro. Sic piae Sorores statutis horis contemplatione Sanctae Hostiae fruuntur. Quaeritur an talis consuetudo servari possit?

Dubium II. Praedictae Sorores et quaedam aliae, Superiorum Ecclesiarum auctoritate fultae, omnes quotidie sacra Communione reficiuntur, licet iuxta regulas et theologorum multorum decisiones pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Quum vero multo dolore optimae Sorores afficerentur si tanto solatio orbandae forent, hinc quaeritur quid in casu agendum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem eiusdem Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. « Piam consuetudinem tolerari posse ».

Ad II. « Consuetudinem laudandam esse; ac promovendum usum frequenter suscipiendi SSm̃am Eucharistiam, iuxta Concilii Tridentini (sess. XIII, cap. 8) dispositionem ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Decembris 1885.

3649. ILLERDEN. (5956)

R. D. Antonius Maurillo et Valverde Canonicus Ecclesiae Cathedralis Illerdensis Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia declaranda de consensu sui Rm̃i Episcopi humillime proposuit; nimirum:

Per diploma a Catholico Rege subscriptum nominatus est Cappellanus ad honorem. Cum vero haec gratia tribuat ei facultatem utendi quibusdam indumentis et condecorationibus a Sancta Sede concessis, videlicet caligis et collari coloris violacei, apice pileoli (vulgo *solidei*) coloris viridis et parva Cruce e collo suspensa; quaeritur:

I. Potestne etiam in Choro uti praedictis indumentis? Et quatenus Negative,

II. Potestne in Choro vestiri saltem caligis et collari coloris violacei, cum haec indumenta ad vestitum exteriorem spectare videantur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, propositis dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 16 Ianuarii 1886.

3650. PALENTINA. (5957)

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Dioecesi Palentina de consensu Rm̃i Ordinarii Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Quum ex nonnullis Sacrarum Romanarum Congregationum responsis aliqui putent sacram Pyxidem, aperto tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi; alii vero educi posse opinentur, tantum ut cum eo populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus Ecclesiis Re-

gularium; quaeritur: Num huiusmodi consuetudo admitti possit? Et quatenus Negative,

Dubium II. Permitti ne potest, vi consuetudinis, illis Congregationibus seu Religiosis Familiis, quae etiam alibi ita facere consueverunt?

Dubium III. Concedi ne potest prudenti arbitrio Ordinarii etiam aliis Congregationibus id petentibus?

Dubium IV. Ad mandatum exequendum SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII iuxta Decretum Urbis et Orbis die 20 Augusti superioris anni, quoad Rosarium singulis Octobris diebus, cum Litaniis in cunctis Ecclesiis parochialibus recitandum, et Sanctissimum Sacramentum exponendum, quo deinde fideles lustrentur, sufficitne privata expositio, scilicet aperiendo ostium tabernaculi; et insuper potestne in hoc casu extrahi Pixis, quacum populo benedicatur?

Dubium V. Quum eodem Decreto praecipitur quod si mane Rosarium cum Litaniis recitetur, Sacrum inter preces peragatur; quaeritur: Num haec verba ita intelligi debeant ut Rosarium uno eodemque tempore dicatur quo Missa celebratur; vel potius Missa antea celebranda sit, ac postea Rosarium cum Litaniis recitetur, quemadmodum fieri solet in Palentina Dioecesi?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Consulendum SSmum ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 16 Ianuarii 1886.

Facta autem ab ipsomet Sacrorum Rituum Congregationis Secretario de contentis in quarto dubio SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua haec indulgere dignata est: Attentis specialibus circumstantiis Ecclesiarum pauperum, in quibus praescripta expositio Sanctissimi Sacramenti solemni modo seu per Ostensorium fieri nequeat absque incommodo, eadem per modum exceptionis peragi poterit, prudenti iudicio Ordinarii, cum sacra Pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii et cum ea populum in fine benedicendo. Die 4 Februarii anno eodem.

3651. BARCINONEN. (5959)

Ecclesia parochialis sub titulo S. Mariae in loco *Matarone* nuncupato intra fines Dioeceseos Barcinonen. ut consecrata habetur, tum quia ab antiquis temporibus anniversarium Dedicationis semper celebratum fuit Dominica postrema Octobris, tum quia in demolitione primitivi Altaris sub ara repertum fuit una cum quinque granis incensi et sacris Reliquiis pervetustum documentum peractam asserens consecrationem, tum quia reperiebantur in parietibus Cruces depictae, testibus senioribus superioris seculi ipsius Ecclesiae Beneficiatis. Quum vero crescente populo Templum amplificatum fuerit, intactis parietibus lateralibus, et dirutum fuerit Altare maius; sensim Cruces disparuerunt, et anno 1854 parietum interna facies perpolita et *stucco*, uti vocant, cooperta est, Altari tamen maiore nec fixo nec lapideo nunc temporis extante. At vero quum dubium aliquod de ipsa consecratione subortum sit, hinc hodiernus Rector Archipresbyter et Clerus eiusdem Ecclesiae servitio addictus, de consensu Rmi Episcopi Barcinonensis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecerunt; nimirum:

Dubium I. Num praedictum Templum, ob factam amplificationem, nova indigeat consecratione?

Dubium II. Et quatenus negative, num consecratio fieri debeat propter *stucci* additionem?

Dubium III. Et quatenus negative etiam ad secundum, num necessario erigendum sit novum Altare maius fixum et lapideum rite consecrandum, ad hoc ut quotannis Officium Dedicationis persolvi possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I et II. « Negative; seu non indigere nova consecratione: et iterum depingantur et apponantur Cruces in parietibus in testimonium peractae consecrationis ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescribendum et fieri mandavit.

Die 16 Ianuarii 1886.

3652. ISCLANA. (5960)

Exposuerunt aliqui Canonici Cathedralis Ecclesiae Isclanae quod ibidem, in sole-

mnitate Sanctae Restitutae ipsius Dioeceseos Patronae, Dignitates, Canonici ceterique omnes nominatim appellati vulgari idiomate a Cancellario episcopali procedere solent ad obedientiam per manus osculum praestandam Rmo Episcopo Missam Pontificalem peragenti. Quum vero nonnulli e Canonicis, qui titulo Protonotarii sunt insigniti, ut a ceteris dignoscantur, praetendunt nuncupari per verbum *Monsignore*, quod reliqui Capitulares aegre ferunt; hinc, annuente Rmo Episcopo Isclano, sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecerunt; nimirum:

An Protonotarius Canonicus interveniens cum Capitulo et in proprio habitu canonicali ad actum obedientiae Episcopo exhibendum appellari debeat, ad distinctionem ceterorum, per supradictum vulgarem titulum praelatitium praemisso verbo Canonico et nomine N. N.?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribere rata est:

« In casu omnes Canonici appellentur latine, absque distinctione, tantummodo per haec verba *Reverendissimus Canonicus N. N.* ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 1 Februarii 1886.

3653. DUBII. (5961)

A Sacra Rituum Congregatione quum exquisitum fuerit an quoties in privata recitatione separentur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit post respectivam Orationem per ℣. *Dominus vobiscum*, ℣. *Benedicamus Domino* et ℣. *Fidelium animae etc.* Et Sacra Rituum Congregatio respondit: « Affirmative ».
Die 1 Februarii 1886.

3654. CARTHAGINIEN. (5962)

R. D. Marianus Perez Estbean Civitatis Murcien. Castrensis Parochus, de consensu Reverendissimi Ordinarii Dioecesis Carthaginien., quae sequuntur dubia Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit; nempe:

Dubium I. Hispani Sacerdotes nuptias benedicentes stare ne debent tantummodo Romani Ritualis Rubricis; an obtemperare praescriptis in Manuali Toletano, ad calcem Ritualis Romani pro Hispaniae Ecclesiis exarato?

Dubium II. Licet necne Hispanis Parochis proprio marte promiscue sumere praefatas Ritualis Manualisque Rubricas, ad nuptiarum benedictionem in utroque notatas?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, propositis dubiis sic rescribere mandavit:

« In casu sumatur Rituale Romanum ». Atque ita rescripsit.
Die 16 Februarii 1886.

3655. SANCTIMONIALIUM (5963)
ORDINIS CISTERCIENSIS.

Quum Monialibus Ordinis Cisterciensis in Hispania degentibus ignotum foret Calendarium ab Apostolica Sede approbatum et confirmatum die 7 Februarii 1871, Officium Divinum huc usque ipsae persolverunt iuxta antiquum in suis Breviariis appositum, quod a recentiori in pluribus differt, et in quo non pauca inveniuntur Festa ab utroque Clero in Hispania vel in respectivis Dioecesibus peragenda. Nunc vero ex notitia novi praefati Calendarii pro universo Ordine Cisterciensi, iisdem Monialibus nonnulla dubia oborta sunt, quae Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecerunt; videlicet:

Dubium I. Novissimum Calendarium Cisterciense, per Litteras Apostolicas confirmatum, observandum ne est de praecepto ab omnibus utriusque sexus Religiosis Cisterciensis Familiae, quocumque ex antiquis Calendariis excluso?

Dubium II. Possuntne vel debent Sanctimoniales ipsius Ordinis recitare ut antea Officia Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, atque Patronorum Regni, Dioeceseos, Civitatis; nec non cetera utrique Clero praecepta in locis ubi degunt?

Dubium III. Possuntne retineri Officia iam ab ipsis Monachis in Hispania huc usque persoluta, de quibus in Breviariis et Appendicibus in usum sui Ordinis non constet ea concessa fuisse pro omnibus ad Horas Canonicas adstrictis, etiamsi id probabile sit ex ipso facto admissionis et consuetudinis?

Dubium IV. Suntne etiam apponenda Officia novissima ab Apostolica Sede universali Ecclesiae praecepta?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative, si constet ea Officia ad ritum Cisterciense a Sacra Rituum Congregatione fuisse aptata et Oratricibus concessa ac pro ipsis approbata ; secus, Negative ».

Ad III. « Petendum est indultum ab Apostolica Sede in casu ».

Ad IV. « Non debent, sed possunt apponi; postquam vero ea ad ritum Cisterciense fuerint redacta ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Februarii 1886.

3656. MEXICANA. (5964)

Pelagius Antonius de Labastita y Davalos Archiepiscopus Mexicanus ab Apostolica Sede percontabatur: Num usus veli, quod adhiberi solet penes Ecclesias Mexicanae regionis in ritu Sacramenti Matrimonii licitum sit?

Quum Sacra Rituum Congregatio in iis locis, ubi hic vetustissimus usus viget (prout in Galliarum Dioecesibus) eiusmodi ritum haudquaquam vetuerit, Archiepiscopus Mexicanus illum in sibi credita Archidioecesi servari permittat, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Romae die 27 Februarii 1886.

3657. URBIS (5965)

BASILICAE S. LAURENTII IN DAMASO.

Ex parte Capituli perinsignis Collegiatae Basilicae S. Laurentii in Damaso de Urbe, in qua Altare maius est orientalis formae, in sua tamen integritate consecratum, quaesitum est: Utrum extra Chorum possit in parte eiusdem Altaris anteriori ad populi commoditatem celebrari Missa privata, ac Angelorum panis fidelibus dispensari; item SSm̃a Eucharistia publice exponi et cum eadem adstantibus benedici, nedum in sacris functionibus triduanis, novemdialibus aliisque eiusdem generis, verum etiam cum in Oratione Quadraginta Horarum fit solemnis eiusdem SSm̃i Sacramenti expositio?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito dubio sic rescribere rata est:

« Affirmative; in expositione tamen Quadraginta Horarum Missa in parte occidentali celebretur, si fieri potest, Choro in eadem parte adstante ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 30 Martii 1886.

3658. VICARIATUS (5966)

APOSTOLICI CONSTANTINOPOLITANI.

Exponens hodiernus Calendarii Ordinator pro Ecclesiis Vicariatus Apostolici Constantinopolitani, cui ut plurimum Archiepiscopus aliquis praeest titularis, antiquissimum usum ibidem vigere addendi in Missis Collectam pro Episcopo, tum die anniversario consecrationis episcopalis Vicarii Patriarchalis pro tempore, tum die ingressus in eumdem Vicariatum; ab Apostolica Sede humillime expetivit: Quaenam verba usurpanda sint uniformiter in Oratione, Secreta et Postcommunione; quum e Sacerdotibus alii aliter, non sine fidelium admiratione, veluti ad libitum, titulum ipsius Reverendissimi Ordinarii enuntiare soleant?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, super proposita quaestione ita rescribendum censuit; nimirum:

« In casu dicendum: *Famulum tuum N. quem huic Ecclesiae praeesse voluisti;* et ita in Secreta et Postcommunione: in Canone vero: *Antistite nostro* ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1886.

3659. DUBII. (5967)

Quum a Sacra Rituum Congregatione quaesitum fuerit: An in Festo Sancti Ioseph hodie Ecclesiae universalis Patroni pia sodalitia, quae in Oratoriis Officium Beatae Mariae Virginis persolvunt, recitare debeant Hymnum *Te Deum,* uti praecipitur in Festo Annuntiationis Deiparae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, respondit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1886.

3660. VALLISOLETANA. (5968)

Rm̃us Dominus Benedictus Sanz y Fores Archiepiscopus Vallisoletanus Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro oppor-

tuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Feria V in Coena Domini, sacratissima Hostia pro Missa Praesanctificatorum consecrata, in omnibus fere tam huius Archidioeceseos quam aliis Hispaniae Ecclesiis, exponitur in tabernaculo seu capsula, quae etsi clave obseretur, non ex omni parte clausa est, sed ostiolum crystallo munitum habet, ita ut Calix velo coopertus oculis adorantium appareat, et videatur Pixis in tabernaculo aperto, veluti in expositione Sanctissimi Sacramenti. Hinc quaeritur: Utrum toleranda sit haec praxis quae generalis est; an potius eliminanda, etsi prohibitio fidelium devotioni repugnet?

Dubium II. Nonnullis in Dioecesibus, post sanctorum Oleorum consecrationem Feria V in Coena Domini, Processio instituitur et per Ecclesiam deferuntur praedicta Olea sub baldachino. Cum hoc opponi videatur Decretis, quibus praecipitur nulla signa cultus sanctis Oleis danda, neque processionaliter in Ecclesiis introducenda; quaeritur: Num licite continuari possit huiusmodi praxis ferendi sancta Olea processionaliter, non via recta ad sacrarium, uti in Pontificali praescribitur, sed per Ecclesiam et sub baldachino?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Consuetudo, de qua in casu, eliminanda ».

Ad II. « Affirmative; excepto baldachino ».

Atque ita rescripsit.

Die 30 Martii 1886.

3661. HALIFAXIEN. (5969)

Rm̃us Dominus Cornelius O' Brien hodiernus Archiepiscopus Halifaxien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An in Ecclesiis solemniter benedictis, non vero consecratis, recoli debeat speciali modo Festum ipsarum Titulare nec ne? Et quatenus affirmative, quomodo illud celebrandum sit? Quid vero agendum, si Titularis Officium minime reperiatur in Breviario Romano?

Dubium II. Quum Episcopus praeter Cathedralem alias habeat Ecclesias, ex quibus fructum aliquem ad eius sustentationem percipit, debetne ipse, quando Suffragia Sanctorum agenda sunt, Commemorationem de earum Ecclesiarum Titularibus addere; an sufficit Commemoratio tantum de propriae Cathedralis Titulari? et an eadem ratio vigeat pro Missionario, qui alias habeat Ecclesias, praeter principalem?

Dubium III. An Episcopus teneatur speciali modo celebrare Anniversarium suae electionis? Et quatenus affirmative, quonam modo? item quinam dies electionis habendus sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, celebrandum sub ritu duplici primae classis cum octava; ad tertiam, in casu desumendum Officium ex Communi Sanctorum ».

Ad II. « Tenetur tantum ad Commemorationem Titularis Ecclesiae Cathedralis: Missionarius vero, cui plurium Ecclesiarum cura commissa est, tenetur ad Commemorationem tantum de Titulari Ecclesiae dignioris, vel Ecclesiae apud quam residere debet; ad tramitem Decreti dati pro Vicariatu Apostolico Bombayen. Septentrionali, sub die 25 Augusti 1882 ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; ad secundam, ut satis edocet Caeremoniale Episcoporum; ad tertiam, dies electionis est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Concistorio ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 16 Aprilis 1886.

3662. ORIOLEN. (5970)

Rm̃us Dominus Victorianus Guisasola y Fernandez hodiernus Episcopus Oriolen. Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Utrum Litterae Apostolicae, quae incipiunt *Caritatis viscera,* a s. m. Gregorio Papa XVI datae sub die 14 Maii 1833 in favorem Filiarum Caritatis S. Vincentii a Paulo pro Oratorio privato erigendo in ipsarum domo, suffragentur ut Missae ibidem celebrari possint, quando iisdem aedibus, ubi degunt vel quibus deserviunt, publica aliqua Ecclesia adnexa sit? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. An in eiusmodi Oratoriis strictim privatis asservari queat SS̃mum Eucharistiae Sacramentum, minime obstante quod in adnexa Ecclesia idem SS̃mum Sacramentum in tabernaculo iugiter custodiatur? Et quatenus Affirmative,

Dubium III. An tolerari possit quod in eiusmodi privatis Oratoriis SS̃ma Eucharistia diu noctuque servetur absque Sacerdote ibidem commorante, solis Sororibus veluti concredita? (1)

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I et II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative; servatis conditionibus in Apostolico Brevi contentis ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 8 Maii 1886.

3663. URBIS ET ORBIS. (5971)

Inter omnigenas virtutes, quibus Catholica praefulget Ecclesia, caritas eminet ceu nota conspicua, qua divinus ipsius Conditor voluit discipulos suos ab omnibus apprime dignoscendos. Hinc vix Ecclesia signum extulit ubique terrarum, illico factum est, ut quibuscumque humani generis aerumnis levamen inveniretur, atque iis potissimum cura intenderetur, qui vel infirma gravarentur valetudine, vel morbo tandem devicti mortalis vitae cursum essent expleturi. Huius porro nobilissimae virtutis praeclarum praebuerunt exemplum inclyti Confessores Sanctus Camillus de Lellis et Sanctus Ioannes de Deo, qui pari caritatis ardore succensi animam suam pro aegrotantium salute ponere non dubitarunt: quippe alter animas in extremo agone luctantium, aegris simul corporibus praestito solamine, sacri ministerii ope roboraret; alter vero medelam atque omne subsidium aegrotorum corporibus afferendo, animarum saluti facilius auxiliaretur. Nec satis: sed viri tantae misericordiae geminam Congregationem, seu novas in Ecclesia Christi familias instituerunt, in quibus sui spiritus zelus indeficiens arderet, atque eiusmodi caritatis in aegrotos exinde saluberrimi fructus iugiter promanarent.

Quum vero infaustis hisce temporibus iniqui homines mundanae gloriae cupidi, ad religionis perniciem congregati, prodigia christianae caritatis civiliter, ut aiunt, aemulaturi, grassante asiatica lue, manus hac illac admovere aggressi sint, specie tenus quidem ad patientium iuvamen, saepe tamen ut infirmi spiritualibus orbarentur auxiliis; commune christifidelium ac praesertim sacrorum Antistitum desiderium exortum fuit praefatos Sanctos caritatis heroes tamquam Patronos omnium Hospitalium et Infirmorum ubique degentium amodo percolendi, eosque in Litaniis agonizantium invocandi.

Quamobrem quum Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Mieczislaus Ledochowski horum supplicia vota in Sacrorum Rituum Congregationis coetu, ad Vaticanum subsignata die coadunato, retulerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi, omnibus maturo examine perpensis, audita sententia R. P. D. Augustini Caprara Sanctae Fidei Promotoris, sic rescribere rati sunt: « Pro gratia concessionis Sanctorum Camilli de Lellis et Ioannis de Deo in Patronos pro omnibus Hospitalibus et Infirmis ubique degentibus: et insertionis in Litaniis agonizantium nominum Sancti Camilli et Sancti Ioannis de Deo post nomen Sancti Francisci ».

Die 15 Maii 1886.

Quibus per Sacrae Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere et confirmare dignata est; ita ut super his expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die 26 iisdem mense et anno.

3664. DUBII. (5972)

Quaesitum quum fuerit a Sacra Rituum Congregatione an Tertiarii Franciscales iure gaudeant praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates?

Sacra eadem Congregatio, ad relationem sui Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, ita rescribere rata est: .

« Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium diei 20 Septembris 1748, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis, ac sub Cruce incedentibus,

(1) E. Dub. IV.

ius inest praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 28 Maii 1886.

3665. BREDANA. (5973)

Rm̃us Dominus Petrus Leyten hodiernus Episcopus Bredanus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Subsequenti anno 1887 die 31 Iulii, quae est Dominica, in Bredana Dioecesi occurrit Officium diei Octavae Dedicationis omnium Dioeceseos Ecclesiarum; hinc ad legendum Initium Parabolarum Salomonis, nulla hebdomadae dies superest libera. Quaeritur igitur an et quanam die in casu legendum sit illud Initium?

Dubium II. Similiter insequenti anno hebdomada quinta Novembris in iis Belgii et Galliae Ecclesiis, quarum Titularis est Sancta Catharina Virgo et Martyr, duo tantum supersunt dies liberi ad legenda sex de septem Initiis Prophetarum. Hinc quaeritur utrum et quando in casu eadem Initia legenda sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Initium Parabolarum Salomonis, in casu, legendum in decursu hebdomadae in uno ex Officiis proprias Lectiones habentibus, quod ritus aut dignitatis aut solemnitatis praeeminentiam non praeseferat respectu diei octavae Dedicationis; secus, praedictum Initium legendum in ipsa die octava ».

Ad II. « Detur Decretum in una Ordinis Minorum Reformatorum diei 27 Martii 1779, ad dubium 3 ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 28 Iunii 1886.

3666. URBIS ET ORBIS. (5974)

Post editas a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII Encyclicas Litteras: *Supremi Apostolatus* 1 Septembris 1883 et *Superiori anno* 30 Augusti 1884, de propagando et celebrando Beatissimae Dei Genitricis Mariae Rosario, Sacra Rituum Congregatio per Decretum diei 20 Augusti praeteriti anni 1885, ipso Summo Pontifice annuente et imperante, statuit ut quoadusque tristissima perdurent adiuncta, in quibus versatur Catholica Ecclesia, ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate Deo referre gratias datum non sit, in omnibus Catholici Orbis Cathedralibus et Parochialibus templis, et in cunctis templis et publicis Oratoriis Beatae Mariae Virgini dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinariorum designandis, Mariale Rosarium cum Litaniis Lauretanis per totum mensem Octobrem quotidie recitetur. Iamvero praesenti anno, qui Iubilaei thesauro ditatur, idem Sanctissimus Dominus Noster exoptans, ut quo magis ingruunt publicae et privatae calamitates, eo firmiori fiducia et proposito auxilium ac remedium quaeratur, et per Mariam quaeratur a Divina Misericordia, quae totum nos habere voluit per Mariam; per hoc Sacrae eiusdem Congregationis Decretum Reverendissimos locorum Ordinarios adhortatur, ut, iuxta memoratas Apostolicas Litteras et Decreta, eorumque tenore in omnibus servato, christifideles ad huiusmodi pietatis exercitium, Deiparae maxime acceptum atque gratiarum equidem fecundum, nec non ad Sacramentorum aliorumque salutarium operum frequentiam, omni sollicitudine advocare et allicere studeant.

Confirmando iterum Sanctitas Sua in omnibus sacras Indulgentias ac privilegia, quae in praecitato Decreto concessa sunt, indulgere insuper dignata est, ut in iis Templis seu Oratoriis, ubi ob eorum paupertatem Expositio cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, ad tramitem Decreti ipsius, solemni modo, nempe per Ostensorium, fieri haud valeat, eadem per modum exceptionis peragi possit prudenti iudicio Ordinarii, cum sacra Pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii, et cum ea populum in fine benedicendo.

Die 26 Augusti 1886.

3667. NAMURCEN. (5975)

Rm̃us Dominus Eduardus Iosephus Belin hodiernus Episcopus Namurcensis Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Iuxta Breviarii Rubricam Feriae V hebdomadae quartae Octobris propriam, quando quatuor tantum hebdomadas habet October, historia Martyrii Machabaeorum legi debet Feria V, VI et Sabbato hebdomadae quartae. Porro si Feria V

occurrat Festum habens Lectiones primi Nocturni proprias, uti hoc anno Festum Sanctorum Simonis et Iudae; quaeritur: Quaenam Lectiones legi debeant Feria VI? anne Lectiones Dominicae quintae, vel Lectiones Feriae secundae eiusdem hebdomadae quintae Octobris?

Dubium II. Octava Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis incidebat superiori anno in Feriam IV Quatuor Temporum Adventus; secundum Rubricam Generalem nona Lectio debet esse de Homilia Feriae, sicuti ultimum Evangelium Missae. Porro hoc Evangelium idem est ac Evangelium Festi; quid igitur agendum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem sui Secretarii, omnibus in casu perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Omittatur Evangelium Feriae tam in Officio quam in Missa; et detur Decretum diei 16 Septembris 1865 in una Aesina, ad II ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 17 Ianuarii 1887.

3668. SQUILLACEN. (5976)

Hodiernus Archipresbyter Parochus loci vulgo *Riace* intra fines Dioeceseos Squillacen. exponens penes suam Ecclesiam matricem duas Sodalitates canonice erectas sedem habere, videlicet Confraternitatem existentem uno abhinc seculo sub nomine Ss. Martyrum Cosmae et Damiani, alteram vero anno 1883 institutam sub titulo Sanctissimi Sacramenti, quas inter quaestio exoritur de praecedentia in Processionibus, in quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum defertur; sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit, opportunam solutionem enixis precibus postulans, commendationis officio a Rmo Episcopo Squillacensi suffultus; nimirum:

An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti in Processionibus, in quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum defertur, iure praecedentiae gaudeat prae memorata Sodalitate?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo in ceteris Processionibus Sodalitas SSmi Sacramenti iuxta ordinem antianitatis incedat ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 17 Ianuarii 1887.

3669. HARLEMEN. (5977)

Rmus Dominus Gaspar Bottmann hodiernus Episcopus Harlemen. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem humillime exquisivit; nimirum:

Dubium I. Praedecessor proximus Episcopus Harlemen. obiit die 1 Ianuarii 1877, et ex testamento fundum reliquit pro Anniversario perpetuo a Canonicis Cathedralis Ecclesiae celebrando; quod Canonici persolvunt die, quo iuxta sua statuta mense Ianuario ad Ecclesiam accedunt. Quaeritur: Num hodiernus Episcopus eidem Anniversario assistens satisfaciat oneri praescripto (Lib. II, Cap. XXXVI, Num. 1) in Caeremoniali Episcoporum de Anniversario celebrando pro defuncto proximo Praedecessore; praesertim quum defunctus postremus Episcopus et aliud sibi Anniversarium, non a Canonicis celebrandum, fundaverit; ita ut tria pro eodem annuntianda sint populo similia Anniversaria?

Dubium II. Quum anno 1877 Canonici Capituli Ecclesiae Cathedralis Harlemensis per modum fundationis perpetuae statuerint Anniversarium persolvendum pro omnibus Episcopis defunctis eiusdem Ecclesiae absque ullo stipendio; quaeritur: Num Episcopus assistens huic Anniversario, si intentionem addat etiam pro defunctis Canonicis illud offerendi, satisfaciat praescripto in Lib. II, Cap. XXXVII, Num. 1, Caeremonialis Episcoporum?

Dubium III. Tum ex Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 17 Iulii 1858 pro Regno Neerlandiae, tum ex suis statutis, Canonici Ecclesiae Cathedralis Harlemensis semel in mense conveniunt in Cathedrali ad recitandam Horam Tertiam, et dein Missae solemni adstandum. Quum vero plura sint Anniversaria persolvenda, ne pluribus conveniant diebus, ea adimplere consueverunt in ipso die conventus menstrui, celebrando Anniversaria in Altari maiori; cum interim in alio Altari Missa legitur quasi Conventualis Officio diei respondens. Quaeritur autem: Num Capitulum per eam rationem Officio seu muneribus satisfaciat? Et in casu negativo, Epi-

scopus hodiernus indultum Apostolicum implorat; propterea quod plures Canonici distent a Civitate Cathedrali, ita ut molestissimum esset pluries in mense ad eam venire.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Episcopus et Capitulum distinctis diebus Anniversarium celebrent ».

Ad II. « Negative; adeoque Episcopus distinctum in casu Anniversarium agere debet ».

Ad III. « Negative; ideoque singula Anniversaria, de quibus in casu, adamussim celebranda; et quidem aliis diebus ab iis, quibus Capitulum mensibus Ianuario ac Novembri, die Dominica vel in Festo primae aut secundae classis, etsi non praeceptivo, ad Ecclesiam Cathedralem convenire solet ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.
Die 17 Ianuarii 1887.

3670. PRAEFECTURAE APOSTOLICAE BENGALAE CENTRALIS. (5978)

Rev. D. Franciscus Pozzi Praefectus Apostolicus Bengalae Centralis Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. In collatione Baptismatis adultarum post tres genuflexiones et dicto *Pater noster*, Sacerdos dicit patrino *Signa eam*, et nulla fit mentio de matrina. Quaeritur: An in absentia patrini Sacerdos debeat dicere matrinae *Signa eam etc.;* vel potius omisso signo Crucis per matrinam, Sacerdos tantummodo ter signare debeat de more cathecumenam?

Dubium II. Interdum accidit quod desint patrini pro Baptismo solemni vel Confirmatione, sed tantummodo praesto sint moniales (Sorores Caritatis). Quaeritur: Num in huiusmodi casu expediat conferre ea Sacramenta sine patrinis; an potius ut Moniales adhibeantur uti matrinae in utroque Sacramento pro foeminis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 15 Februarii 1887.

3671. FULDEN. (5979)

R̃mus Dominus Georgius Kopp hodiernus Episcopus Fulden., exponens in sibi commissa Dioecesi iuxta antiquam consuetudinem plurima haberi Altaria portatilia, quorum est tabula ex lapide densissimo, imo et marmoreo, constans et quinque Crucibus obsignata; at sepulcrum non in medio, sed in eius fronte effossum est ac rete clausum; insequentium dubiorum solutionem ab Apostolica Sede humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. An eiusmodi Altaria sint toleranda; vel immutanda sint ac denuo consecranda?

Dubium II. Num in posterum sepulcrum Altaris portatilis in medio tabulae lapideae effodiendum sit?

Et Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Quoad Altaria portatilia, hucusque consecrata, R̃mus Episcopus acquiescat ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 31 Martii 1887.

3672. CATAREN. (5980)

R̃mus Dominus Casimirus Forlani hodiernus Cataren. Episcopus, exponens ob peculiaria loci adiuncta, praesertim legum civilium, nec non ob exiguum numerum Sacerdotum qui Cathedralis Ecclesiae suae servitio addicti sunt, horarium chorale ibidem ab anno 1880 ita dispositum esse ut hora IX minorum Canonicarum Horarum recitatio inchoetur, et post Nonam celebretur Missa Conventualis: quae omnia horam decimam excedunt; insequentis dubii solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit circa Vesperarum cantum tempore Quadragesimali persolvendum diebus ferialibus; nimirum:

An exposita dispositio horarii Choralis retineri possit etiam ferialibus diebus Quadragesimae, quando immediate post Missae Conventualis celebrationem, nempe hora X, cantus Vesperarum locum habere debet? Et si Negative: idem Rmus Dominus enixe rogavit, ut eiusmodi horarii dispositio, necessaria ob exposita adiuncta, tolerari queat ad validam Vesperarum recitationem tempore Quadragesimali?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rem omnem committendam censuit prudenti ipsius Rmi Episcopi arbitrio.

Die 31 Martii 1887.

3673. CADURCEN. (5981)

Rmus Dominus Episcopus Cadurcen. a Sacra Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime expetivit: nimirum:

I. Licetne applicare ad utrumque latus introitus Sanctuarii, ita ut sibi invicem adversentur, effigies seu statuas Sacratissimi Cordis Iesu et Purissimi Cordis B. M. V.?

II. Effigies Sacratissimi Cordis Iesu debetne potius collocari in medio Altaris maioris loco tabernaculi; vel, si adest tabernaculum in quo asservetur SSmum Eucharistiae Sacramentum, in huius posteriori parte?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce dubiis sic rescribere rata est:

Ad I. « Nihil obstare in casu ».

Ad II. « Negative ad utrumque ».

Atque ita rescripsit.

Die 31 Martii 1887.

3674. LAMACEN. (5982)

Rmus Ordinarius Dioeceseos Lamacen. exponens Altaria plurima suae Dioeceseos Ecclesiarum sacros lapides praeseferre e quodam schisto lapide efformatos satis duro, quorum alii Sanctorum Reliquias continent, alii omnino iisdem carent; ac praeterea reperiri etiam sacros lapides ex gypso conflatos, etsi Reliquiis instructos; insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An usus sacrorum lapidum Reliquiis carentium servari possit?

Dubium II. An retineri possint sacri lapides e schisto illo lapide efformati?

Dubium III. An retineri possint sacri lapides Reliquiis Sanctorum instructi, ex gypso tamen constantes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est; nimirum:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 29 Aprilis 1887.

3675. EMERITEN. (5983)

Rmus Dominus Romanus Lovera hodiernus Episcopus Emeriten. in ditione de Venezuela insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi demississime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Feria VI post octavam Ascensionis in qua fit Officium novem Lectionum uti infra octavam ipsius Ascensionis, quae tamen Feria est libera, fieri possit Officium votivum Passionis?

Dubium II. In Ecclesiis parochialibus ubi non adest Chori obligatio, tempore Quadragesimali, in Festo S. Ioseph vel aliorum Sanctorum possuntne cantari Vesperae post comestionem, seu post meridiem ad populi devotionem fovendam?

Dubium III. Commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali loco Suffragiorum de Sanctis, potestne recitari quando fit Officium votivum de Passione?

Dubium IV. Num Sacerdos Missam votivam, lectam vel solemnem, de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione celebraturus respondentem Officio eiusdem votivo, quod cum ceteris universali Ecclesiae recenter concessum fuit, teneatur adhibere Missam cuius Introitus *Gaudens gaudebo?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I, II et III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative; attamen servata Rubrica Missis votivis per annum praeposita ».

Atque ita rescripsit.

Die 29 Aprilis 1887.

3676. NANNETEN. (5987)

Hodiernus Rector Gymnasii sic nuncupati *Puerorum Nannetensium* in Civitate ac Dioecesi Nannetensi, exponens eidem Gymnasio adiectum esse publicum Oratorium consecratum sub nomine S. Francisci Salesii Episcopi Confessoris ac Ecclesiae Doctoris, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia de consensu Reverendissimi Ordinarii pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Num S. Franciscus Salesius ut verus Titularis habendus sit a viris ecclesiasticis Gymnasio *Puerorum Nannetensium* quocumque titulo adscriptis, et ideo Oratorio pro vice sua inservientibus; ita ut Festum illius sancti Doctoris sit ab ipsis celebrandum die fixa 29 Ianuarii, sub ritu duplici primae classis cum octava, et commemoratio sit addenda tum in Suffragiis Communibus tum in Oratione *A cunctis?* Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Num, ut mos apud eos fuit hucusque, illius Festi solemnitas possit transferri in diem Dominicam proxime sequentem non impeditam (consequenter, iuxta indultum Eminentissimi Cardinalis Caprara pro Festis Patronorum et Titularium), pro Alumnis Gymnasii, qui nonnisi diebus Dominicis Missae gregatim intersunt? Et quatenus Affirmative,

Dubium III. Num die translationis possit haec Missa Sancti Doctoris etiam simpliciter legi, quum mos non sit Missam coram Alumnis cantari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Maii 1887.

3677. ANCONITANA. (5988)

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Anconitanae facultatem petiit celebrandi post Nonam Missam Conventualem cum cantu, quovis die festo *ex praecepto;* vel etiam *non ex praecepto,* si assistat Episcopus. Ratio est, quod ita 1° Canonicorum opportunitati consuleretur, qui secus morari tenentur usque donec Episcopus sacras vestes exuerit, ipsumque comitari ad eius usque residentiam; atque inde in Chorum reverti pro Sextae ac Nonae recitatione; 2° dilata aliquantulum celebratione Missae Conventualis, maior ad ipsam audiendam fidelium frequentia haberetur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, his precibus sic rescribere rata est:

« Nihil innovandum; et Episcopum comitentur in reditu ad suam residentiam nonnulli tantum Canonici ». Atque ita rescripsit.

Die 17 Iunii 1887.

3678. LUCERINA. (5989)

Extat in loco vulgo dicto *S. Bartolomeo in Galdo* intra fines Dioeceseos Lucerinae Sodalitas Confratrum Tertii Ordinis S. Francisci, penes Ecclesiam Ordinis Minorum Reformatorum inde ab anno 1739 canonice erecta, cuius Moderatores ad Apostolicam Sedem nuper recursum habuerunt quoad ius praecedentiae in Processionibus. Quum enim altera Sodalitas adsit ibidem (nuper ad dignitatem Archiconfraternitatis erecta) a SSmo Sacramento et Immaculata Deiparae Conceptione nuncupata, atque anno 1781 rite approbata, quae eiusmodi praecedentiae ius sibi vindicare contendit; Moderatores Confratrum Tertii Ordinis ad suum ius confirmandum, gravibus suffulti rationibus, ac praesertim generali Decreto Sacrorum Rituum Congregationis (n. **3664**) diei 28 Maii anno superiore lato; eidem Sacrae Congregationi sequens dubium discutiendum humillime subiecerunt; scilicet:

Num praefatum Sodalitium Tertii Ordinis praecedentia gaudeat in dicto loco super ceteras Archiconfraternitates et Sodalitates laicas, nec ne?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii auditoque Rmo Domino Episcopo Lucerino, omnibus in casu mature perpensis, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Praecedentiam spectare privative ad Confratres Tertii Ordinis ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 4 Iulii 1887.

3679. PATAVINA. (5990)

Rmus Dominus Iosephus Callegari Episcopus Patavinus exponens in Ecclesiis parochialibus sibi commissae Dioeceseos usum

invalescere ut in Exequiis vel quibusdam Festis ecclesiasticis, quibus laicae Sodalitates intersunt, harum respectiva vexilla in Templum deferantur, etsi mere civilia sint neque benedicta; ad omnem animi sui anxietatem removendam, insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Licetne in Ecclesias admittere, occasione Exequiarum aliarumve sollemnitatum vexilla haud benedicta Sodalitatum quodam modo civili regimini adnexarum; cuiusmodi sunt Municipia, Universitates, Gymnasia aliave Instituta?

Dubium II. Licetne eadem occasione admittere vexilla haud benedicta Sodalitatum privatarum; utpote quas vocant Reducum e patriis praeliis, Voluntariorum anni 1849, Mutui Auxilii inter alicuius ordinis cives; etiam si Sodalitates istae partem habeant in anticatholicis protestationibus, vulgo *manifestazioni*, sectae massonicae socios virosque irreligiosos extollant, ac vel ipsae massonicae sectae adhaerere videantur? Et quatenus Negative ad utrumque,

Dubium III. Licetne Parocho illorum vexillorum praesentiam in Ecclesia tolerare, si prudenter vereatur ex illorum exclusione ac sui oppositione aditum dari concertationibus, perturbationibus, graviori ac manifestiori contemptui legis divinae vel ecclesiasticae? Et quatenus Negative,

Dubium IV. Tenetur ne Parochus, in casu, post factam inhibitionem, sacras actiones abrumpere ac sese subducere, quatenus non obtemperetur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem sui Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Non licere admittere nisi vexilla religiosa et pro quibus habetur formula benedictionis in Rituali Romano ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III et IV. « Intimatione facta antecedenter iuxta mentem Sacrae Congregationis, Parochus se abstineat ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 14 Iulii 1887.

3680. NEAPOLITANA. (5991)

Emus et Rmus Dominus Card. Gulielmus Sanfelice Archiepiscopus Neapolitanus Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia declaranda proposuit; nimirum:

I. An Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Missam in Pontificalibus celebranti, extra Urbem et extra locum suae iurisdictionis, liceat praeter tres sacros Ministros Altaris, habere Diaconos sacris paramentis indutos sibi in Cathedra seu Throno assistentes?

II. An in huiusmodi casu Clerus quoque, sacra paramenta iuxta Ordinum gradus deferens, illi assistere possit ac debeat?

III. An Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali celebranti aut in Cathedra seu Throno assistenti vel quovis alio in casu etiam extra Cathedram seu Thronum adstanti, habitu tamen cardinalitio induto, debeatur ab omnibus genuflexio, sicuti Ordinario in propria Dioecesi? Et quatenus Negative,

IV. An Ordinario loci potestas sit huiusmodi honorem concedendi?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, hisce dubiis rite expensis, sic rescribendum censuit:

Ad I et II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative, si in Cathedra seu Throno assideat; secus, Negative ».

Ad IV. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita declaravit et rescripsit.
Die 14 Iulii 1887.

3681. DECRETUM (5992)

URBIS ET ORBIS.

Inter densas errorum et scelerum tenebras tamquam spes certa oriturae salutis iam fulget excitata ac reviviscens in christianis gentibus per sacri Rosarii frequentiam erga magnam Dei Parentem pietas et fiducia, quae omni aevo Ecclesiae ac societati praesidium fuit potentissimum ad terrenorum infernorumque hostium vires conterendas. Verbum Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII per Eius Apostolicas Litteras, praesertim *Supremi Apostolatus officio* 1 Septembris 1883, ad cunctas mundi regiones prolatum, divini seminis instar, cadens in terram bonam, ubique *fecit fructum centuplum;* quamvis alibi prae nimia cordium duritie, cadens *super petrosa* et *in spinis,* hactenus conculcatum fuerit et suffocatum. Ubique terrarum fideles suis coadunati Pastoribus Rosarii festa mensemque in laetitia et fervore celebrantes, a solis ortu ad occasum pro errantium salute, pro Ecclesiae et societatis prementibus calamitatibus Mariam invocarunt, quae « sicut lumen inde-

ficiens radios evibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam praebere consuevit, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu *(S. Thom. Episcop. Valentin.)* ». Neque spes confundit obtinendi victoriam, ex eo maxime quod per admirabilem Marialis Rosarii orandi ritum splendidissimus Deo exhibetur religionis cultus et plena fidei christianae confessio. Rosarium enim, cum omnia Christi Virginisque Matris Mysteria suo circuitu involvat, fidem totam complectitur. Iamvero *haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra* (1 Io. V).

Beatissimus Pater de his vehementer laetatus, eo enixius omnes Ecclesiae Pastores et universos Christifideles hortatur ferventiori pietate et fiducia perseverare in inceptis, ab augustissima Regina pacis postulantes, ut qua gratia apud Deum pollet, praesentium malorum horrendam tempestatem, everso satanae imperio, depellat, triumphatisque Religionis hostibus, exagitatam Petri mysticam navem optatae tranquillitati restituat. Ad haec, quaecumque superioribus annis, ac postremo per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis 26 Augusti 1886, de mense Octobri caelesti Reginae a Rosario dicando, decrevit, indulsit et iussit, iterum decernit, praecipit et concedit.

Cum vero festus dies solemnitatis sacratissimi Rosarii singulari iam populorum honore et cultu agatur, qui cultus refertur ad mysteria cuncta vitae, passionis et gloriae Iesu Christi Redemptoris nostri, eiusque intemeratae Matris; ad hanc succrescentem pietatem magis fovendam, et ad publicae venerationis incrementum, quod iam pluribus particularibus Ecclesiis concessit, Solemnitatem praedictam et Officium Deiparae a Rosario primae Octobris Dominicae assignatum, ecclesiastico ritu duplici secundae classis in universa Ecclesia in posterum celebrari mandavit, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

De hisce autem praefatae Sacrorum Rituum Congregationis Decretum expediri iussit.

Die 11 Septembris anni 1887, Sanctissimo Mariae Nomini sacra.

3682. BASILEEN. (5993)

R̃mus Dominus Fridericus Episcopus Basileensis postulat authenticam interpretationem Apostolici Decreti quoad preces recitandas a Sacerdote finita Missa; quaestio nempe ita se habet: Utrum preces praescriptas (3 *Ave, Salve Regina etc.*) in quibusdam casibus, nempe vel alicuius parvae functionis vel Communionis distribuendae, peracta demum ista adnexa Missae caeremonia, recitare liceat; an subsequi Missam ipsae semper immediate debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio proposito dubio sic rescripsit:

« Preces, a SS̃mo Domino Nostro Leone Papa XIII praescriptae, recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Novembris 1887.

3683. NANNETEN.

In Galliis Solemnitas Patroni Ecclesiae transfertur in Dominicam sequentem, in qua Missa solemnis de ipso cantatur. Quum vero dubitetur utrum in hac Missa adhibenda sit Praefatio SS. Trinitatis, an Communis, hodiernus Ordinator Calendarii Dioeceseos Nanneten. a Sacra Rituum Congregatione humillime efflagitavit huiusmodi dubii resolutionem.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, proposito dubio sic rescribendum censuit:

« Quoties Patronus non habet Praefationem propriam, adhibendam esse Praefationem de SS. Trinitate seu de tempore ». Atque ita rescripsit.

Die 10 Februarii 1888.

3684. MARIANNEN.

Hodiernus R̃mus Episcopus Mariannen. in Brasilia a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii declarationem humillime petiit; nimirum:

Quum aliquando necessitas exigat ut Diaconis committatur solemnis Baptismi administratio, quaeritur: Potestne Diaconus salem benedicere et aquam?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario et exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescribendum censuit:

« Negative ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 10 Februarii 1888.

3685. CARTHAGINIEN.

Hodiernus Sacrarum Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Carthaginien.

de mandato Rm̃i sui Ordinarii, exponens quod ex Apostolico privilegio omnibus Hispaniarum Ecclesiis iam pridem concesso, in Missis addi potest post ultimam Orationem altera Oratio seu Collecta *Et famulos tuos Papam Nostrum N., Antistitem Nostrum N. et Regem nostrum etc.;* sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quando in Missa recitata est Oratio *Deus omnium fidelium etc.* pro Pontifice; quaeritur: Anne in supracitata Collecta *Et famulos tuos etc.* debeat omitti nomen Pontificis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque in scriptis voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, proposito dubio ita rescribendum censuit; videlicet:

« Quoties in Missa dicitur Oratio *Deus, omnium fidelium pastor et rector etc.*, supprimendum esse in Collecta, de qua in casu, Summi Pontificis nomen ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 10 Februarii 1888.

3686. CAPUTAQUEN. VALLEN.

Quum in Cathedrali Ecclesia Vallen. consecranda in proximo sint quatuor Altaria de novo ex marmore confecta et in lateralibus parietibus Ecclesiae hinc inde erecta, Revm̃us Dominus hodiernus Episcopus Caputaquen. Vallen. insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An una eademque functione possit Episcopus praefata quatuor Altaria consecrare, scilicet reponendo ante diem consecrationis in distinctis vasculis Reliquias in unoquolibet Altari includendas, recitando in communi septem Psalmos Poenitentiales cum Antiphona *Ne reminiscaris,* Litanias Sanctorum, Antiphonam *Exultabunt Sancti in gloria etc.* cum sequentibus Psalmis et Oratione *Deus, qui in omni loco etc.*, Orationem *Deus omnipotens etc.* cum adiuncta Praefatione atque ultimas Orationes *Maiestatem tuam Domine etc.* et *Supplices deprecamur etc.,* dicendo semper in plurali numero quae singulari indicantur; reliqua vero distincte peragendo pro unoquoque Altari, videlicet: Cruces cum aqua benedicta in medio tabulae et in quatuor cornibus, aspersionem ipsius aquae septies circumfaciendam, depositionem Reliquiarum earumque inclusionem in confessione seu sepulcro Altaris eiusdemque thurificationes, Sacras unctiones oleorum Cathecumenorum et Chrismatis infusiones, incensationes, Cruces ex thure benedicto super Altare cremandas atque ultimas unctiones sacri Chrismatis? Et quatenus affirmative,

Dubium II. Ubinam sese collocare debeat Episcopus consecrator, quando recitantur septem Psalmi et postea dicitur *Deus in adiutorium etc.* ut in Pontificali Romano?

Dubium III. An pro vigiliis, celebrandis ante reliquias honesto in loco cum luminaribus accensis, sufficiat canere tantummodo Matutinum cum Laudibus in Sanctorum honorem, quorum Reliquiae recondendae sunt; vel per totam onctem ante eas psallere oporteat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, dummodo preces et actiones praescriptae ceteraeque unctiones rite fiant ».

Ad II. « In loco congruo, unde quatuor Altaria consecranda, quantum fieri possit, videri valeant ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 22 Februarii 1888.

3687. CADURCEN.

Quum per civilia gubernia saepe in consecratione Ecclesiae prohibeantur, hisce miserrimis temporibus, caeremoniae quae extra Ecclesiae ipsius ambitum fieri praescribuntur, hodiernus Vicarius Generalis Dioeceseos Cadurcensis sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Quando nec preces nec murorum aspersiones extra Ecclesiam fieri possunt, Ecclesiae consecratio nihilominus fieri potest?

Dubium II. Utrum in casu, si fiat consecratio, praedictae preces et etiam aspersiones murorum intra Ecclesiam fieri debeant et possint; an potius omittendae sint?

Dubium III. Num in casu populus ab initio functionis intra Ecclesiam admitti possit?

Dubium IV. Quum in Ecclesia consecranda plura Altaria singula a singulis Pontificibus consecrantur; quaeritur: An in singulis illis Altaribus Missa celebranda sit; vel potius in Altari principali tantum Missa celebrari possit ac debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis respondendum censuit; videlicet:

Ad I. « In adiunctis de quibus in casu recurrendum ad S. Sedem: sin minus, quoties urgeat tempus, neque consecratio Ecclesiae differri valeat, solemnis caeremonia in sacrario sive in atrio vel alio in loco et cubiculis eidem Ecclesiae adnexis, incipienda est; murorum vero aspersiones, eo quo potest modo, peragendae; servatis etiam Decretis pluries datis ».

Ad II. « Satis provisum in primo ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Satis est ut celebretur Missa Solemnis in Altari principali ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Februarii 1888.

3688. FLORENTINA.

De mandato Rmi Domini Eugenii Cecconi Archiepiscopi Florentini, hodiernus in ea Metropolitana Ecclesia Caeremoniarum Magister, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit.

In ea Metropolitana ceterisque Ecclesiis Collegiatis eiusdem Archidioeceseos Florentinae consuetudo ab immemorabili tempore viget, in Dominicis post Epiphaniam et Pentecosten usque ad Adventum, quando Festum alicuius Sancti occurrit sub ritu duplici, duas Missas canendi, alteram de Officio occurrente absque commemoratione Dominicae, alteram de eadem Dominica cum secunda et tertia Oratione iuxta praescriptum in Missali Romano.

Quum nihil in Rubricis Generalibus inveniatur quoad secundam eiusmodi Missam in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis decantandam, quaeritur:

I. An exposita consuetudo retineri possit ac debeat? Et quatenus Affirmative,

II. Num color hucusque adhibitus sacrorum paramentorum nempe viridis in Dominicis a Nativitate D. N. I. C. usque ad Septuagesimam et a Dominica III post Pentecosten usque ad Dominicam primam Sacri Adventus, color albus vero a Dominica secunda post Pascha usque ad Pentecosten, retineri possit?

III. Quaenam Orationes dicendae sint praecipue in Dominicis infra octavam vel in ipsam diem octavam alicuius festi incidentibus?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem eiusdem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Servari posse in casu praxim vigentem, exceptis Dominicis infra octavas, in quibus servandus idem color octavae ».

Ad III. « Orationes dicendae prout in Missali praecipiuntur pro minoribus Dominicis ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Februarii 1888.

3689. URGELLEN.

Rmus Dominus Cassañas y Pages hodiernus Episcopus Urgellen. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum declarationem humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Utrum in Litaniis Sanctorum quae extraordinariis de causis cantantur in publicis supplicationibus invocari queant Patroni Dioeceseos et Civitatis Urgellensis, Ss. Hermengarda et Odo, prouti consuevit ab immemorabili tempore?

Dubium II. Per Decretum diei 2 Maii 1867 praeceptum in Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, ita suppressum est in Hispania ut de eo Missa solemnis cantari debeat Dominica infra octavam. Quia vero in Urgellensis Dioeceseos Ecclesiis Festum colitur uti ante enunciatum Decretum, petitur ut praefata Missa solemnis Dominica infra Octavam omitti possit.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis ita rescribere rata est; nimirum:

Ad I. « Affirmative; in casu ».

Ad II. « Standum Decretis ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Februarii 1888.

3690. MANTUANA.

Rmus Dominus Iosephus Sarto Episcopus Mantuanus exposuit usum vigere, fere in cunctis Ecclesiis Mantuanae Dioeceseos,

vestiendi scilicet indumentis diversi coloris pro diversitate festorum ac temporum sacras Deiparae Imagines fidelium venerationi expositas easque collocandi diebus solemnioribus in loco principe Altaris, ubi SS. Eucharistia asservatur, nec non eas vestibus nigri coloris indutas deferendi in Processionibus Feria V et VI Hebdomadae maioris.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii,

« Remittendam censuit tolerantiam eiusmodi usuum prudenti arbitrio Episcopi; dummodo tamen vestes in casu nihil indecens praeseferant aut profanum ». Atque ita respondit.

Die 15 Martii 1888.

3691. DE GUATIMALA.

Rm̃us Dominus Richardus Casanova Archiepiscopus Guatimalae Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Moniales suppressae, quamvis privatas domos habitent, Divini Cultus suis in Ecclesiis curam habent, solemnioribus cuiusque Ordinis solemnitatibus intersunt, et moestitia afficiuntur quod non amplius Missae propriae Patronorum et aliorum Sanctorum specialis Ordinis, sed de Communi ut in Missali Romano decantantur. Possuntne adhuc Monasteria hoc privilegio uti iuxta Missalia cuiusque Ordinis?

Dubium II. In Metropolitana Ecclesia antiquus viget usus canendi in Choro, die 29 Iunii, post expletas Vesperas, Commemorationem Cathedrae S. Petri ut die 18 Ianuarii. Licetne dictum usum servare?

Dubium III. Ex consuetudine unum tantum Nocturnum in Exequiis canitur: licetne primum semper assumere? an debet illud potius cani quod Feriae occurrenti respondet?

Dubium IV. Licet ne permittere ut in Processionibus Crux deferatur non ab ipso Subdiacono sed ab Acolytho, Subdiacono prope hunc inter ceroferarios incedente?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Servari potest; dummodo Commemoratio, de qua in casu, fiat extra Officium diei et post expletas Vesperas ».

Ad III. « Canendum Nocturnum Feriae occurrentis; nisi sit dies obitus, in quo servandum Rituale ».

Ad IV. « Negative; et singulis in casibus servetur dispositio Caeremonialis Episcoporum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 22 Iulii 1888.

3692. MARIANNEN.

Rm̃us Dominus Antonius Benavides hodiernus Episcopus Mariannen. exposuit quod ex concessione s. m. Benedicti Papae XIII die 26 Augusti 1728 in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, a quovis Sacerdote in Imperio Brasiliae (quemadmodum concessum est Clero Hispaniae et Lusitaniae) celebrantur tres Missae, quarum prima applicari potest ad libitum cum eleemosyna, ceterae vero pro omnibus Fidelibus Defunctis applicandae sunt. Quum vero controversiae nonnullae exortae sint quoad praxim inter Canonicos Ecclesiae suae Cathedralis, ad has dirimendas idem Rm̃us Dominus insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Utrum Canonicus qui in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum cantat Missam Conventualem, hac expleta celebrare valeat duas alias Missas pro Defunctis? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. An Sacerdos seu Canonicus qui antea Missam Conventualem cantavit, debeat servare ordinem Missarum pro Defunctis, ita ut primo loco adhibeat Missam quae iuxta indultum dicenda est prima, deinde eam quae secundo loco legenda est?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature in casu perpensis, ita rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Affirmative; et iuxta usum in Hispania vigentem ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Augusti 1888.

3693. SANCTI IACOBI

DE VENEZUELA.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae S. Iacobi de Venezuela, de mandato sui Rm̃i Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum in his regionibus saepissime fiat ut eorum qui extra patriam moriuntur, ossa et cineres sive a civili gubernio sive a parentibus transferantur ab exteris ditionibus, ac deinde sive in Pantheon virorum illustrium sive in sepulcro respectivae familiae tumulentur, ante humationem tamen in Cappellis ardentibus, ut aiunt, exponantur; quaeritur:

I. Potestne Clerus eiusmodi cineres et ossa comitari eadem prorsus solemnitate ac ritibus qui adhibentur quando cadaver ad Ecclesiam defertur?

II. In praefatis Cappellis ardentibus ab Ecclesiis seiunctis agi ne possunt funeralia?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative; et funus celebretur in Ecclesia vel saltem in aliqua sacra Cappella ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 11 Augusti 1888.

3694. PORTUS PRINCIPIS

seu

CAPITIS HAITIANI.

Rm̃us Dominus Franciscus Maria Kersuzan hodiernus Episcopus Capitis Haitiani in Provincia Ecclesiastica Portus Principis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia super Calendario Dioecesano pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Utrum attenta concessione facta a s. m. Pio Papa IX per rescriptum S. R. C. Mense Novembri 1863, Clerus Provinciae Ecclesiasticae Portus Principis debeat se conformare in omnibus Calendario Cleri Secularis Urbis in recitatione Officii divini et celebratione Missae, etiam quoad ritum et octavam tum Festis Transfigurationis Domini tum Dedicationis Basilicae SSm̃i Salvatoris; quoad ritum duplicem 2 classis Festorum S. Catharinae Senensis et S. Philippi Nerii; quoad commemorationem octavae Ss. Apostolorum Petri et Pauli etiam in duplicibus 2 classis et quoad Officium votivum Ss. Apostolorum Petri et Pauli Feria 3 aliquoties permissum?

Dubium II. An in Ecclesiis parochialibus ubi S. Ludovicus Rex est titularis, Festum S. Bartholomaei celebrari debeat die 24 Augusti; vel potius transferri pariter debeat (sede fixa) ad aliam diem, puta 6 Septembris? Et quatenus Affirmative ad secundam partem: An vigilia S. Bartholomaei transferri pariter debeat ad diem 5 Septembris?

Dubium III. An in Ecclesiis ubi S. Gabriel est titularis, secundae Vesperae dici debeant de titulari; vel de S. Ioseph Patrono totius Ecclesiae Catholicae?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus in re mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Si concessum fuit (ex privilegio) Calendarium Cleri Secularis Romani, prout intra Urbem, Affirmative; Si vero concessum fuit idem Calendarium prouti extra Urbem, Negative ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem, in casu; Negative, ad secundam, servata speciali Rubrica Missalis sub die 23 vel 24 Mensis Augusti ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; idest integrae Vespere fiant de S. Iosepho cum commemoratione praecedentis, iuxta Rubricas ».

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 11 Augusti 1888.

3695. IACEN.

Rm̃us Dominus Raymundus Fernandez y Lafita Episcopus Iacen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

Dubium I. An tolerari queat usus vigens in Ecclesiis parochialibus Civitatis Iacensis et in aliquibus ipsius Dioeceseos administrandi parvulis Baptismum extra fontem et ad aliquod Ecclesiae Altare festive paratum et ornatum quod alicui Sancto dicatum sit, qui peculiari devotione colitur, idque ad maiorem Sacramenti illius solemnitatem?

Dubium II. Canonici istius Cathedralis Ecclesiae in Vigiliis extra Adventum et Quadragesimam et in Processionibus ad Missas Rogationum nec non in Funeribus, excepta die 2 Novembris et obitu alicuius Canonici, loco mozzettae nigri coloris, qua ceteris anni diebus ex privilegio utuntur, assumere solent alteram coloris violacei. Anne licite hanc alteram mozzettam possint ipsi adhibere?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rescribendum censuit:

Ad I. « Relinquitur prudenti arbitrio Episcopi permittere in casu administrationem Baptismi extra locum fontis et apud Altare uti supra ».

Ad II. « Antequam quidquam decernere possit sub oculis habere oportet documentum, quo ab Apostolica Sede praefati Canonici usu mozzettae decorati fuerunt. Curet igitur Episcopus ut eiusmodi documentum ad hanc Sacram Rituum Congregationem transmittatur ».

Die 1 Septembris 1888.

3696. CONCORDIEN.

De mandato Rmi Domini Episcopi Concordien., hodiernus ipsius Cathedralis Ecclesiae Caeremoniarum Magister Sacrae Rituum Congregationi dubium sequens pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum ob aeris insalubritatem tum Rmi Episcopi tum Capituli sedes e Civitate Concordiae ad oppidum Portusgruarii legitime translatum fuerit inde ab anno 1586, Ecclesia sub titulo S. Andreae Apostoli in eodem oppido effecta est Auxiliaris Ecclesiae Cathedralis Concordien. Quandoque vero occurrit quod Officium Ecclesiae huius Cathedralis discrepet ab Officio Auxiliaris; prouti accidit die 29 Iulii proxime elapsi, qua die in Ecclesia Cathedrali et in Dioecesi Officium erat de Dominica, in Ecclesia autem Auxiliari de Dedicatione Ecclesiae. Quaeritur itaque: An hoc in casu Capitulum sequi debeat Calendarium Ecclesiae Auxiliaris?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, proposito dubio ita rescribendum censuit:

« Affirmative; praefatum enim Capitulum tenetur ad Officia specialia Ecclesiae Auxiliaris tamquam propriae, utpote ad Officia Dedicationis et Titularis unius Ecclesiae ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Novembris 1888.

3697. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM S. FRANCISCI.

Occasione edendi opus, cui titulus *Manuale liturgicum ad usum Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum*, nonnullae quaestiones obortae sunt inter eiusdem Ordinis rubricistas quoad peculiares ritus seu rubricas in eodem opere contentas. Ad eiusmodi porro quaestiones penitus dirimendas, Rmus Pater Fr. Bruno a Vintia, Procurator et Commissarius Generalis Ordinis ipsius, sui muneris esse duxit insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proponere; videlicet:

Dubium I. Utrum verbo aut scripto sustineri possit sententia eximens Fratres Capuccinos ab obligatione observandi illa Decreta S. Rituum Congregationis, quae Constitutionibus Ordinis in aliquo adversantur, et hoc quia dictae Constitutiones approbatae fuerint ab Apostolica Sede? Et quatenus Negative,

Dubium II. Utrum opinionis falsitas necessario notari debeat in textu auctorum talem sententiam forsitan propugnantium?

Dubium III. Utrum Capuccini licite possint incensationes Altaris perficere in Missis Conventualibus, vel aliis quae sine Ministris paratis et sine cantu celebrantur?

Dubium IV. Utrum, dato quod aliquando Missa cantetur cum Diacono et Subdiacono, isti possint esse simpliciter parati cum Alba, Cingulo, Stola et Manipulo respective, absque Dalmatica et Tunica, item respective?

Dubium V. Utrum tolerari possit usus Missam cantandi modo quasi psalmodico, seu semi-tonato?

Dubium VI. Utrum tolerari possit consuetudo, aliquibus in locis vigens, quod scilicet in Missa Conventuali Acolythus, seu minister, cotta non sit indutus?

Dubium VII. Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad Collectas, sive quoad Preces in fine Missae ex mandato SSmi Domini Nostri Leonis PP. XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in Altari accensorum?

Dubium VIII. Utrum diebus Dominicis Sacerdos, Conventualem Missam celebraturus, possit ad Altare accedere absque Casula seu Planeta, ad aspersionem faciendam, assumpta postea Planeta in cornu Epistolae?

Dubium IX. Auctor Manualis, de quo agitur, asserit, quod quando apud Capuccinos ad impertiendam benedictionem cum SSmo Sacramento (loco Albae) adhibeatur superpelliceum, semper tamen indui debet et amictus (uti in quacumque alia functione, in qua a Nostratibus pluviale adhibea-

tur), nedum ad tegendum et detegendum caput, sed praesertim ne superior extremitas caputii summitatem pluvialis excedat, quod esset prorsus indecens. Quid dicendum de Auctoris sententia?

Dubium X. An in consueta Missa et Processione Feriae V Maioris Hebdomadae, celebranti assistere possit Diaconus tantum Alba et Stola indutus, absque Subdiacono ipseque non tota durante Missa?

Dubium XI. Utrum cereus paschalis accendi possit in nostris Ecclesiis tempore Missae Conventualis, dierum non festivorum?

Dubium XII. Utrum tolerari possit quod Sacerdos cotta et Stola, vel Alba, Cingulo et Stola tantum indutus, peragat expositionem et repositionem SSmi Sacramenti: aut populo cum Ostensorio benedicat: aut SSmum Sacramentum in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi portet; an potius teneatur ad usum pluvialis in omnibus caeremoniis, in quibus ceteri Sacerdotes, haud Capuccini, pluviale portare debent?

Dubium XIII. Utrum Ciboria seu Tabernacula, ubi SS. Sacramentum asservatur, possint exterius esse ex nudo ligno, rudi colore depicto; vel potius debeant deaurari, aut pretiosius depingi, quam ceterae Altaris partes?

Dubium XIV. Utrum tolerari possint thecae Sacrarum Reliquiarum ad modum ostensorioli ex simplici et nudo ligno confectae?

Dubium XV. Utrum licite fieri possint privatim aliquae minores benedictiones Ritualis Romani cum sola Stola absque superpelliceo?

Dubium XVI. Utrum Capuccini teneantur ad observantiam Decretorum circa materiam paramentorum? Et quatenus Affirmative,

Utrum licite uti possint paramentis ex gossypio, lino aut lana, bona fide confectis, post istius materiae prohibitionem?

Dubium XVII. An Capuccini possint ad libitum et in una eademque Ecclesia sacras functiones peragere, nunc iuxta praescriptiones ordinarias Missalis Romani etc., nunc utendo Memoriali Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito?

Haec vero dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum protulit votum typis editum, quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta exposuerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, infrascripta die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative; data opportunitate ».

Ad III. « Negative; ex gratia tamen permitti in Missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis ».

Ad IV. « Observentur Missalis Rubricae ».

Ad V. « Retineri posse ».

Ad VI. « Negative ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Affirmative, si desit pluviale; et completa aspersione, vertat se ad cornu Epistolae, ibique sumat Manipulum et Casulam pro Missa celebranda ».

Ad IX. « Esse sustinendam ».

Ad X. « Negative; et deficiente Clero, sacram functionem peragi posse iuxta Memoriale Rituum, iussu Benedicti Papae XIII editum ».

Ad XI. « Negative; nisi aliter ferat consuetudo ».

Ad XII. « Si agatur de expositione et repositione SS. Sacramenti sufficit ut Sacerdos cotta et Stola sit indutus; nunquam cum Alba, Cingulo et Stola tantum. In Processionibus et benedictione cum SS. Sacramento in Ostensorio impertienda, omnino requiritur ut celebrans pluviale et velum humerale induat, sicuti cautum est Decreto in una Taurinen. diei 22 Iunii 1874 ».

Ad XIII. « PP. Capuccini retinere possunt Tabernaculum ligneum, affabre elaboratum ex concessione S. C. Episcoporum et Regularium 13 Iulii 1659 ».

Ad XIV. « Affirmative ».

Ad XV. « Servetur Rituale ».

Ad XVI. « Affirmative, ad primam partem; facta vero, quoad secundam, venia utendi huiusmodi paramentis, iam existentibus, donec consumantur ».

Ad XVII. « Si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum; si tres aut quatuor Clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 7 Decembris 1888.

3698. SENIEN. ET MODRUSSEN.

In nova quadam parochiali Ecclesia Dioeceseos Senien. et Modrussen. tria erecta

sunt Altaria, quorum maius ex integro lapideum est, reliqua mensam quidem habent integram ex una lapide, stipitem vero ex opere uti vocant *marmorizato*. Quum vero quaestio orta sit an haec minora Altaria tamquam fixa haberi possint, ideoque an una cum Ecclesia et maiori Altari rite consecranda sint; hinc Rm̃us Dominus Georgius Posilovic hodiernus Episcopus Senien. et Modrussen. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

Dubium I. Stipes Altaris fixi consecrandi debetne esse lapideus, ita quidem uti communiter putari ac facile probari possit totus lapideus?

Dubium II. Licet ne consecrare Altare, cuius nucleus, quamvis lapideus, undique tamen tectus sit lateribus, quibus superinducta est crusta *marmorizata*?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Decembris 1888.

3699. PALENTINA.

De consensu Rm̃i Domini Ioannis Lozano Episcopi Palentini, hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Sacrae Rituum Congregationi exposuit quod a Confraternitate Beatae Mariae Virginis sub vulgari titulo *de la Soledad*, declinante die, Feria VI in Parasceve per totam Urbem processionaliter deferri solet simulacrum Deiparae Titularis post imaginem Domini Nostri Iesu Christi in sepulcro positi. Quum vero nova machina super currum collocata nuper constructa fuerit ad praedictum Simulacrum deferendum, propterea quod cursus Processionis sit perlongus et statuae ipsius ingens pondus; hinc Episcopus obtemperans Decretis alias latis a Sacra Rituum Congregatione, quibus praecipitur ut Confratres sacco indutos super humeros capite detecto deferre debeant sacra Simulacra, merito vetuit usum praefati currus. Instantibus tamen Confratribus qui exemplum concessionis adducunt factae Sodalibus ab Immaculata Deiparae Conceptione, qui triumphali curru deferunt ipsius Deiparae Simulacrum; insequentia dubia eidem Sacrae Rituum Congregationi subiicienda transmittere censuit, quum agatur in casu non de Processione laetitiae et festivitatis sed moeroris ac luctus; nimirum:

Dubium I. Num prohibendum sit deferri statuam Beatae Mariae Virginis a Confraternitate vulgo *de la Soledad*, praefato curru ad solis occasum feriae VI in Parasceve? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Num pariter prohibendum sit deferri curru triumphali Statuam Immaculatae Deiparae Conceptionis in Processione quae fit mense Iulio a praedictis sodalibus?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, rescribendum censuit:

« Utroque in casu, enuntiatum currum permitti posse; sub conditione tamen quod aliquot respectivi Confratres sacco induti eundem currum comitentur ad huius latera ».

Die 14 Decembris 1888.

3700. GRANATEN.

Hodiernus Archidiaconus Metropolitanae Ecclesiae Granaten. de consensu sui Rm̃i Domini Archiepiscopi insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Archidiaconus praefatae Ecclesiae obligatur ne inservire Archiepiscopo in Officio diaconatus in omnibus functionibus Pontificalibus; vel tantum in Missa solemni?

Dubium II. In Ordinatione Clericorum cum Missa lecta licet ne Archidiacono ipsi assistentiam praebere Archiepiscopo in habitu chorali?

Dubium III. Pluviale super cappam est ne paramentum congruum ad inserviendum Archiepiscopo in eadem Missa lecta?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario et audita sententia alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, hisce dubiis sic rescribendum censuit:

Ad I. « Quoties praebendae non sint distinctae, Archidiaconus teneri in omnibus functionibus Pontificalibus, excepta sacra Ordinatione, in qua aliud speciale munus ab ipso Archidiacono est obeundum ».

Ad II. « Negative; Officium enim ab Archidiacono induto cotta super rochettum, prouti a duobus Canonicis Archiepiscopo Assistentibus exercendum est ad tramitem Pontificalis Romani ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».
Atque ita declaravit ac rescripsit.
Die 14 Decembris 1888.

3701. ADIACEN.

Rm̃us Dominus Paulus Matthaeus de la Foata hodiernus Episcopus Adiacen. quum in aliquibus verbis Bullae *Qui Christi Domini,* qua Concordatum inter S. Sedem et Galliae Gubernium confirmatum fuit, quaedam dubia suborta fuerint quoad Ecclesiarum Titulares et Patronos; eadem uti sequuntur Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

I. An una cum Titularibus Ecclesiarum suppressi et extincti fuerint Locorum Patroni?

II. An cum principaliore cuiuslibet Ecclesiae Titulari alii minus principales suppressi fuerint?

III. An ille solus sit tamquam verus Titularis habendus, sub cuius Titulo Ecclesia sive Cathedralis sive parochialis fuit virtute praedictae Bullae et Decretorum renovata?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I et II. « Negative ».
Ad III. « Affirmative ».
Atque ita rescripsit et declaravit.
Die 14 Ianuarii 1889.

3702. CONGREGATIONIS DE TRAPPA.

Rm̃us Dominus Fr. Maria Eugenius Vicarius Generalis Congregationis de Trappa Ordinis Cisterciensis sequens dubium pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Quum ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 26 Septembris 1868 in una Gadicen. seu Gaditana, in Officio Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. conclusio Hymnorum non sit immutanda; quaeritur: An eodem Festo occurrente infra octavam Visitationis B. M. V. in qua, iuxta Rubricas Ordinis, Hymni sic terminantur: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine;* conclusio Hymni ad Laudes (quae videtur propria) in praefato Officio mutanda sit, ita sonans:

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Praefatam Hymni conclusionem non esse immutandam ». Atque ita rescripsit.
Die 14 Ianuarii 1889.

3703. PREMISLIEN. LATINORUM.

Rm̃us Dominus Lucas Solecki Episcopus Premislien. Latinorum Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit in Sacellis privatis, quae sunt in Domibus Sororum intra fines Dioeceseos degentium, multis per annum diebus, vel per totam diem vel saltem post Missam et Vesperas, de venia Episcopi rite Sanctissimam Eucharistiam in Ostensorio exponi.

Quum vero ex una parte anceps haereat an tuta conscientia eiusmodi frequentiam expositionis concedere queat, et ex altera persuasum habeat pias Religiosas in animo dolore affectum iri si tanta spirituali consolatione priventur; hinc enixas preces porrexit, rogans ut Sacra Rituum Congregatio facultatem dignetur tribuere eamdem frequentem expositionem permittendi.

Et Sacra Rituum Congregatio rem omnem prudenti arbitrio Ordinarii remisit, ut, remotis cuiuslibet abusus occasionibus, eiusmodi expositiones saepe fiant ubi Ipsemet concedere velit.

Die 18 Februarii 1889.

3704. MACERATEN.

De consensu Rm̃i Episcopi Maceraten. R. D. Moderator Ephemeridum, quibus titulus vulgo *Monitore liturgico*, quaeque in ipsa Civitate Maceratensi publice eduntur, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum in aliquibus Dioecesibus vigeat usus quod funera associantur a toto Capitulo Canonicorum, atque in his Processionibus Canonicus gerens personam Parochi incedit cum Stola supra cappam canonicalem; quaeritur: An eiusmodi consuetudo retineri queat; vel potius per Decreta S. R. C. alias edita abrogata sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et Canonicus gerens personam Parochi induat rochettum et superpelliceum ac deinde Stolam: vel retento rochetto, induat Stolam cum pluviale nigri coloris ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 23 Martii 1889.

3705. SANCTI HIPPOLYTI.

Quod ad preces iussu Sanctissimi Domini Leonis Papae XIII in omnibus orbis Ecclesiis post privatam Missae celebrationem flexis genibus recitandas attinet, inter plures orta est quaestio: Num in Festo Nativitatis Domini nostri Iesu Christi a Sacerdote tres Missas celebrante preces istae, etiam quando post primam aut secundam Missam non disceditur ab Altare, post unamquamque Missam peragendae sint? An vero sufficiat si dumtaxat peragantur quoties ab Altari disceditur, sive discessio post primam Missam, aut post secundam, aut demum post tertiam fiat?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, proposito dubio respondit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Die 30 Aprilis 1889.

3706. BAIONEN.

Episcopus Baionensis suppliciter expostulat insequentium dubiorum solutionem:

Quotiescumque S. Sedes concedit privilegium asservandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in Oratoriis privatis, exigit: 1. Ut Oratorii porta saltem per aliquot diei horas fidelibus pateat; 2. ut ad minus bis in hebdomada Sanctissimum Sacrificium ibidem celebretur. Verum quarundam Congregationum Oratoria in Dioecesi Baionensi portam quae ad extra pateat nullimode habent, et nec semel per hebdomadam celebratur ibi Sanctissimum Missae Sacrificium; et cum de his conditionibus silere videntur Rescripta Apostolica quibus eadem Oratoria eiusmodi indulto fruuntur, hinc Episcopus orator humiliter expostulat:

Dubium I. Num permitti possit quod Sanctissimum Sacramentum asservetur in praefatis Oratoriis, quamvis nec semel in hebdomada ibi Missa celebretur? Et quatenus Negative,

Dubium II. Quoties in hebdomada celebrari debeat Missa? an semel tantum sufficiat; et an interdici debeat asservatio, si bis per hebdomadam Missa celebrari nequeat?

Dubium III. An necesse omnino sit ut porta ad extra pateat?

Sacra Rituum Congregatio, enunciatis dubiis a Secretario relatis, sic rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Si in iis Oratoriis Missa quotidie celebrari nequit, ab Apostolica Sede indultum petendum est, quae semel saltem in quavis hebdomada illam praecipere solet ».

Ad III. « Negative in casu; attento Apostolico indulto ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Maii 1889.

3707. CONGREGATIONIS DE TRAPPA.

R̄mus Dominus Fr. Tiburtius Procurator Generalis Congregationis de Trappa Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Festa de praecepto, translata ex Apostolico indulto in Dominicam in Dioecesibus particularibus, possint etiam in Monasteriis antiquioris reformationis de Trappa ad Dominicam transferri?

Dubium II. An Festa de praecepto, pro aliquibus Dioecesibus recolenda infra hebdomadam, debeant etiam celebrari eodem die in praefatis Monasteriis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit:

Ad I et II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Maii 1889.

3708. ROMANA.

Hodiernus Moderator Academiae Liturgicae in Urbe a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit insequentis dubii declarationem; nimirum:

In Decreto Urbis et Orbis per Aposto-

licas Literas (N. 1.) legitur: « Feria tertia non impedita, assignatur Officium Votivum de Sanctis Apostolis »; deinde subditur: « Romae vero de Sanctis Petro et Paulo ».

Cum autem plures Communitates Religiosae in maioris unitatis gratiam cum S. Sede utantur Calendario Cleri Romani proprio ut intra Urbem, quaeritur: An illa verba « Romae vero de Sanctis Petro et Paulo » eos tantum afficiant qui Romae materialiter degunt; an alios etiam, qui Calendario Cleri Romani utentes extra degunt quidem, sed ad Officium quod spectat, quid unum efficiunt cum Clero Romano?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Maii 1889.

3709. CALVEN. ET THEANEN.

Rm̃us Dominus Alphonsus Maria Giordano Episcopus Calven. et Theanen. a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem humiliter petiit; nimirum:

Num Sacrum Tabernaculum, in quo asservatur SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, debeat omni ex parte interius panno serico albi coloris vestiri, vel possit illud ex laminibus deauratis tantum ornari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito dubio sic rescribendum censuit:

« Nihil obstare quoad utrumque modum ». Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 5 Iunii 1889.

3710. PARISIEN.

seu

CONGREGATIONIS

SACRORUM CORDIUM IESU ET MARIAE.

Marcellinus Bousquet Superior Generalis Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae vulgo de *Picpus* Parisiis institutae, sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Quum Suae Congregationi concessum sit recitare more votivo Officium Sacri Cordis Iesu sub ritu semiduplici singulis Feriis VI per annum non impeditis Officio duplici vel semiduplici, extra Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora et Vigilias; quaeritur: Quando concurrunt secundae Vesperae Officii Votivi de SSm̃o Eucharistiae Sacramento cum primis Vesperis Officii Votivi Sacri Cordis Iesu, quomodo recitandae sint Vesperae? num a Capitulo de sequenti; an integrae de sequenti absque commemoratione praecedentis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, proposito dubio rescribere rata est:

« Totum de praecedenti, nihil de sequenti; ad tramitem Decreti (n. **3597**) in una Dubiorum die 24 Novembris 1883 ad IV ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Iunii 1889.

3711. NULLIUS

SANCTI MAURITII AGAUNENSIS.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Abbatialis et Cathedralis S. Mauritii Agaunensis Nullius Dioeceseos Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An specificari debeat in Canone Missae, Praeconio Paschali etc., nomen Abbatis, Episcopi, qui iurisdictionem quasi episcopalem et ordinariam obtinet tum in ipsam Agaunensem Nullius Dioeceseos Abbatiam tum in plura eidem Abbatiae subiecta loca; et ex Brevi Gregorii XVI diei 3 Iulii 1840 amplissimo titulo Episcopali Bethleem, in perpetuum condecoratur.

Dubium II. An in diebus anniversariis electionis et consecrationis eiusdem Abbatis, Episcopi, commemoratio fieri debeat in Missa hac adhibita veteri formula: « *Deus omnium Fidelium...... famulum tuum N. quem Ecclesiae Agaunensi praeesse voluisti etc.?* Et quatenus Negative,

Dubium III. An indultum obtineri possit quo nomen praedicti Abbatis, Episcopi, ponatur in Canone Missae, Praeconio Paschali etc.; et de eiusdem electione et consecratione in diebus anniversariis commemoratio fiat in Missa per formulam supra enunciatam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius

ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet :

Ad I et II. « Negative ».

Ad III. « Non expedire ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Iunii 1889.

3712. DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Altero nunc elabente seculo, ex quo Redemptoris nostri praecipua caritatis beneficia, sub Ipsius Sacratissimi Cordis symbolo, cultu peculiari, mirifice in dies adaucto, a fidelibus recoli coepta sunt; enixas iteratasque preces Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII quamplurimi sacrorum Antistites, Cleri etiam ac populi vota depromentes, undique porrexerunt, ut Festum SS. Cordis Iesu, a fel. rec. Pio Papa IX sub ritu Duplici maiori universae Ecclesiae praescriptum (Decr. S. R. C. 23 Augusti 1856, *Ex quo*), deinceps ad ritum Duplicis primae classis, citra obligationem festivi praecepti, elevare dignaretur.

Porro Beatissimus Pater, cui nihil potius est quam ut fideles *crescant in gratia et cognitione Domini Nostri Iesu Christi, ipsiusque sciant supereminentem scientiae caritatem,* huiusmodi supplicia vota libentissime excepit: eo praecipue animum Suum intendens, ut gliscentibus impietatis conatibus, fideles in hac saluberrima devotione perfugium et munimen inveniant, et vehementiori erga amantissimum Redemptorem amore inflammati, digna Ei laudis et placationis obsequia persolvant simulque pro Fidei incremento et Christiani populi pace atque incolumitate divinas miserationes ferventibus implorent. Hisce permotus Beatissimus ipse Pater, Sacrorum Rituum Congregationis audito consilio, de speciali gratia et privilegio, decernendum censuit :

Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex Apostolicae Sedis indulto gaudent privilegiis, Festum Sanctissimi Cordis Iesu ritu Duplicis primae classis sine octava in universa Ecclesia amodo celebretur; absque praecepto audiendi Sacrum et a servilibus operibus abstinendi.

Idem Festum Feria VI post Octavam Corporis Christi, veluti in sede propria, recolatur; et nonnisi Solemnitatibus primariis eiusdem ritus occurrentibus locum cedat : quibus in casibus, die immediate ea Festa sequenti, veluti in sede propria, reponatur.

In concurrentia Festi SSm̃i Cordis Iesu cum die octava Corporis Christi, Vesperae integrae fiant de eadem octava, sine ulla commemoratione, attenta indole peculiari utriusque Festi. Quoad concurrentiam vero cum duplicibus primae classis ambae Vesperae ordinentur ad tramitem Rubricarum et Decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

Insuper ad fidelium pietatem erga Sacratissimum Cor Iesu impensius fovendam, Sanctissimus Dominus Noster libens ultro concessit, ut in cunctis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus die festo, sive proprio sive translato, ipsius Sacri Cordis Iesu, coram Sanctissima Eucharistia persolventur divina Officia ; Clerus et populus, qui hisce Officiis intererit, easdem lucretur Indulgentias, quas fidelibus, divinis Officiis per octiduum Corporis Christi adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt.

In iis vero Ecclesiis et Oratoriis, ubi Feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur ; Beatissimus Pater indulsit, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de Sacro Corde Iesu ; dummodo in illam diem non incidat aliquod Festum Domini, aut duplex primae classis, vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis : de cetero servatis rubricis.

Voluit demum Sanctitas Sua, ut per hoc Decreto expediantur Literae Apostolicae in forma Brevis.

Die 28 Iunii, Festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno 1889.

3713. TLASCALEN. seu ANGELOPOLITANA.

Rm̃us Dominus Franciscus Meliton Vergas hodiernus Episcopus Tlascalen. seu Angelopolitanus sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit ; nimirum :

An in qualibet Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti publica expositione, antequam in tabernaculo idem reponatur, benedictio fidelibus cum eodem Sanctissimo Sacramento impertiri debeat, ita ut eam omittere non liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 12 Iulii 1889.

3714. RUREMONDEN.

Rm̃us Dominus Franciscus Antonius Boermans hodiernus Episcopus Ruremonden. exposuit quod in Calendario ac Proprio Dioeceseos, ab Apostolica Sede die 7 Septembris 1867 approbato, habetur die 25 Iulii Festum S. Christophori Martyris in Civitate Ruremonden. utpote Patroni Ecclesiae Cathedralis et Civitatis sub ritu Duplici primae classis pro universa Dioecesi assignatum. Quum vero in una Nottinghamen. diei 26 Martii 1859 Sacra Rituum Congregatio edixerit Festum seu Officium Titularis Ecclesiae Cathedralis celebrandum esse sub ritu duplici primae classis cum octava ab universo Clero Seculari; hinc exorta insequentia dubia pro opportuna declaratione eidem Sacrae Rituum Congregationi Rm̃us Dominus orator humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Num adhuc Festum S. Christophori a Clero Seculari Dioecesis Ruremonden. extra Civitatem celebrandum sit sub ritu semiduplici et sine octava ad normam Proprii et Calendarii Dioecesani; an potius in posterum Festum istud a praedicto Clero agendum sit sub ritu duplici primae classis cum octava? Et quatenus Affirmative ad secundam partem,

Dubium II. Num in Ecclesiis parochialibus in quarum Calendariis diei 27 Iulii Officium S. Iacobi (probante Episcopo) olim affixum fuit, modo ulterius sit transferendum; an potius istae immutationes in particularibus Calendariis factae, tamquam erroneae, sint corrigendae iuxta Rubricas?

Dubium III. Num in Ecclesiis quae die 25 Iulii celebrare tenentur Festum S. Iacobi, quippe quae eum Patronum habent, ac proinde die 27 Iulii Officium S. Christophori in perpetuum affixum habent, octava huius S. Martyris proroganda sit ad diem 3; an potius finienda die 1 Augusti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 12 Iulii 1889.

3715. S. FIDEI NEOGRANATEN.

Quum ex parte Vicarii Capitularis Archidioeceseos S. Fidei Neogranaten., ea sede vacante, Sacrae Rituum Congregationi propositum fuit dubium:

An monumentum ligneum ac duae imagines cuiusdam Archiepiscopi intra ambitum Ecclesiae Metropolitanae in urbe Bogotae extantes, quae a rudibus fidelibus tamquam cultu dignae habentur, inde removeri atque in Sacristia vel alibi collocari debeant?

Sacra Rituum Congregatio, audito R.P.D. Promotore Fidei, sic rescripsit:

« Affirmative; iuxta Decreta s. m. Urbani Papae VIII et normas a Benedicto Papa XIV traditas ».

Die 31 Augusti 1889.

3716. RUTHENEN.

Iussu Rm̃i Episcopi Ruthenen. hodiernus Ordinator Calendarii, in usum Cleri ipsius Dioeceseos, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

In nonnullis Monialium Oratoriis Feria V in Coena Domini Cappellanus Missam celebrat sine cantu neque hostiam consecrat pro Missa Praesanctificatorum. Expleta Missa, Sanctissimum extrahit e tabernaculo, illumque in Calice vel in pixide velo cooperto superius collocat ut per totam diem a Monialibus et ceteris fidelibus adoretur. Quaeritur: An eiusmodi praxis ab Episcopo permittenda seu toleranda sit; vel omnino prohibenda?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Expositionem Sanctissimae Eucharistiae, de qua in casu, prohibendam esse ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Novembris 1889.

3717. CENETEN.

Rm̃us Dominus Sigismundus Brandolini Rota hodiernus Episcopus Ceneten. Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

In nonnullis Cenetensis Dioeceseos parochialibus Ecclesiis consuetudo ab immemorabili tempore invaluit deferendi haud exigua pompa Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per vias publicas horis nocturnis Feria V in Coena Domini. Quaeritur: An eliminandus sit huiusmodi usus; vel tolerandus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita respondit ac declaravit.

Die 30 Novembris 1889.

3718. SANCTI IACOBI DE CHILE.

Rm̃us Dominus Marianus Casanova hodiernus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Per Apostolicam Bullam *Pastoralis Officii* s. m. Gregorii XIII diei 30 Decembris 1573, Hispaniarum Regnis eorumque possessionibus concessum fuit privilegium, vi cuius diebus Paschalibus et Festivitatibus maioribus in quibus celebret Missam Conventualem Antistes, vel alia persona principalis, non tenetur facere aspersionem aquae benedictae a Rubricis Missalis praescriptam, sed eius loco et vice illam facere possit quilibet simplex Sacerdos.

Iamvero persona principalis, de qua adest privilegium, semper intellecta fuit tam de Dignitatibus quam de Canonicis omnibus; uno vel altero discrepante, qui de Dignitatibus tantum vellet intelligi. Sed e contra Synodus in hac habita Archidioecesi anno 1763 iussit in Constitutione III, Tit. XI, ut praedictam aspersionem in hac Cathedrali Ecclesia, uti fuerat mos, faceret Diaconus in Missa maiori ministraturus; quem quidem morem post hoc retinendum constituit. Diaconi vero qui tunc temporis in Missa maiori ministrabant erant Canonici dicti Portionarii, qui nunc in nova Cathedralis erectione suppressi, et a minoribus Beneficiatis qui Chori Cappellani vocantur, suffecti fuerunt.

His expositis, quaeritur: Utrum hic immemorabilis mos a Dioecesana Synodo recognitus, quodque magis est, iussus, nempe aspersionis faciendae non a Celebrante sed a Diacono in Missa ministraturo retineri possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribere rata est; videlicet:

« Servetur Caeremoniale ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Decembris 1889.

3719. NUCERINA PAGANORUM.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Nucerinae Paganorum, de consensu sui Rm̃i Episcopi, insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Capitulum praefatae Ecclesiae per dispensationem obtentam a Sancta Sede non tenetur ad quotidianum servitium Chori, sed solum diebus Dominicis et Festivis aliisque in Brevi Apostolico assignatis. Hinc quaeritur:

I. Teneturne ipsum adesse Choro in die anniversaria pro Episcopo proxime defuncto? Et quatenus Negative,

II. Quomodo se gerere debet Episcopus pro adimplendo munere suo quoad anniversarii supradicti celebrationem, prout in Caeremoniali Episcoporum dictum est?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, his dubiis ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Capitulum teneri ad tramitem Caeremonialis Episcoporum ».

Ad II. « Provisum in antecedenti ».

Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 10 Ianuarii 1890.

3720. ALBANEN.

Quum Abbatia S. Alexandri Miriditarum in Albania anno 1888 restituta sit, ex pluribus Paroeciis constituta, sub regimine Abbatis benedicti, nec tamen in Episcopum consecrati; quaeritur num recte in novo

Dioecesium Albanensium Calendario assignetur diei 4 Novembris, anniversariae benedictionis illius Abbatis, Oratio sive commemoratio pro ipso, item ac pro Episcopo residente in eius consecrationis episcopalis anniversario.

Sacra Rituum Congregatio, rescribendum censuit:

« Negative in omnibus; neque ullam de anniversario benedictionis Abbatis commemorationem esse admittendam ».

Die 10 Ianuarii 1890.

3721. HARLEMEN.

Gaspar Bottemanne Episcopus Harlemen. Sacrae Rituum Congregationi duo dubia subiecit pro opportuna solutione, circa Communionem dandam ab Episcopo consecrante Neo-Presbyteris in Missa Sacrae Ordinationis; nimirum:

Dubium I. Num Pontifex in communicandis Neo-Presbyteris adhibere valeat formulam *Corpus Domini Nostri Iesu Christi etc.;* vel potius hanc omittere?

Dubium II. An Pontifex communicare debeat Neo-Presbytoros ante; vel postquam Diaconi et Subdiaconi dixerint *Confiteor?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et dentur Decreta in Syren. diei 31 Augusti 1872 ad II; et in una Marsorum diei 12 Novembris 1831 ad 10. Quae quidem Decreta, si bene perpendantur, minime pugnant cum Rubrica Pontificalis Romani de Ordinatione Presbyteri part. I et III; sed eam non satis perspicuam declarant, ita ut pateat ex ipsis formulam, de qua in primo dubio, esse omittendam; et Presbyteros esse communicandos antequam Diaconi et Subdiaconi recitent Confessionem.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 17 Ianuarii 1890.

3722. PACEN.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Pacen., de mandato sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione et declaratione humillime subiecit; videlicet:

Dubium I. In Pacensi Ecclesia Cathedrali extat consuetudo canendi Responsorium pro duobus defunctis, die Sabbato, expleta Missa votiva B. M. V., quae celebratur post Primam, depositis a Celebrante et Ministris paramentis albis sumptisque aliis nigri coloris; licet ea die occurrat Officium ritus duplicis. Potestne tolerari haec consuetudo?

Dubium II. In praefata Ecclesia Ceroferarii, qui nec tonsura initiati sunt, Albam et Dalmaticam etsi non benedictas induunt. Quum hic usus iam in aliquibus Dioecesibus vigeat Ditionis Boliviae; quaeritur an sit permittendus?

Dubium III. Invaluit etiam consuetudo, dum aspergitur Chorus die Dominica, ad intonationem ℣. *Gloria Patri* aspersionem paulisper interrumpendi. Potestne hic usus sustineri?

Dubium IV. Per integrum annum 1884 Capitulum Cathedralis Ecclesiae Pacen. quum Officia votiva adoptasset (indulta universae Ecclesiae die 5 Iulii 1883) unicam Missam Conventualem celebravit, Officio votivo respondentem, quando in Quadragesima et extra non fiebat Officium de Festo alicuius Sancti proprio vel translato. Quum vero id bona fide factum fuerit, eo quod censeretur recte obligationi suae ita satisfieri post adoptionem praefatorum Officiorum; hinc humillime petitur condonatio.

Dubium V. In Vesperis ac Missis solemnioribus, quoties Canonici, qui pluvialia induunt, recedunt a magno lectorili et veniunt ad sua loca, toties Choro Praefectus et post illum dignior alternatim surgunt et salutant. Ast quum id fiat multoties (et forsan quid superfluum ac ridiculum in hoc videatur) quaeritur an servandus sit eiusmodi usus?

Dubium VI. Canonici, qui induunt pluvialia ac deferunt cannas argenteas (vulgo *cetros*), debentne genuflectere, sicut ceteri, in Missa solemni de Requie ad Orationes; vel debent stare, genuflectentes tantum ad elevationem?

Dubium VII. In Officio solemni Matutini et Laudum Celebrans non induit pluviale ad legendam IX Lectionem, sed tantum in Altari ad incensationem; ac statim deponit illud: praeterea desunt Acolythi deferentes candelabra. Quaeritur an hoc liceat?

Dubium VIII. In praefata Ecclesia Cathedrali canitur Responsorium pro Defun-

ctis, mane et vespere, quando Rubrica non obstat; et inter ceteras Orationes recitatur etiam quae incipit *Deus indulgentiarum Domine.* Quum id veritati non sit consonum, debetne ea Oratio per aliam subrogari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, ita propositis dubiis censuit rescribendum; nimirum:

Ad I et II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Supplicandum SSmo pro gratia sanationis quoad praeteritum ».

Ad V. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad VI. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VII. « Non licere ».

Ad VIII. « Affirmative; subrogando scilicet aliam Orationem ex diversis ut in Rituali ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 24 Ianuarii 1890.

Facta autem per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione de contentis in quarto dubio, Sanctitas Sua expetitam sanationem benigne impertita est quoad praeteritum. Die 21 Februarii anno eodem.

3723. ORDINIS PRAEDICATORUM.

Rmus P. Marcolinus Cicognani Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, exponens quod plurimi Fratres sui Ordinis ad devotionem promovendam erga Beatissimam Deiparam a Rosario per Imaginem quae colitur in Valle Pompeianorum, hanc Iconem exponere coeperunt in Ecclesiis ipsius Ordinis; cupiensque eorumdem fovere pietatem: verum iuxta leges a Sacra Rituum Congregatione sancitas, insequentia dubia pro opportuna solutione eidem Sacrae Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An liceat in Ecclesiis, in quibus canonice sunt erectae SSmi Rosarii Confraternitates, antiquae Imagini Beatae Virginis Mariae de Rosario substituere Imaginem pompeianam? Et quatenus Negative,

Dubium II. An liceat Imagini B. M. V. de Rosario in eodem Altari Imaginem parvam pompeianam supponere, uti vulgo dicitur *sotto quadro?* Et quatenus Negative,

Dubium III. An liceat in praefatis Ecclesiis dedicare dictae Imagini B. M. V. Pompeianae aliud Altare? Et quatenus Negative,

Dubium IV. An liceat saltem in aliquo loco earumdem Ecclesiarum Imaginem B. M. V. pompeianam publicae venerationi exponere? Et quatenus Affirmative,

Dubium V. An eam visitando easdem Indulgentias Altari Sanctissimi Rosarii concessas Christifideles et Confratres lucrari valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Rmis PP. Consultoribus Theologis, propositis dubiis rescribere rata est:

« Negative in omnibus ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 24 Februarii 1890.

3724. VICARIATUS APOTOLICI VICTORIAE NYANZENSIS.

Rmus Dominus Leo Livinhac Episcopus Pacanden. et Vicarius Apostolicus Victoriae Nyanzensis insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An benedictio solemnis fontis Baptismatis possit vel debeat fieri Sabbato Sancto, in Oratorio publico missionis in quo quidem administratur Baptismus, sed in quo non extat fons Baptismatis proprie dictus ad portam Oratorii? Et quatenus Negative.

Dubium II. An saltem Sabbato Sancto aqua baptismalis privatim, breviori formula utendo, consecrari debeat; vel potius antea consecrata, adhuc deinceps inservire possit?

Dubium III. An quum nova sacra Olea recipiuntur, nova aqua baptismalis consecrari debeat; vel potius aqua iam antea cum veteribus Oleis extra Sabbatum Sanctum consecrata, adhuc inservire possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; nisi obtineatur facultas ab Apostolica Sede: Affirmative, ad secundam; si non adsit nova aqua benedicta ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 19 Aprilis 1890.

3725. MELITEN.

Hodiernus Cathedralis Ecclesiae Melitensis Caeremoniarum Magister, de mandato sui Ordinarii, dubium proposuit Sacrae Rituum Congregationi enodandum circa nonnulla Altaria ad modum fixi consecrata, in eadem Meliten. Dioecesi, quorum mensa non constat ex unico et integro lapide, uti praescribitur pro fixis Altaribus: atque inter haec haberi subdidit in quadam Ecclesia consecrata unicum Altare maius ita consecratum. Ad vitandam tamen fidelium admirationem, ab Apostolica Sede expetivit benignum indultum, vi cuius omni defectu sanato, super iisdem Altaribus sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari valeat.

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribere rata est:

« Quoad Altare maius unicum consecratum in Ecclesia consecrata, rursus illud consecretur, mensa eius ex integro lapide constituta; quoad cetera vero Altaria, ubi commode ipsorum consecratio reiterari nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur, ad instar Altaris portatilis ».

Atque ita rescripsit.
Die 26 Aprilis 1890.

3726. BELLUNEN.

ET FELTREN.

R̃mus Dominus Salvator Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. Sacrae Rituum Congregationi haec quae sequuntur humiliter exposuit:

Pontificale Romanum agens de Altaris portatilis consecratione nusquam de caementi benedictione ad firmandum parvi sepulcri lapideum operculum verba facit: et solummodo praecipit ut Episcopus, sacris in eodem sepulcro Reliquiis repositis, illud claudat. Hinc Episcopus orator hac in re obsequens ea quae tradit cl. Martinucci in Manuali sacrarum caeremoniarum, quamplura Altaria portatilia pro utraque sua Dioecesi consecrans, neque caementum benedixit, nec sepulcra ipsemet lapideo clausit operculo: id muneris assistentibus Sacerdotibus relinquens, qui fortasse aqua non benedicta in caemento conficiendo saepe usi sunt. De episcopali vero sigillo super sepulcra imprimendo ne quidem cogitavit: et in Pastoralibus visitationibus siquando lapidem sepulcri reperiit minus firmiter caemento connexum, illud novo addito caemento a Parocho vel alio Sacerdote firmari iussit. Perlectis deinde recentioribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis, praesertim in Policastren. diei 23 Iunii 1879, in Lucana diei 3 Septembris 1879, S. Ioannis in America diei 15 Decembris 1882 et in Ravennaten. diei 18 Maii 1883, dubium exortum est, utrum recte quae exposuit gesta fuerint.

Hinc idem R̃mus Episcopus insequentia dubia pro opportuna declaratione eidem Sacrae Congregationi enodanda proposuit; nimirum:

Dubium I. An caementum pro firmando in Altari portatili sepulcri lapide benedicendum sit ritu pro Altaris fixi consecratione praescripto?

Dubium II. An ipse Episcopus idem sepulcrum caemento linire et lapide claudere debeat?

Dubium III. An episcopale sigillum super parvum sepulcrum Altaris addendum sit?

Haec porro dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum votum typis cusum protulit, quum ab Eminentissimo et R̃mo Domino Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto proposita fuerint in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis; Em̃i et R̃mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Si agatur de unico Altari portatili consecrando, Affirmative; si vero agatur de pluribus Aris portatilibus consecrandis, satis est ut Episcopus liniat caemento labium sepulcri unius Arae, et dum ipse prosequitur in sacrarum Reliquiarum repositione, assistentes Sacerdotes lituram et cuiusque sepulcri clausuram peragant ».

Ad III. « Sigillum episcopale non debere apponi ».

Atque ita declararunt et rescripserunt.
Die 10 Maii 1890.

3727. ORDINIS

SANCTI BENEDICTI.

R̃mus D. Romaricus Flugi, Abbas Generalis Congregationis Cassinensis a primaeva

Observantia Ordinis S. Benedicti, sequens dubium a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime expetivit; nimirum:

Ex Decreto S. R. C. diei 16 Septembris 1886 Festum S. Catharinae Fliscae Adurnae Vid. ad cunctas Italiae atque Insularum adiacentium Dioeceses extensum fuit. Quum vero non omnes conveniant circa illius Decreti interpretationem ad Regulares quod attinet, hinc quaeritur: An Regulares in Italia eiusque Insulis adiacentibus teneantur ad Festum praefatum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rescribere rata est:

« Negative ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 10 Maii 1890.

3728. MONTIS REGALIS.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Metropolitanae Montis Regalis in Sicilia de mandato sui Rmi Archiepiscopi a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. Num SSmum Sacramentum ex Altari proprio (ob paroeciam in Cathedrali existentem) occasione Novemdialis possit transferri in Altare functionis, spatio unius Missae, ob frequentiam populi ad Sacram Synaxim accedentis, relicta ibi (in Altari SSmi Sacramenti) altera Pyxide pro infirmis?

Dubium II. Num tolerari possit consuetudo exponendi SSmum Sacramentum, et coram eo Missam celebrandi (occasione Novemdialis) in qua fit post Evangelium praedicatio Verbi Dei et plerumque de Sanctis; et in qua populus frequens accedit ad Sacram Synaxim?

Dubium III. Utrum Episcopus Processionem SSmi Sacramenti pontificaliter peracturus (exceptis Processionibus in Festo Corporis Christi per Urbem et Feria V in Coena Domini ad Sacellum) debeat medius incedere inter Ministros de more indutos; an inter Diaconos assistentes, prouti provisum est in Caeremoniali Episcoporum de praedictis duabus Processionibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative; apposito tamen velamine ante Sanctissimam Eucharistiam, dum habetur concio ».

Ad III. « Serventur praescriptiones Caeremonialis Episcoporum pro Festo Corporis Christi ».

Atque ita rescripsit.

Die 10 Maii 1890.

3729. LINCIEN.

Rmus Dominus Franciscus Salesius Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An tolerari possit mitra coloris rubri vel violacei, quando paramenta sunt eiusmodi coloris?

Dubium II. Cuiusnam coloris debent esse Caligae, Sandalia et Chirothecae?

Dubium III. An in Dedicatione Ecclesiae uterque Diaconus et Subdiaconus sumere debeat Dalmaticam et Tunicellam; cum Rubrica Pontificalis has vestes excludere videatur?

Dubium IV. A quonam et quando extergendae sunt Cruces inunctae in parietibus in Dedicatione Ecclesiae; cum Pontificale eas extergendas praescribens, id non indicet?

Dubium V. An earum unctio incipere debeat ex parte Evangelii?

Dubium VI. Anne quando plura Altaria in Dedicatione Ecclesiae consecrantur, in Litaniis addenda sint nomina Sanctorum singulorum Altarium, non tantum eorum quorum Reliquiae in singulis reconduntur, sed et eorum in quorum honorem Altaria singula consecrantur?

Dubium VII. Anne quando plura Altaria in Dedicatione Ecclesiae consecrantur, post inunctas duodecim Cruces in parietibus, Altare maius tantum thurificandum sit, reliqua vero Altaria non?

Dubium VIII. Cum nunc temporis in Dedicatione Ecclesiae sermo et lectio Decretorum ante fores Ecclesiae (priusquam processio cum sanctis Reliquiis Ecclesiam ingrediatur) omittantur; ideo ne omitti debet ℟. *Erit mihi Dominus . . . . decimas etc.*?

Dubium IX. An finita Missa post Ecclesiae Dedicationem, Episcopus debeat impertire solemniter Benedictionem Pontificalem *Sit nomen Domini benedictum;* etiam si ipsemet (sive solemniter sive privatim) celebraverit?

Dubium X. Anne in consecratione plurium Altarium fixorum, sufficiat unicus Sa-

cerdos continue incensans singula Altaria, dum Episcopus in singulis actiones peragit; vel debeant esse tot Sacerdotes quot sunt Altaria, qui etiam reliqua Altaria continuo thurificent, dum Episcopus in singulorum uno actiones perficit?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanas Aedes subsignata die coadunata, habita prius sententia in scriptis reddita preloque cusa alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem Eminentissimi et Rmi Domini Cardinalis eidem Congregationi Praefecti, omnibus mature perpensis, ita rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Non esse prorsus tolerandam; et super mitrae qualitate et usu consulendum Caeremoniale Episcoporum Lib. I. Cap. XVII ».

Ad II. « Coloris paramentorum ».

Ad III. « Negative; iuxta Rubricam Pontificalis, in quo clare disponitur quaenam sacra indumenta sumere debeat uterque Diaconus et Subdiaconus ».

Ad IV. « Cruces in parietibus extergendas a Diacono, quatenus Oleum sanctum per murum defluat et statim ac Episcopus cuiusque Crucis unctionem peregerit. Si tamen cum Episcopo locus non esset Ministris sacris ascendendi scalam, ascendat cum eo saltem Caeremoniarius, a quo, hoc in casu, Cruces abstergantur ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « In Litaniis bis esse invocandos respectivo ordine Sanctos illos, quorum nomini dedicantur Altaria; et Sanctos Martyres, quorum Reliquiae in ipsis Altaribus reponuntur, si eorum innotescant ».

Ad VII. « Omnia Altaria thurificanda ».

Ad VIII. « Negative ».

Ad IX. « Affirmative ».

Ad X. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 17 Maii 1890.

3730. PLURIUM DIOECESIUM.

Quum in nonnullis Dioecesibus usus vigeat perficiendi in Vigilia vel in Festo Epiphaniae Domini solemnem aquae benedictionem peculiari adhibito ritu; a Sacra Rituum Congregatione iampridem quaesitum fuerat, an eiusmodi ritus licite servari valeat. Sacra vero eadem Congregatio, antequam eiusmodi quaestionem definiret, voluit ut ea sub omni respectu expenderetur, simul exquisitis virorum in rebus liturgicis apprime peritorum votis, praesertim quoad huiusce ritus varietatem, quae in supradictis Ecclesiis obtinet, propter Sacrae Liturgiae latinae a graeca, unde ritus ipse desumptus est, discrepantiam; quae vota una cum ceteris omnibus documentis rem ipsam respicientibus a R. P. D. Promotore S. Fidei collecta, additoque novo praefati ritus schemate ab ipsomet exarato, Sacri Coetus discussioni subiicerentur.

His itaque rite comparatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis subsignata die coadunatis, accuratum examen instituerunt super natura enunciati ritus, eiusque ab Orientali Ecclesia derivatione, nec non super causis quae illius usum in aliquibus Ecclesiis latini ritus consuluerunt, inspectis insuper variis ipsius formulis hinc inde usitatis; ac demum perpensis rationibus, quibus permitti posset vel tolerari eiusmodi ritus, saltem in locis ubi inductus fuit, prohibendo tamen ne alibi unquam adhibeatur, utpote omnino proprius Graecae Ecclesiae, atque ab indole latini ritus plane alienus. Hinc per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum proposito dubio: An in aquae benedictione, quae in Vigilia vel in Festo Epiphaniae in aliquibus locis cum aliqua solemnitate fieri consuevit, permittendus sit ritus alius quam qui praescribitur a Rituali Romano ad faciendam aquam benedictam?

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus in re mature expensis, rescribendum censuerunt:

« Negative ».

Die 17 Maii 1890.

Quibus per Secretarium Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 11 Iunii anno eodem.

3731. MONTIS POLITIANI.

Hodiernus Ordinator Calendarii pro Clero Dioeceseos Montis Politiani, de mandato sui Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Missa votiva SSmi Cordis Iesu per Decretum diei 28 Iunii 1889 pro Ecclesiis, in quibus de mane exercitia pie-

tatis in honorem eiusdem Divini Cordis peraguntur, concessa, debeat ne celebrari sine *Gloria,* sine *Credo* et cum tribus Orationibus; an ritu quo celebrantur Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione?

Dubium II. In eodem Decreto statuitur quod secundae Vesperae diei octavae Corporis Christi sunt dicendae sine ulla commemoratione. Cum non sint concordes Ordinatores Calendariorum in interpretandis his verbis; quaeritur: An per eadem verba commemoratio sequentis Festi SS. Cordis excludatur; atque etiam commemoratio alicuius Sancti eo die ad modum simplicis redacti, ut accidit hoc anno pro S. Ioanne a S. Facundo?

Dubium III. Capitulum Vesperarum in Festis Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. et S. Catharinae Fliscae Adurnae dicendumne est etiam ad Tertiam?

Dubium IV. Quando Episcopus Feria V in Coena Domini bis procedit ab Altari ad mensam pro sacris Oleis conficiendis et ad Altare regreditur, debetne uti baculo pastorali?

Dubium V. In benedicendo populo post Communionem extra Missam ministratam, atque in absolvendis fidelibus in Poenitentiae Sacramento, debetne Episcopus unam tantum, vel tres Cruces efformare?

Dubium VI. Si Sabbato Sancto fiat sacra Ordinatio, dicendae suntne Litaniae in Missali pro tali die assignatae; vel illae consuetae quae habentur in Pontificali Romano?

Dubium VII. Dioeceses, quibus concessum est Officium B. M. V. titulo Boni Consilii, tenenturne assumere novum Officium cum respondenti Missa pro eodem Festo a Sacra Rituum Congregatione anno 1884 approbatum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; nimirum:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Utraque commemoratio est omittenda ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VI. « Dicendae sunt in casu Litaniae in Missali assignatae, additis quae Episcopus proferre debet super Ordinandos post ℣. *ut omnibus fidelibus defunctis etc.* ».

Ad VII. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 20 Maii 1890.

3732. LITTERAE CIRCULARES

quibus edicitur regulam esse quod non liceat in una eademque Ecclesia exponere imagines depictas vel statuas eumdem referentes coelitem; et hanc regulam prae oculis habuisse Sacra Congregatio Rituum quoad nonnulla dubia respicientia imaginem Deiparae quae colitur in Templo Vallis Pompeianorum. (1)

Firma ecclesiastica Liturgiae Regula est, ab hac Sacra Rituum Congregatione continenter inculcata, in una eademque Ecclesia, eoque magis in uno eodemque Altari, duas pluresve depictas tabulas aut statuas unum eumdemque Coelitem referentes, vel si agatur de SSma Virgine, Deiparam referentes sub uno eodem titulo invocatam, publicae venerationi exponi non posse.

Eiusmodi regulam, quae exceptionem nequaquam admittit, eadem Sacra Congregatio prae oculis habuit quum, Decreto die XXIV Februarii huiusce anni edito, quibusdam sibi a Rmo Procuratore Generali Ordinis Praedicatorum propositis dubiis responderet, quae ad morem referebantur in quopiam Templo, ubi iam exposita SSmae Virginis a Rosario nuncupatae colebatur effigies, alteram, cui idem titulus inerat, exponendi, quaeque in Templo in Valle Pompeianorum recens extructo cultum obtinet.

Enimvero quidquid sit de illo peculiari loco ubi SSma Virgo Maria huiusmodi cultu honestatur, et de beneficiis gratiisque singularibus, quas Deus fidelibus quibuslibet, eo accurrentibus vel ad Virginem ibi veneratam confugientibus, concedere dignatur; extra omne dubium est effigiem illam in iis quae minus praecipua sunt, si leves quasdam varietates excipias, Dei Matrem a Rosario pariter nuncupatam referre.

(1) Habes Dubia, de quibus agitur, sub n. **3723**.

Nequit igitur in Ecclesiis publicisque quibuslibet sacris Aedibus illa exponi ubi alia eiusdem nominis imago venerationem a fidelibus populis cultumque obtinet. Quapropter etsi post illius Decreti publicationem pleraque postulata ad Romanum Pontificem pervenerint implorandi gratia, ut aliqua in Ecclesia, una cum vetusta effigie SSm̃ae Virginis a Rosario, altera consistere sineretur, cui a Pompeiis nomen adiicitur, enuntiatae normae derogare non libuit; quod quidem responsiones ab hac Sacra Congregatione identidem datas mirifice fulcit et explicat.

Has vero responsiones, quoad pertinent ad sacras Indulgentias, quod hactenus dictum est apprime confirmant; videlicet duas illas Beatae Virginis Imagines unum idemque esse. Proinde quin novae Indulgentiae, quae a S. Sede concedi poterunt, excludantur, quoad iam concessas, S. Congregatio conditiones, quas alias ad id opus praescripsit, servandas edicit.

Interim ut huiusmodi petitionibus finis imponatur, utque in omnium memoriam sacrae Liturgiae Regulae similibus in casibus observandae, etiam atque etiam revocentur; haec Sacra Congregatio, a Romano Pontifice susceptis mandatis, opportunum iudicavit hasce Eminentiae Vestrae Literas dare, affatim confidens fore, ut iisdem ad hanc, quamvis alioqui adeo salutarem ac laude dignam, erga SSm̃am Virginem a Rosario religionem aequis limitibus continendam sapienter utatur.

Ad Em̃um et Rm̃um Dom. Raphaelem Card. Monaco La Valletta Romani Pontificis pro Templo Vallis Pompeianorum Vicarium.

Die 20 Maii 1890.

3733. SQUILLACEN.

Sodales cuncti Confraternitatis S. Mariae de Carmelo in Civitate Squillacen. et ipsorum Pietatis Magister, posteaquam Decretis Sacrae Rituum Congregationis obsequentes, invectum morem iam intermiserant adiiciendi Litaniis Beatae Virginis invocationem eius sub titulo Carmeli, indultum modo Sanctissimi humillime expetierunt, quo ipsis morem eiusmodi rursus inducere permitteretur.

Sacra vero Rituum Congregatio, respondendum censuit: « Lectum ».

Die 17 Iunii 1890.

3734. DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

Quod iampridem erat in votis Christifidelium Catholici Orbis, ut celebraretur ubique memoria Sanctorum Confessorum Ioannis Damasceni, Silvestri Abbatis et Ioannis a Capistrano, quorum primus pro ea qua inclaruit praestantia doctrinae, alteri pro apostolicis operibus, quibus animarum saluti profuerunt, Ecclesiam Dei mirifice illustrarunt; id nostra hac aetate plurium sacrorum Antistitum ac Virorum dignitate insignium ingeminatis precibus a Romana Sede enixius postulatum est.

Hinc eiusmodi supplicibus votis libenter obsecundans Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII rem omnem commissam voluit maturo examini et iudicio Sacrorum Rituum Congregationis; quae in Ordinario Coetu coadunata, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, petitam Festorum extensionem ad universalem Ecclesiam ita concedi posse censuit; nimirum ut de S. Ioanne Damasceno Confessore fiat die XXVII Martii sub ritu Duplici minori, addita *Doctoris* qualitate; de S. Silvestro Abbate, die XXVI Novembris sub eodem ritu; ac demum de S. Ioanne a Capistrano Confessore agatur die XXVIII Martii sub ritu semiduplici. Respectiva tamen Officia cum Missis de enuntiatis Sanctorum Festis, cura ipsius Sacrae Congregationis quantocius fieri possit edenda, anno millesimo octingentesimo nonagesimo secundo ab omnibus qui e Clero tam Seculari quam Regulari ad Horas Canonicas tenentur, in posterum recitanda sunt: servatis Rubricis.

Insuper iidem Em̃i ac Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi decernendum putarunt, ut sexta lectio Officii de Sacratissimo Corde Iesu, cuius Festum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro ad ritum duplicis primae classis anno superiore pro universa Ecclesia evectum est, deinceps ita concludatur videlicet:

« Quam caritatem Christi patientis et pro « generis humani redemptione morientis, « atque in suae mortis commemorationem « instituentis sacramentum corporis et san- « guinis sui, ut fideles sub Sanctissimi Cor- « dis symbolo devotius ac ferventius reco- « lant, eiusdemque fructus uberius perci- « piant, Clemens Decimus tertius *ipsius « sacratissimi Cordis festum nonnullis Ec-*

« *clesiis celebrare concessit, Pius Nonus ad* « *universam extendit Ecclesiam, ac denique Summus Pontifex Leo Decimus tertius, orbis catholici votis obsecundans,* « *ad ritum duplicis primae classis evexit* ».

Sanctitas porro Sua, ad relationem Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, sententiam ipsius Sacrae Congregationis in omnibus ratam habens et confirmans, memorata tria Festa sub enuntiato ritu statisque diebus ad universam Ecclesiam extendit, simulque praefatam additionem ad calcem supradictae Lectionis in Officio Sacri Cordis Iesu approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 Augusti 1890.

3735. AGENNEN.

Rm̃us Dominus Carolus Evaristus Iosephus Coeuret-Varin hodiernus Episcopus Agennen. insequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Utrum Missa solemnitatum translatarum (v. g. Epiphaniae) quae celebrantur in Gallia Dominica immediate insequenti, possit esse tantum lecta; an necessario cantari debeat?

Dubium II. In concursu secundarum Vesperarum Officii votivi Immaculatae Conceptionis cum primis Vesperis Dominicae, tempore Paschali, quaenam doxologia dici debeat tum in Hymno *Ad regias Agni dapes,* tum in Hymno Completorii?

Et Sacra Rituum Congregatio, hisce dubiis rite perpensis, post exquisitum votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, respondendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Conclusionem praefatorum Hymnorum esse *Iesu tibi sit gloria* ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 6 Septembris 1890.

3736. ORDINIS

SANCTI BENEDICTI

CONGREGATIONIS BEURONEN.

Rm̃o Domino Placido Volter Archiabbati Monasterii et totius Congregationis Beuronensis expostulanti ut in die professionis solemnis Monachorum suae Congregationis ad Missam in qua vota emittuntur solemnia addi possint Orationes ex authenticis Romani Ritus fontibus desumptae;

Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Non expedire ».

Die 14 Novembris 1890.

3737. NITRIEN.

Rm̃us Dominus Augustinus Roskvanyi Episcopus Nitrien. Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

An sacra paramenta coloris albi in Missa de Sacro Corde Iesu adhibenda sint, tum in locis ubi Missa *Egredimini* cum Praefatione de Nativitate celebratur, tum reliquis in locis ubi Missa *Miserebitur* cum Praefatione de Cruce, usurpari debet?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit, et servari mandavit.

Die 15 Novembris 1890.

3738. BAIONEN.

Ex Apostolico indulto Canonici Ecclesiae Cathedralis Baionen. unam tantum Missam celebrare possunt etiam diebus quibus duae vel plures Missae ex Rubricis cantandae forent a Capitulo. Quum vero nonnulla dubia quoad hanc facultatem exorta sint; hinc Rm̃us Dominus Franciscus Antonius Jauffret Episcopus Baionen. ea Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An praedicta facultas valeat pro diebus quibus, recurrente anniversario, cantanda est Missa pro Defunctis, quando praesentibus distribuitur aliqua pecuniae summa ad hoc a fundatoribus legata?

Dubium II. An valeat eadem facultas, quando aliqua Missa solemnis cantatur more votivo, v. g. in Expositione et Adoratione SSm̃i Sacramenti?

Et quatenus Negative, idem Rm̃us Dominus exoravit ab Apostolica Sede benignam dispensationem pro Capitulo Baionensi.

Sacra vero Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, utrique dubio ac petitioni rescribere rata est:

« Negative ». Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 15 Novembris 1890.

3739. COMPOSTELLANA.

Rm̃us Dominus Iosephus Maria Martin de Herrera y de la Iglesia Archiepiscopus Compostellanus a Sacra Rituum Congregatione eorum quae sequuntur opportunam declarationem expetivit; nimirum:

Dubium I. Quum in pastorali visitatione orator ipse deprehenderit in multis filialibus Ecclesiis (seu Oratoriis) alicuius Paroeciae Sanctissimam Eucharistiam asservari, ubi Missa celebratur tantummodo Dominicis et quando sacrum Viaticum ad aegrotos ferendum desumitur; reliquo vero temporis spatio nemo illuc accedit, praeter Aedituum ad alendam lampadem, ianuis clausis ceteroquin manentibus; hinc quaeritur: An Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in iisdem Ecclesiis ita servandum permitti possit?

Dubium II. In eadem Archidioecesi mos obtinet, fere apud omnes Paroecias, ut sacra Olea in domo ipsius Parochi, quae rure ab Ecclesia seiuncta est ac distat, serventur; quo in promptu habeantur pro infirmis. Potestne tolerari haec praxis, praesertim in Civitatibus ubi Parochi domus Ecclesiae contigua est?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative; nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus Sanctissimam Eucharistiam visitare cupientibus ».

Ad II. « Negative; et detur Decretum in una Toletana diei 31 Augusti 1872 ad V ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 15 Novembris 1890.

3740. LITTERAE

SS. D. N. LEONIS PP. XIII

Ad Eminentissimum Card. Archiepiscopum Florentinum, cunctis Reverendissimis Dioecesium Ordinariis de eiusdem SS. Domini mandato communicandae.

DILECTE FILI NOSTER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Novum argumentum perspecti tui erga hanc Apostolicam Sedem studii et obsequii prodiderunt litterae Augusto mense exeunte ad Nos datae, quibus vota Nobis significasti plurium fidelium, ut veneratio quae Christo Domino ac Matri Virgini et S. Iosepho domesticae Eius societatis consortibus, sub Sacrae Familiae titulo exhibetur, ad ampliorem in Ecclesia cultus dignitatem provehatur, atque de hac re, uti fieri debet in causis gravibus fidem ac disciplinam spectantibus, sententiam et iudicium huius Apostolicae Sedis postulasti. Tuae observantiae et prudentiae officium Nos plurimi aestimantes, confestim postulationis tuae rationem habendam censuimus, ac rem propositam Consilio Nostro sacris ritibus praeposito cognoscendam mandavimus, ut deinde ad Nos consulta et exquisita referret. Re itaque diligenter expensa, Tibi nunc significamus, ob peculiares iustasque causas Nos decrevisse, ut pietatis cultus erga Sacram Familiam, nullis aliis inductis eius exercendi novis formis, in eo statu servetur, in quo Auctoritate huius Apostolicae Sedis probatus fuit, atque ut potissimum christianae domus Sacram Familiam ad venerationem et exemplum propositam habeant, iuxta instituta piae illius Consociationis, quam Decessor Noster fel. rec. Pius IX suis litteris die V Ianuarii Anno MDCCCLXX datis, probavit et commendavit, atque in spem certam maximorum fructuum latius in dies propagari exoptavit. Quam spem salutarium bonorum et Nos ultro in eiusdem Societatis spiritu ponimus: confidimus enim fideles omnes probe intelligentes, in cultu quem Sacrae Familiae exhibent, sese mysterium vitae absconditae venerari, quam Christus cum Virgine Matre et S. Iosepho egit, inde magnos stimulos habituros ad fidei fervorem augendum et virtutes imitandas, quae in divino Magistro ac Deipara eiusque Sponso sanctissimo fulserunt. Hae autem virtutes, ut non semel monuimus, dum aeternae vitae mercedem pariunt, ad prosperitatem etiam domesticae et civilis societatis tam misere hoc tempore laborantis spectant; cum ex familiis sancte constitutis, civitatis etiam commune bonum, cuius familia fundamentum est, necessario consequatur. Maius vero fiducia Nostra incrementum capit dum cogitamus, Sacrae Familiae cultores ex instituto Societatis quam diximus, a Christo Domino gratiam per merita Matris Virginis et S. Iosephi sedulo efflagitantes, propitiam indubie opem experturos, ut vitam sancte componant, atque uti in domibus suis concordiam, caritatem, in adversis tolerantiam, morumque hone-

statem laetentur efflorescere. Vota igitur ad Deum effundimus, ut germanus memoratae Societatis spiritus in dies latius inter fideles emanet ac vigeat, atque in hanc rem operam suam collaturos tum sacrorum Antistites, tum omnes Ecclesiae administros non dubitamus. In mandatis autem dedimus Consilio Nostro Sacris Ritibus praeposito, ut orandi formulam ad te mittat, quam confici et edi curavimus in usum fidelium, ad domus suas Sacrae Familiae consecrandas, tum etiam quotidianae precationis exemplar a fidelibus in Sacrae Familiae veneratione persolvendae. Tuo demum in Nos obsequio, Dilecte Fili Noster, parem dilectionis affectum libenter profitemur; et in auspicium caelestium munerum, Apostolicam Benedictionem Tibi et Clero ac fidelibus, quibus praesides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Novembris Anno MDCCCXC, Pontificatus Nostri Decimotertio.

LEO PAPA XIII.

Litterae Sanctissimi Domini Pii Papae IX, superius memoratae, sunt tenoris sequentis :

Dilecte Fili,

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dum supremae struuntur insidiae religiosae iuxta et civili societati, nullaque idcirco non adhibetur ars ad familiam ipsam, utriusque fundamentum, distrahendam ac dissociandam; nulla certe efficaciore ratione, quam per religionis virtutem, tanto discrimini occurrere licet. Quoniam vero a Sacra Familia non modo aptissimum validissimumque patrocinium rei perficiendae petendum videtur, sed et perfectissimum exemplum pietatis, sanctitatis, mutuorum officiorum; peropportune te peculiarem illius cultum fidelibus proposuisse censemus, eisque suasisse, ut Iesu, Mariae et Ioseph se plane devoventes, unusquisque cum coniunctis suis vespere domi conveniat filialia ipsis persoluturus obsequia, eorum imploraturus opem, seque ac ceteras christianas familias iisdem commendaturus. Quotidiani enim conventus illi et communis precationis virtus caritatem fovebunt inter consanguineos, mutuae spiritualium officiorum exhibitiones a singulis familiis editae apud *Sacram Familiam* universas invicem inter se et cum ipsa copulabunt; ac praeterea mysteria et gesta illius ob oculos uniuscuiusque posita in imagine, quam venerantur omnes, excitabunt ad propriae vitae rationem componendam ad illa sanctissima exempla. Gratulamur itaque tibi, quod coepto huic adeo Deus obsecundaverit, ut complura iam familiarum millia nomen dederint piae isti Consociationi, fructumque religionis, concordiae, probitatis inde duxerint amplissimum. Quamobrem toto corde Deum rogamus ut perutilis ista Societas augeatur in dies et propagetur, virtutemque suam latius semper et efficacius exerat in christiani populi emolumentum. Auspicem vere divini favoris, Nostraeque paternae benevolentiae testem tibi, dilecte fili, et piis omnibus sodalibus Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die V Ianuarii MDCCCLXX, Pontificatus nostri anno XXIV. — PIUS PP. IX.

Ad Rev. P. Francoz S. I. Promotorem Piae Unionis a S. Familia nuncupatae.

3741. TRIDENTINA

DUBII.

In quodam publico Oratorio urbis Tridentinae recens Altare erectum est, quod undequaque per se stat (*isolato*), cuius mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus; subtus vero et a parte posteriori vacuum et apertum est ad recipiendam arcam ligneam, quae inservit paramentis asservandis. Cum Rector huiusce Oratorii postulet ut dictum Altare tamquam fixum consecretur; Caeremoniarius vero episcopalis censeat id fieri non posse; quaeritur: Num Altare, de quo in casu, consecrari valeat ad instar Altaris fixi.

Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, rescripsit: « Negative ».

Die 20 Decembris 1890.

3742. AQUEN.

Rm̃us Dominus Iosephus Marello Episcopus Ecclesiae Aquensis in Provincia Pedemontana a Sacra Rituum Congregatione

insequentis dubii solutionem humillime exquisivit; nimirum:

An conclusio VI Lectionis Officii de Sacratissimo Corde Iesu: *Quam caritatem Christi patientis etc.*, praescripta per Decretum Urbis et Orbis diei 19 Augusti 1890, adhibenda sit tantum in Officio quod pro universa Ecclesia habetur in corpore Breviarii; an etiam in altero Officio indulto pro aliquibus locis (cum Missa *Egredimini*) ad calcem VI Lectionis post verba: *et iaculo vulnerare dignetur?*

Et Sacra Rituum Congregatio, proposito dubio rescripsit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Die 13 Februarii 1891.

3743. AGENNEN.

Rmus Dominus Carolus Coeuret–Varin Episcopus Agennen. sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; videlicet:

Num in secundis Vesperis diei octavae Sanctissimi Corporis Christi omittenda sit etiam commemoratio de die octava (ex. gr. Nativitatis S. Ioannis Baptistae) quae occurrit in Festo Sacratissimi Cordis Iesu, cum haec in toto Officio eiusdem Sacratissimi Cordis suam habere debeat commemorationem?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, eiusmodi dubio rescribendum censuit:

« Negative; iuxta Rubricas ».

Die 18 Aprilis 1891.

3744. MARSORUM.

Rmus Dominus Henricus de Dominicis hodiernus Episcopus Dioeceseos Marsorum exponens in Ecclesia Cathedrali Dioecesis sibi commissae ab immemorabili tempore consuetudinem vigere tot Absolutiones perficiendi ad tumulum in Exequiis alicuius Canonici eiusdem Ecclesiae, quot sunt adstantes ipsi Canonici, ita ut a singulis Absolutio fiat; Sacram Rituum Congregationem supplex rogavit ut invecta praxis, etsi praescriptionibus Caeremonialis Episcoporum minime consona, de Apostolica Benignitate continuari valeret.

Sacra porro Rituum Congregatio, in periodico Coetu coadunata, re mature perpensa, eiusmodi petitioni rescribendum censuit: « Negative ».

Die 18 Aprilis 1891.

3745. ORDINIS MINORUM REFORMATORUM SANCTI FRANCISCI.

Clanciani in Hetruria exstat Coenobium (vocabulo Gethsemani) pertinens ad Ordinem Minorum Reformatorum, paucis ab hinc annis a fundamentis excitatum cum adiecta Ecclesia benedicta, uti asseritur, sub invocatione *Iesu orantis Gethsemani.* Hodiernus Calendarii pro eiusdem Ordinis Provincia Hetruriae Ordinator, de mandato admodum Rev. sui Provincialis, insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Utrum praefatae Ecclesiae, utpote dicatae Salvatori, sit assignandum Festum Titulare sub ritu duplici primae classis cum octava, die VI Augusti uti retroactis annis factum fuit; an Feria III post Dominicam Septuagesimae, quando ab Ordine nostro celebratur Officium Orationis D. N. I. C. in Monte Oliveti? Et quatenus Affirmative ad primam partem,

Dubium II. Utrum die octava sint recitandae Lectiones de Scriptura occurrente in I. Nocturno; an de Festo?

Dubium III. Num Suffragia per annum desumenda sint a die Festo?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re rite perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 5 Maii 1891.

3746. LUBLINEN.

Hodiernus Caeremoniarum Magister in Ecclesia Cathedrali Lublinen. Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione proposuit; nimirum:

Dubium I. Num Episcopus possit, contradicente Capitulo, introducere usum bireti in respectivis functionibus sacris, ubi

ab antiquioribus temporibus consuetudo contraria viget?

Dubium II. Num Alumni Seminarii possint deferre biretum, idem non deferentibus Canonicis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative; nisi Canonici sacris paramentis sint induti ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Maii 1891.

3747. CUNEEN.

Hodiernus Caeremoniarum sacrarum Magister in Seminario Cuneensi, de mandato Rm̃i ipsius Cuneen. Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Episcopus in solemni cantu Horae Tertiae etiam annulum Pontificale gestare debeat? An vero, pro lotione manuum illo dimisso, non amplius sit ei imponendum nisi expleta vestitione pro Missa, cum illud inducit Presbyter assistens?

Dubium II. In nonnullis editionibus Pontificalis Romani mensa Oleorum exhibetur ornata Cruce et binis aut etiam senis candelabris. Cum de hisce ornamentis Rubrica sileat; quaeritur: An in supradicta mensa possit, imo debeat, apponi Crux cum candelabris?

Dubium III. An tres ampullae Oleorum consecrandorum Feria V in Coena Domini expoliari debeant suis sericis vestibus, cum Episcopus incipit singularum Oleum benedicere? An vero exui tantum debeat ampulla Olei infirmorum et Catechumenorum, cum de ampulla Chrismatis dicat Pontificale: *Dimissa ei sua serica veste quam antea habebat?*

Dubium IV. An in I Vesperis S. Iustini Martyris (14 Apr.) pro commemoratione Sanctorum Tiburtii et Soc. Martyrum facienda per Antiph. Laudum, ℣. desumendus sit ex III Nocturno *Laetitia sempiterna etc.;* prout notat Brev. Rom. edit. Ratisbonae anni 1889; an vero ex II Nocturno *Lux perpetua etc.* prout agendum in similibus duxerunt nonnulli de re liturgica Scriptores?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; quoad secundam, ampulla sacri Chrismatis mappula involuta manere debet usque dum, peracta balsami infusione, Diaconus illam tollat et sibi collo reponat ».

Ad IV. « Pro enuntiata commemoratione standum praefatae editioni typicae Breviarii Romani ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 29 Maii 1891.

3748. MONTIS POLITIANI.

Rm̃us Dominus Felix Gialdini Episcopus Montis Politiani Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime proposuit; videlicet:

Dubium I. Viget in Dioecesi Montis Politiani consuetudo omittendi omnino absolutionem aliasque preces a Rituali praescriptas post Missam solemnem in die obitus, quando die praecedenti de sero huiusmodi absolutio et preces decantatae fuerunt super defuncti cadavere in associatione. Potestne tolerari haec consuetudo?

Dubium II. Quando exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro animabus in Purgatorio degentibus, possuntne ante benedictionem recitari Psalmus *De Profundis* cum ℣. *Requiem aeternam* et Oratio *Fidelium* vel alia pro defunctis; aut potius Psalmus concludendus est cum *Gloria Patri* et dicenda Oratio *Omnipotens etc.* pro vivis et defunctis, ob cultum solemnem eidem Venerabili Sacramento debitum?

Dubium III. Quando in Ecclesia Cathedrali Officium Feriale occurrit, omnibus Horis Canonicis additur Officium parvum Beatae Mariae Virginis, praeterquam ad Matutinum. Possuntne Canonici continuare huiusmodi consuetudinem?

Dubium IV. Quoties Episcopus ingreditur Ecclesiam Cathedralem pro Pontificalibus aliisque functionibus peragendis vel pro concione audienda, tenenturne Canonici omnes iuxta Caeremoniale Episcoporum, non obstante consuetudine contraria, recipere illum ad Ecclesiae ianuam eumque comitari ad adorationem Sanctissimi Sacramenti et ad eumdem locum iterum associare dum ad propria revertitur?

Dubium V. Dioeceses, quibus iam concessum fuerat Festum S. Ioannis a Capistrano sub ritu duplici pro mense Octobri, quomodo, post Decretum Urbis et Orbis diei 19 Augusti 1890, se gerere debent quoad diem et quoad ritum?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Ad primam partem, Affirmative; si adsit consuetudo vel specialis gratia: Ad secundam, Negative ».

Ad III. « Negative; Officium parvum Beatae Mariae Virginis recitandum iuxta Rubricas: nempe in Matutinis et Vesperis anteponendum, in aliis Horis postponendum Officio diei; et in Prima, dicto *Benedicamus Domino,* dicatur ante lectionem Martyrologii ».

Ad IV. « Quoties Episcopus pontificaliter celebraturus accedat ad Ecclesiam, etsi per ianuam privatam, tenentur Canonici ad ipsius associationem a cubiculo ad Ecclesiam et viceversa in reditu: ceteris diebus sat est ut aliqui ex Dignitatibus et Canonicis ad ostium Ecclesiae Episcopum cappa indutum recipiant et reducant ».

Ad V. « Quoad Dioeceses quibus Officium S. Ioannis a Capistrano iam concessum fuerat sub ritu duplici minori, servato eodem ritu, praedictum Officium (quantum fieri poterit) celebrandum erit die assignata per Decretum extensionis ad universalem Ecclesiam ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 13 Iunii 1891.

3749. ORDINIS SERVORUM BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Ab Emo et Rmo Domino Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Albanen. Causae Ponente in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato relatae fuerunt preces, quibus Rmus Pater Andreas Maria Corrado Prior Generalis Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, suorum quoque Alumnorum vota depromens, expetebat ut quemadmodum nonnullis aliis Regularibus Familiis concessum est, ad *Confiteor,* quoties a Fratribus, Monialibus nec non Tertiariis eiusdem Ordinis illud recitatur, post nomina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ea quoque suorum Patrum Fundatorum inseri possint per formulam: *Septem beatis Patribus nostris,* et *Septem beatos Patres nostros.*

Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, his precibus sedulo expensis, rescribendum censuerunt: « Supplicandum SSmo pro gratia ».

Die 5 Septembris 1891.

Facta itaque de his SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua petitam additionem ad *Confiteor* in usum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis benigne indulgere dignata est: die 8 eiusdem mensis et anni.

3750. SALAMANTINA.

De mandato Rmi Domini Episcopi Salamantini hodiernus Caeremoniarum in Cathedrali Ecclesia Magister sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit.

Anno 1762 consecratio Cathedralis Ecclesiae Salamantinae rite peracta fuit atque Altare maius insimul consecratum est, etsi non ex uno sed ex tribus lapidibus ad formam unius coniunctis eius tabula sive mensa constaret; ita ut sacri Olei unctiones per singulos tres lapides nunc apud extremitates, nunc apud centra distributae, nunquam vero super lapide centrali perfectae appareant. Quum vero ex variis Sacrae Rituum Congregationis Decretis mensa Altaris fixi ex uno integro lapide constituenda sit; quaeritur:

I. An Altare maius Ecclesiae Cathedralis Salamantinae legitime consecratum censendum sit? Et quatenus Negative,

II. Quid in casu agendum?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Reiteranda Altaris consecratio; atque eius mensa ex uno integro lapide iuxta canonicas praescriptiones constituatur ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Novembris 1891.

3751. BOBIEN.

Episcopus Bobiensis humiliter Sacrae Rituum Congregationi exponit in sua Dioe-

cesi usum existere, ut benedictioni cum SS. Sacramento praemittatur Rosarii recitatio et cantus Litaniarum; et durantibus Litaniis fit SS. Sacramenti expositio. Cum autem a SSmo Domino Nostro Papa Leone XIII praescripta fuerit Rosarii recitatio cum adiectis Litaniis B. M. V.; quaeritur:

I. Ante Orationem quae dicitur post Litanias, dicendus ne est Versiculus tantum *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,* ut refertur in appendice Ritualis Romani, sine adiectione ℣℣. *Domine exaudi etc.* et *Dominus vobiscum?*

II. In casu affirmativo, cum talis sit praxis universalis; si in Dioecesi aliqua esset Paroecia in qua, post ℣. *Ora pro nobis,* adiiceretur quoque *Domine exaudi* et *Dominus vobiscum,* Episcopus dioecesanus, ut melius praescriptio pontificia adimpleatur et uniformitas in tota Dioecesi obtineatur, posset ne praescribere quod in omnibus Ecclesiis suae Dioecesis recitetur in casu ℣. *Ora pro nobis . . .* tantum?

III. Tandem tenendum ne est, tamquam norma generalis, quod Versiculi *Domine exaudi* et *Dominus vobiscum* praemittendi sint Orationi iis tantum in casibus, in quibus Rituale Romanum illos praescribit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, propositis dubiis mature perpensis, ita rescribere rata est:

« Servetur Rituale Romanum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Novembris 1891.

3752. VICARIATUS APOSTOLICI SENEGAMBIAE.

Rmus Dominus Maglorius Barthet Vicarius Apostolicus Senegambiae Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Num privilegia liturgica Titulorum Ecclesiarum, videlicet Officium duplex primae classis cum octava, commemoratio in Suffragiis Sanctorum et in Oratione *A cunctis,* attribuenda sit Titularibus earum Ecclesiarum, quae non consecratae sunt, sed tantum solemniter benedictae? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Num hoc dicendum sit de omni Sacello praecipuo alicuius loci cui adscribitur Missionarius, etiamsi istud Sacellum sit valde pauper, parvum, modo fragili extructum et ad tempus tantum cultui divino destinatum?

Dubium III. In hac Missione duae tantum adsunt Ecclesiae consecratae, nempe in urbe *Dakar,* ubi habitualiter resedit Vicarius Apostolicus et in Civitate *Gorée.* Earum Dedicationis anniversarium fit eadem die, qua in Gallia Festum Dedicationis omnium Ecclesiarum. Quaeritur an praeter Sacerdotes adscriptos his duabus Ecclesiis, etiam alii Missionarii in tota Missione debeant vel possint hac eadem die recitare Officium Dedicationis?

Dubium IV. Quatenus ex iure non possint, humiliter petitur ut ipsis pro gratia concedatur facultas recitandi hoc Officium sub ritu duplicis secundae classis, vel duplicis maioris.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative; iuxta Decreta alias edita ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Omnes Missionarii tenentur Officium Dedicationis persolvere eadem die, qua in Gallia Festum recolitur Dedicationis omnium Ecclesiarum ».

Ad IV. « Provisum in antecedenti ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 28 Novembris 1891.

3753. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. « Anniversaria, seu Missas cum cantu pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, non comprehendi in Generali Decreto diei 5 Augusti 1662; et prohiberi tantum in duplicibus primae et secundae classis, in Dominicis et Festis de praecepto, infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SSmi Corporis Christi, nec non Feria IV Cinerum, maiori Hebdomada, in vigiliis Nativitatis et Pentecostes; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae, in respectivis Ecclesiis tantum ».

II. « Eadem Anniversaria si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri posse, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari: dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur ».

III. « Quod de diebus anniversariis pro defunctis statuit, Sacra Rituum Congregatio declarat extendendum esse quoque ad dies 3, 7 et 30 ab obitu, sive quoad Missam de Requie cum cantu, sive quoad translationem si impediatur ».

IV. « Denique Sacra Rituum Congregatio declarat, diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus, quam a die depositionis computari posse ».

V. « *De speciali vero gratia permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis Sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent; nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam Omnium fidelium Defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis* ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Decembris 1891.

3754. DECRETUM

DECLARATIONIS INDULTI PRO SOLEMNITATE FESTORUM TRANSFERENDA.

Cum post indultum reductionis Festorum concessum Reipublicae Galliarum territorio per Emum Legatum Card. Caprara sub die 9 Aprilis 1802, illudque ab eodem Emo declaratum die 1 Iulii 1804, plura exorta fuerint dubia, quae, licet resoluta, omnem tamen dubitandi locum nondum abstulerunt; Sacra Rituum Congregatio rem praesenti Decreto opportunum esse iudicavit pro omnium Ecclesiarum utilitate, quibus indultum favet, declarare ac definire:

I. « Festa, quorum solemnitates sunt transferendae in proximiorem Dominicam non impeditam, sunt: Epiphaniae Domini, Sanctissimi Corporis Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Sanctorum Patronorum locorum, quando infra hebdomadam occurrunt: sive recoli quoad Officium propria die, sive ad aliam diem amandari debeant iuxta Rubricas: reliqua, eadem die qua occurrunt, cum propria solemnitate celebrentur. Pro Patrono autem praecipuus loci intelligendus est, videlicet Civitatis, aut oppidi etc., atque etiam, in illius tantum defectu, Patronus Dioecesis: quorum nempe alteruter legitime electus iuxta Constitutionem Urbani Papae VIII, vel ab immemorabili assumptus, in singulis locis celebrandus est sub ritu duplici I classis cum octava ac praecepto in foro ».

II. « Pro solemnitate, quae transfertur, nonnisi unica Missa intelligitur, more votivo canenda, ut in Festo, cum *Gloria,* una tantum Oratione, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine: ubi tamen non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine ».

III. « Si Festum, cuius esset transferenda solemnitas, incidat in aliquam ex Dominicis I classis (Palmarum excepta) semiduplicis aut duplicis minoris ritus, cantabitur Missa de Dominica et illius primae Orationi adiungetur, sub unica conclusione, occurrentis Festi commemoratio: quoad reliqua serventur Rubricae; et de dicta solemnitate nihil amplius fiat. Si vero incidat in Dominicam Palmarum aut in Festum aliquod ex solemnioribus universalis Ecclesiae, nulla de eo commemoratio fiat, neque transferatur solemnitas, sed Officium tantum iuxta Rubricas ».

IV. « Si solemnitas ipsa translata incidat in Dominicam I classis vel in qua Vigilia Nativitatis Domini occurrat vel in Festo Circumcisionis aut in die octava Epiphaniae, Missa erit de Dominica vel de Festo, quoad reliqua servatis Rubricis, uti in superiori numero dictum est: et eadem solemnitas in proximiorem Dominicam liberam transferatur ».

V. « Si solemnitas translata incidat in aliquam Dominicam, in qua aliud quodcumque duplex I classis occurrat, Missa de eadem solemnitate canatur, modo Festum, ad quod ipsa pertinet, sit dignius: secus, in proximiorem Dominicam liberam ulterius transferatur. Quod si tam Festum quam solemnitas aequalis fuerint dignitatis, illud celebretur iuxta Rubricas: ad solemnitatem autem quod spectat, pariter transferatur in proximiorem Dominicam non impeditam ».

VI. « Si duae solemnitates translatae in eamdem Dominicam incidant, fiat de solemnitate digniori; et minus digna iterum, ut supra, transferatur ».

VII. « Huiusmodi autem dispositiones Sacra Rituum Congregatio servandas iubet in omnibus et singulis Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, imo et in quibuscumque Oratoriis publicis, in quibus

Missa cantari solet, sive ad Secularem, sive ad Regularem Clerum illae pertineant ».
Die 2 Decembris 1891.

3755. DECRETUM GENERALE

MISSAE EXEQUIALIS PRO DIE OBITUS.

Cum iuxta Rituale Romanum exequialem Missam in die obitus, etiam praesente cadavere, celebrare non liceat quando obstet magna diei solemnitas, quod et pluribus Decretis firmatum fuerat, pro opportuna impresentiarum ampliorique declaratione Sacra Rituum Congregatio decernit:

I. « Missam unam solemnem vel cum cantu, in die et pro die obitus, praesente cadavere, fieri posse quandocumque non occurrat aliquod ex Festis duplicibus primae classis solemnioribus, seu universalis Ecclesiae, seu Ecclesiarum particularium, ex praecepto Rubricarum recolendis. Quibus in Festis comprehenduntur etiam pro universali Ecclesia ultimum triduum maioris Hebdomadae, non autem Feriae II et III Paschae et Pentecostes: pro particularibus vero Ecclesiis dies Dominica, in quam solemnitas Festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo: nec non ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur. Reliquis autem quibuscumque diebus eadem Missa permittitur in omnibus Ecclesiis, illis tantum exceptis, in quibus unicus est Sacerdos; dum tamen, aut Missa parochialis seu conventualis dicenda est, aut Missa Rogationum vel Vigilia Pentecostes, quae transferri non possunt ».

II. « Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, *aut alia gravi causa,* cadaver in Ecclesia praesens esse nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens ».

III. « Denique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrat, non impedita a Festo duplici primae et secundae classis vel a Festo de praecepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus ».

Non obstantibus quibuscumque.
Die 2 Decembris 1891.

3756. DECRETUM GENERALE

INDULTI DUPLICIA II CLASSIS

IN DIES IMPEDITOS TRANSFERENDI.

Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. « Festa duplicia 2 classis diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant, licite posse reponi ac debere in aliis diebus proximioribus, quamvis in his Festa semiduplicia, aut, in horum defectu, duplicia minora (non tamen Doctorum Ecclesiae) occurrant, quae pro eo anno commemoranda erunt iuxta Rubricas ».

II. « In praedictis vero rerum adiunctis, ut praestantiora Officia aliis praeferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia Officia minus solemnia reponentur, communibus ceterum translationis regulis servatis: si nihilominus semiduplicia vel etiam duplicia ad libitum in Calendariis habeantur, haec prae aliis de praecepto pro repositione seligantur ».

III. « Quocumque autem casu, ita Calendariorum Ordinatores se gerere debere ut, in unoquoque mense, nonnullos dies liberos, quantum fieri possit, relinquant pro Missis de Requie celebrandis ».

Die 2 Decembris 1891.

3757. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio declarat:

I. « Regulares, iure consuetudinis aut eorum Constitutionum secluso, teneri tantum legere unam Missam Conventualem, Officio videlicet diei respondentem, tempore a Rubricis praescripto, quamvis aliae ab illis essent canendae, sive votivae, sive defunctorum, ut onera particularia adimpleantur, vel ex peculiari Sanctae Sedis indulto ».

II. « Sive Missa illa legatur sive fiat cum cantu, non solum in duplicibus 1, sed etiam 2 classis, omittendam esse commemorationem simplicis occurrentis aut de die infra octavam ».

III. « Missas feriarum, duplicibus aut semiduplicibus occurrentibus, Regularibus non esse vetitas, si a Rubricis praescribantur, dummodo tempus servetur in iisdem Rubricis praescriptum, et Choralibus iis assistendi libertas fiat ».

IV. « Ad Rogationum Missam quod attinet, ad eam celebrandam teneri, si tamen publica supplicatio locum habeat ».

V. « Ubi vi Constitutionum Ordinis, vel ratione consuetudinis, Feriarum aut Vigiliarum occurrentium Missae fieri debeant, eas non esse omittendas, et tempus in Rubricis praescriptum omnimode servandum ».

Atque ita servari mandavit.

Die 2 Decembris 1891.

3758. DECRETUM.

Sac. Rituum Congregatio declarat: « Regulares (in Missa) in Oratione *A cunctis* posse ad litteram N. nominare proprium S. Fundatorem, dummodo Titularis (si nominari queat) non omittant; servato tamen ordine dignitatis in Rubricis praescripto ».

Die 2 Decembris 1891.

3759. LUCANA.

Franciscus Pellegrini hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister in Metropolitana Ecclesia Lucana, de mandato sui Rm̃i Domini Archiepiscopi, insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi demississime subiecit; nimirum:

Dubium I. An tempore Missae solemnis vel cantatae, praeter cereos super candelabra positos in superiori gradu Altaris (vulgo *scaffale*) requirantur etiam duae candelae accensae super mensam?

Dubium II. An in celebratione Missae lectae, sive privatae, duo candelabra cum candelis accensis poni debeant super mensam Altaris; vel locari possint etiam super gradum superiorem eiusdem?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 5 Decembris 1891.

3760. APUANA.

Rm̃us Dominus David Camilli hodiernus Episcopus Apuanus Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

In solemni Processione quae fit in Festo Sanctissimi Corporis Christi Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae cappam magnam deferunt contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. XXXIII, § 5.

Nuper hodierno Episcopo novas Capitulares Constitutiones examinanti visum est, ut invecta praxis tamquam abusus deleatur, rescribens in iis Constitutionibus quod Capitulum Caeremoniali Episcoporum sese conformet. At vero Capitulares suffulti usu, quem in nonnullis Hetruriae Cathedralibus vigere autumarunt, contendunt expositam praxim esse privilegium vel saltem consuetudinem legitime introductam. Ex Bulla erectionis factae a s. m. Pio Papa VI diei 4 Iulii 1787 aiunt praeterea constare Capitulum Apuanum fuisse erectum « cum omnibus et singulis signis, insignibus, privilegiis, praerogativis, iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, honoribus, gratiis, favoribus, gratiis realibus et personalibus et mixtis, quibus reliquae in magno Hetruriae Ducatu Episcopales Ecclesiae utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent ».

Episcopo vero verba Bullae super allata Capitulo minime favere videntur utpote quae generalia sunt, et abusus, si qui existent, adprobare nolunt. Contra assertam autem consuetudinem legitime introductam habentur ea quae in Concilio Romano celebrato sub Benedicto XIII statuta fuere anno 1725: « Episcopi in iis (constitutionibus) examinandis . . . . consuetudines . . . nonnisi rationabiles et honestas admittant, et, si quas a ratione declinasse vel contra Breviarii vel Missalis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis, vel Ritualis Romani Rubricas inolevisse ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant vel omnino delendas decernant ».

Hisce positis; quaeritur:

I. An delatio cappae magnae in Processione solemni Festi SSm̃i Corporis Christi sit in casu privilegium, vel abusus? Et quatenus Negative ad primam partem,

II. An huiusmodi abusus, ratione habita consuetudinis, tolerari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

« Servandum Decretum in una Mutinen.

diei 24 Septembris 1842, quavis contraria consuetudine haud obstante ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Decembris 1891.

3761. MATRITEN.

Hodierna Priorissa et Moniales Recollectae S. Dominici a Purissima Conceptione in Monasterio Civitatis dictae Loeches commorantes, intra fines Dioeceseos Matriten., insequentia dubia sive postulata Sanctae Apostolicae Sedi humillime subiecerunt pro opportuna declaratione; nimirum :

Quum in Bulla s. m. Urbani Papae VIII (diei 18 Octobris 1625) qua Monasterium sub immediata Sedis Apostolicae protectione erectum et receptum fuit, legantur verba: *Omnes moniales inibi divina Officia iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani, nec non Officia Sanctorum dicti Ordinis (Praedicatorum) ex illius etiam Breviario desumenda recitent, cantent et celebrent;* quaeritur :

I. Anne Monialibus dicti Monasterii utendum sit necne Calendario Breviarii Romani, praesertim quum ab initio et semper loci Ordinario subditae fuerint ?

II. Ex verbis praedictis tenenturne etiam Beatorum Officia Ordinis Praedicatorum recitare ?

III. Dominica infra Octavam Epiphaniae debentne Officium recitare uti in Proprio de tempore Breviarii Romani? et Festum Inventionis Pueri Iesu ea die recolere vel omittere vel in aliam diem fixe transferre?

IV. An debeant persolvere Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi Feria VI post Dominicam IV Quadragesimae, praeter alterum Dominicae I Iulii affixum ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii , exquisito voto Rmi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum , ita propositis dubiis rescribere rata est ; videlicet :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Festum Inventionis Pueri Iesu transferendum in primam diem sequentem liberam iuxta Rubricas ».

Ad IV. « Affirmative si indulto gaudeant persolvendi alia Officia Dominicae Passionis ».

Atque ita rescripsit.

Die 5 Decembris 1891.

3762. DUBIORUM.

Insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione proposita fuerunt; nimirum :

I. Quando anniversarium consecrationis Episcopi accidentaliter impediatur Festo mobili ritus duplicis primae classis, transferendum ne est, an omittendum ?

II. Quando idem anniversarium quotannis impediatur Festo ritus pariter duplicis primae classis, quod diei affixum est, reponendum est, an semper omittendum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, rescribendum censuit :

Ad I. « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 12 Decembris 1891.

3763. AQUEN.

Iosephus Marello Episcopus Aquensis Dioecesis in Provincia Pedemontana Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum :

Dubium I. Quum Missa, cuius Introitus *Multae tribulationes etc.* in Festo Ss. Reliquiarum indulta pro universa Dioecesi careat Tractu ; quaeritur : Undenam hic peti debeat quoties praedicta Missa legitur a Septuagesima ad Pascha : num scilicet ex aliis Missis de Communi plurimorum Martyrum, nempe : *Qui seminant in lacrimis etc. ;* aut alibi ?

Dubium II. In Festo S. Silverii Papae Martyris (20 Iunii) elevato pro hac Dioecesi a ritu simplici ad ritum dupl. minor., legendane est VI Lectio de Communi 2° loco ; an *De Sermone S. Augustini Episcopi,* prout legitur in eodem Officio a Clero Romano ? Et quatenus Negative ad secundam partem, Episcopus exorat ut in praemissis se suumque Clerum Romano conformare valeat.

Et Sacra Rituum Congregatio , exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris , re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit ; videlicet :

Ad I. « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Loco VI Lectionis desumendae

de Communi 2° loco, datur facultas adhibendi alteram Clero Romano concessam ».
Atque ita rescripsit et indulsit.
Die 6 Februarii 1892.

3764. LINCIEN.

Rmus Dominus Franciscus Maria Doppelbauer Episcopus Lincien. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Cum varia sit interpretatio circa ea, quae per Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 10 Februarii 1860, favore Augustissimi Imperatoris nostri Francisci Iosephi I statuuntur, ut genuino praefati Decreti sensui uniformiter satisfiat; quaeritur:

1. An Sacerdotes exteri (v. g. Galli, Hispani etc.) in itinere celebrantes in Ecclesiis intra ditionem Austriacam, debeant in Canone addere verba: *Et Imperatore Nostro N.?*

2. An iidem Sacerdotes Orationem pro eodem Augustissimo Imperatore, quando est ab Ordinario imperata, debeant sumere prout iacet; vel omittere pronomen *Noster?*

3. An in eodem Decreto, ubi praecipitur Collecta pro eodem Augustissimo Imperatore in Missis, ea verba: « diebus tamen quibus per Rubricas licebit » sic intelligi debeant, ut aliqui volunt, ut haec Collecta nequeat omitti in Missis Parochialibus lectis Festorum secundae classis; vel potius ita sint accipienda, ut in his Missis eadem Collecta omitti debeat? seu, ut de Collectis imperatis in Missis lectis Festorum secundae classis communiter valet, sit ad libitum?

4. Quoad Missas vero solemnes dubitatur, an eadem Collecta, permittentibus Rubricis, sumi debeat: *a*) Dominicis et aliis diebus, si Missa (quamvis Ministri facile haberi possint) canitur sine Ministris, ad distinctionem Missae solemnis diebus maioris Festivitatis? *b*) An in Missis solemnibus seu cantatis de Festo tantum, sed etiam de illis Dominicis et Feriis ac diebus infra octavas privilegiatas, quae Orationes imperatas admittunt? *c*) An in Missis votivis, quae, permittente ritu, simpliciter vel solemniter canuntur, v. g. initio et fine anni scholastici, vel in Missis Neopresbyteri etc., et pariter Orationes imperatas admittunt? *d*) An etiam in Missis conventualibus, quae in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis quotidie canuntur, vel quando canuntur sine Ministris? *e*) An in Missa solemni seu cantata de Officio occurrente in Nuptiarum benedictione diebus Dominicis (sive fiat de ea, sive in ea fiat de Festo duplici non classico), diebus infra octavam Epiphaniae et infra octavam SSmi Corporis Christi? *f*) An demum eadem Collecta sumi debeat in Missa solemni seu cantata, si ea die, in eadem Ecclesia, Missa canatur praeter Missam parochialem lectam, quando in hac Collecta praedicta iuxta citatum Decretum addi debet?

Dubium II. An Decretum in Ravennaten. diei 18 Maii 1883 ad VII et VIII ita sit intelligendum, ut commemoratio anniversaria Electionis et Coronationis Summi Pontificis, aut Electionis et Consecrationis Episcopi, in Missis lectis prohibeatur etiam illis diebus Festa duplicia excludentibus, qui tamen Orationes imperatas admittunt; ut sunt Dominicae Adventus et Quadragesimae, Feria IV Cinerum, et dies infra octavas privilegiatas sub ritu semiduplici?

Dubium III. Quaenam Oratio dicenda est in Officio Defunctorum die depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario Sacerdotis? an semper dicenda Oratio: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes?*

Dubium IV. In Missa de Requie pro defuncto in loco dissito cum primo nuntius mortis accipitur, aliqui putant sumendam esse Orationem de die tertia, omisso verbo *tertium* (quae tamen minime convenire videtur, quando accepto nuntio per telegraphum, Missa canitur ante ipsius defuncti depositionem), vel dicendo « cuius obitus diem commemoramus ». Alii vero putant in casu esse semper dicendam Orationem de die obitus, omisso forte verbo « hodie », si depositio iam facta fuerit. Quaenam ex his opinionibus est in praxi sequenda?

Dubium V. In Exequiis pro depositione defuncti, quando unicum recitatur Nocturnum, debet ne dici illud, quod Feriae currenti respondet?

Dubium VI. Quotiescumque unicum Nocturnum Defunctorum dicitur horis vespertinis, quod Feriae respondere debet iuxta Rubricam Breviarii Romani, de qua Feria erit sumendum?

Dubium VII. An pro Hymno *Te Deum* (qui v. g. ob primam Missam Neo-presbyteri, vel ob aliam causam solemniter canitur immediate post Missam, quae iuxta Rubricas celebrari debeat colore violaceo, ut in Festo Ss. Innocentium et Dominicis Adventus etc.) retineri possint paramenta

coloris violacei; vel in casu cum aliis coloris albi permutanda sint?

Dubium VIII. An quando immediate post Missam solemnem exponitur SS. Sacramentum pro cantu Hymni *Te Deum*, vel pro aliis precibus (aut etiam simpliciter pro Adoratione eiusdem ad plures horas duratura), liceat Celebranti benedictionem quoque cum eodem SSmo Sacramento in fine daturo, retinere Casulam cum Manipulo; vel debeat potius assumere pluviale?

Dubium IX. An pro Missis votivis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., quando non recitatur eius Officium votivum in Feria IV, debeat sumi formulare ex Missa diei 19 Martii; vel formulare ex Missa, quae correspondet Officio votivo eiusdem Sancti Feriis quartis per annum?

Dubium X. An in Missa votiva Sacri Cordis Iesu *Miserebitur* extra tempus paschale omitti debeant *Alleluia*, tum ad Introitum tum ad Offertorium et Communionem?

Dubium XI. An eadem Missa votiva de Sacro Corde licita sit privilegio utentibus, iis diebus, in quibus recitant Officium votivum de SSmo Sacramento, Feria V, vel de Passione Domini, Feria VI? Item, an iisdem licita sit Missa votiva de Passione Domini, quando recitant Officium votivum de SSmo Sacramento et viceversa; vel Missa votiva de S. Cruce quando recitant alterutrum horum Officiorum votivorum? Et quatenus affirmative, quaenam erit in praedictis casibus secunda Oratio? de Officio votivo an de tempore, quando non occurrunt aliae commemorationes?

Dubium XII. Anne in Missa votiva SSmae Trinitatis infra aliquam octavam B. M. V. tertia Oratio dicenda sit de Spiritu Sancto?

Dubium XIII. An Stola Concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de S. Ioseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec Festa occurrunt in Hebdomada maiori, debeat esse coloris albi, vel violacei? Et an die 2 Novembris (vel Dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere Stolam coloris nigri?

Dubium XIV. An pro distribuenda SSma Communione Monialibus, quae habent Chorum retro post Altare, debeat aut possit Sacerdos post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor* deponere Ciborium ad fenestellam Chori, et ibi, ad Moniales conversus dicere *Misereatur etc.*, et *Ecce Agnus Dei etc.?* Vel potius debeat haec omnia dicere ad Altare versus populum de more; et dein per medium Altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad Moniales sancto Christi Corpore reficiendas? Et an idem valeat etiam si Chorus non sit retro post Altare, sed in aliqua parte laterali Presbyterii?

Dubium XV. Duplex viget praxis pro ablutione digitorum in prima et secunda Missa die sancto Natalis Domini. Alii nempe in duabus his Missis digitos abluunt in vase mundo et vacuo, Ministro vinum et aquam de more infundente, interim dicendo *Corpus tuum Domine etc.*, quam ablutionem sumunt in tertia Missa una cum ultima ablutione. Alii vero digitos abluunt in vasculo cum aqua iam prius parato, ut fit post distributionem SSmae Communionis; quam aquam vel sumunt cum ultima ablutione in tertia Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam relinquunt. Quaeritur: quaenam ex his praxibus sit, utpote Rubricis conformior, sequenda?

Dubium XVI. Quinam Versiculus sumendus est in Officio votivo Ss. Angelorum Feria II tempore paschali ad II Nocturnum?

Dubium XVII. An quando Festum Septem Dolorum B. M. V. in hebdomada Passionis caret primis Vesperis, Hymnus Vesperarum debeat coniungi cum Hymno Matutini, prout innuit Rubrica Breviarii, etiam si habeat integras secundas Vesperas; vel in hoc casu, debeant Hymni transponi, ita ut ad Matutinum dicatur Hymnus Vesperarum, ad Laudes Hymnus Matutini, et ad secundas Vesperas Hymnus ex Laudibus?

Dubium XVIII. Viget usus in hac Dioecesi, sicut et in aliquibus aliis, addendi tempore paschali in exercitiis devotionis, quae extra Officium canonicum, maxime coram SSmo Sacramento habentur, *Alleluia* ad Versiculos; v. g. ad ℣. *Ora pro nobis* post Litanias Lauretanas, ad ℣. *Benedicamus Patrem et Filium* post *Te Deum etc.*, quinimmo et addendi in diebus Paschatis vel infra octavam Paschae duplex *Alleluia* ad *Benedicamus Domino*, quod in his regionibus solet cantari finitis Orationibus, quibus praecessit solemnis cantus Hymni Ambrosiani. Quaeritur: An usus iste tolerari possit?

Dubium XIX. Episcopus Ordinarius, qui in aliena Dioecesi celebrat, tenetur ne in *Memento* Canonis nominare Episcopum huius alienae Dioeceseos, an semetipsum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alte-

rius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. Quoad 1. quaestionem « Posse, sed non teneri ».

Quoad 2. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Quoad 3. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Quoad 4. « Affirmative in omnibus ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Serventur Rubricae Ritualis Romani; nempe Tit. VI, cap. 3, n. 5, pro die depositionis; et Tit. VI, cap. 5, n. 2, pro diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria ».

Ad IV. « Recitanda Oratio prout est in Missali ».

Ad V. « Dicatur primum Nocturnum ».

Ad VI. « Nocturnum debet respondere Feriae, qua canitur Missa ».

Ad VII. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VIII. « Negative, ad primam partem; Affirmative ad secundam ».

Ad IX. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad X. « Negative ».

Ad XI. « Affirmative; et secunda Oratio sumatur de tempore ».

Ad XII. « Affirmative ».

Ad XIII. « Stola concionatoris sit coloris Officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris ».

Ad XIV. « Affirmative, ad primam partem, quando scilicet Sacerdos immediate ante vel post Missam, sacris paramentis indutus, vel omnino extra Missam, cum superpelliceo et Stola, sacram Communionem distribuit; Negative, ad secundam; Ad tertiam, provisum in prima ».

Ad XV. « Secundus modus purificationis est magis expeditus et conformis est praxi universali ».

Ad XVI. « Loco primae Antiphonae usurpetur altera *Immittet Angelus* ».

Ad XVII. « Servetur in casu Rubrica specialis Breviarii Romani ».

Ad XVIII. « Negative ».

Ad XIX. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Et ita declaravit et servari mandavit.

Die 6 Februarii 1892.

3765. SIPONTINA.

Archipresbyter, secunda Dignitas Capituli Ecclesiae Metropolitanae Sipontinae, in omnibus Missis solemnibus, tam intra quam extra Metropolitanam et ubique, impertitur trinam benedictionem in cantu, cum mitra et podio (quia Dignitates omnes ipsiusmet Capituli gaudent mitra et podio ex concessione Coelestini Papae III cum Brevi dato Laterani V Idus Iulii anni 1175 Pontificatus sui anno V), atque cum ritu, modo et forma *Sit nomen Domini etc.*, in Lib. I, Cap. XXV, § 5 Caeremonialis Episcoporum indicata, propter sequentem transcriptam concessionem:

« Bartholomaeus Miseratione Divina Tra-
« nensis Ecclesiae Minister, humilis Aposto-
« licae Sedis Legatus. Dilecto in Christo
« Filio Ioanni Archipresbytero Sipontino
« salutem et benedictionem. Cum ex mu-
« nere nobis dato ab Apostolica Maiestate
« teneamur singulis pro meritis respondere,
« attendentes devotionem tuam quam erga
« Romanam Ecclesiam habere dignosceris;
« concedimus tibi et Archipresbyteris Si-
« pontinis successoribus tuis usum *Crocciae,*
« et benedictionem populo faciendam. Unde
« ad huius rei memoriam hoc scriptum fieri
« fecimus, sigillo nostro signatum ».

Dubitatum est tamen an idem Archipresbyter ob praedictam specialem concessionem possit tali facultate uti et trinam benedictionem impertiri, post contrarias generales Apostolicas Constitutiones, et praesertim illam *Apostolicae Sedis Officium* a Summo Pontifice Pio Papa IX super privilegiis Protonotariorum Apostolicorum ad instar nuncupatorum datum sub die 29 Augusti 1872.

Hinc hodiernus Magister Caeremoniarum praedictae Ecclesiae Metropolitanae, de mandato sui Rmi Archiepiscopi, sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Potestne praedictus Archipresbyter trinam benedictionem impertiri tantummodo in Missis solemnibus suae Dignitati adsignatis; vel indistincte in omnibus Missis solemnibus, tam intra quam extra Metropolitanam et ubique?

Dubium II. Potestne eam impertiri cum cantu et iuxta formam pontificalem *Sit nomen Domini etc.* in Caeremoniali Episcoporum descripta; vel sine cantu et cum modo, voce atque forma in Missis privatis adhibitis, producens tamen signum Crucis in unoquoque ex verbis *Pater, Filius et Spiritus Sanctus?*

Dubium III. Potestne impertiri eam cum mitra et podio?

Dubium IV. Possuntne quatuor Dignitates dicti Capituli Archidiaconus nempe, Archipresbyter et duo Primicerii, uti podio praedicto indistincte semper et ubique in omnibus functionibus et Processionibus, tam intra, quam extra Metropolitanam Ecclesiam; an tantum in Pontificalibus solemnibus Archiepiscopi, et in Missis solemnibus cuique Dignitati assignatis; et an dum in celebratione dictarum Missarum thurificationem accipiunt?

Sacra porro Rituum Congregatio exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus in casu mature perpensis, ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative; et Archipresbyter in quavis Missa et ubicumque celebrat abstineat omnino ab huiusmodi abusu laesivo Dignitatis Episcopalis ».

Ad II. « Provisum in praecedenti, et sciat memoratus Archipresbyter se in Missis privatis a simplici Sacerdote non differre ».

Ad III. « Benedictio populo impertienda in fine Missae solemnis cum mitra et baculo tantum in Ecclesia metropolitana, minime tamen cum cantu, et modo ac forma Episcopali ».

Ad IV. « Privilegium quatuor Dignitatibus Metropolitanae concessum, taxative intelligendum est, ita ut usus mitrae et baculi tantummodo in Missis solemnibus, non vero permittitur ceteris in functionibus vel Processionibus a Capitulo peragendis. Insuper vetatur in solemnibus Pontificalibus Archiepiscopi vel Episcopi, nec non dum ipsae Dignitates in enuntiatis Missis solemnibus thurificationem accipiunt ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 12 Februarii 1892.

3766. DUBIA.

Postquam literae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu Sacrae Familiae singularum Dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia proposita sunt; nimirum:

Dubium I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime (1) a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

Dubium II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque Indulgentiis ditatae, a singulis familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

Dubium III. Licet ne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae iterum dedicare?

Dubium IV. Quum permultae Orationes, Litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente Emo et Rmo Domino Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. « Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum, Affirmative; quoad Paroecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis Paroeciis; quoad cetera, Non expedire ».

Ad II. « Affirmative; sed coram Imagine Sacrae Familiae ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Quoad Litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad Orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ad hanc Sacram Congregationem, ut debito examini subiiciantur; secus, in posterum licite usurpari nequeant ».

Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum Dominum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutiones Sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit et confirmavit. Die 18 iisdem mense et anno.

3767. CALAGURITANA

ET CALCEATEN.

Rmus Dominus Antonius Maria Cascajares y Azara Episcopus Calaguritanus et Calceatensis, in votis habens ut Ordo di-

(1) Vide inferius Num. 3777 et 3778.

vini Officii recitandi Sacrique peragendi pro sibi commissae Dioeceseos Clero adamussim concordet Rubricis Sacraeque Rituum Congregationis Decretis, insequentia dubia enucleanda Sacrae eidem Congregationi humiliter exhibuit; nimirum:

Dubium I. Quum differant inter se Breviaria in assignando Officio S. Ildephonsi Pont. et Conf., quaeritur: An VIII Responsorium esse debeat *Sint lumbi vestri,* prout assignatur in Appendice Breviarii typici Ratisbonae editi anno 1886 et in codice Ss. Hispaniorum; vel *In medio* prout in Proprio Archidioecesis Toletanae, et in Communi pro tota Hispania?

Dubium II. In Officio SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C., quoad ℟. breve ad Primam *Qui vulneratus es pro nobis,* standum ne pro Breviariis et Diurnali Ratisbonensi, vel pro ceteris alibi excusis?

Dubium III. Num corrigendum sit Breviarium ad normam Martyrologii Romani in fine VI Lectionis Officii Ss. Hemetherii et Celedonii Mm.?

Dubium IV. Quaenam lectio est sequenda pro finali stropha Hymnorum SS. Cordis Iesu, sive in Officio respondente Missae *Egredimini,* sive in Officio respondente Missae *Miserebitur?*

Dubium V. Cuinam Rubricae standum quoad Lectiones I Noct. in Officio Ss. Iustae et Rufinae Vv. et Mm.?

Dubium VI. Et quaenam Rubrica sequenda quoad Lectiones I Noct. in Officio S. Leocadiae V. et M.?

Dubium VII. Ex tribus Lectionibus quae adducuntur pro Officio S. Eulaliae Emeritensis V. et M. quaenam est authentica?

Dubium VIII. Quoad Lectiones I Noct. in Officio S. Dominici Silensis et S. Nicolai Factoris quidnam recte est tenendum?

Dubium IX. Quaenam lectio retinenda pro tota Hispania circa Orationes proprias in Missa S. Prudentii?

Dubium X. Et quidnam retinendum vel cui standum, etiam pro tota Hispania, circa Orationes proprias in Missa S. Paschalis Baylon et S. Nicolai Factoris?

Dubium XI. Abstrahendo a particularibus concessionibus, quaenam Missae dicendae sunt universaliter in Festis S. Antonini ac Ss. Gabini et Sociorum; et undenam sumenda sunt Secreta et Postcommunio?

Dubium XII. Pro Missa Ss. Germani et Servandi Fratrum Mm. standum ne Missali Matritensi in tota Hispania, vel codicibus Ratisbonen. Taurinen. et Barcinonen.? Et quatenus Missali Matritensi: undenam sumenda Secreta et Postcommunio?

Dubium XIII. In Missa S. Raphaelis Archangeli quaenam lectio est sequenda pro tota Hispania?

Dubium XIV. In Festo Ss. Innumerabilium Mm. Caesaraugustanorum retinenda ne est quoad Orationes in Missa lectio codicis Ratisbonensis vel Matriten.?

Dubium XV. Quodnam Graduale est authenticum pro Missa Ss. Aciscli et Victoriae Fratrum Mm.?

Dubium XVI. Pro tota Hispania, excepta Archidioecesi Toletana, quaenam Missa perlegenda in Festo S. Leocadiae V. et M.?

Dubium XVII. Exceptis peculiaribus concessionibus, quoad III Noct. et Missam de Ss. Fructuoso et Sociis, standumne pro tota Hispania codicibus Ratisbonensi, Taurinensi et Matritensi, qui assignant Homiliam in Evangelium *Cum audieritis,* et Missam *Intret* cum 1 Oratione propria: et hoc in casu undenam sumenda Secreta et Postcommunio?

Dubium XVIII. Habendaene sunt Missae Sanctorum infra descriptorum, et Officia propria eisdem Missis respondentia, ut communes pro tota Hispania; vel ut peculiares singularum Dioecesium, pro quibus primitus fuerunt concessae?

Dubium XIX. An Sanctus, perpetuo collocatus extra propriam diem in Calendario approbato a S. R. C. ob occurrentem octavam, restitui debeat ad pristinam diem postquam elevatus fuerit ad ritum 2 classis, faciendo in perpetuum de die octava sicut de Simplici?

Et quatenus negative: An idem dicendum ob occurrentiam alterius Sancti, sola hac differentia, hoc in casu, ut Sanctus non simplificetur, sed perpetuo transferatur ad primam diem liberam?

Et quatenus Sanctus neutro in casu restitui valeat ad propriam diem, an saltem praeeminentiam habeat super Sanctos, ante ipsum et post propriam diem perpetuo collocatos stricto ordine translationis?

Dubium XX. Quoad mutationem tertii versus Hymni *Iste confessor,* quae non adnotatur pro Sanctorum Officiis descriptis in Breviario typico, estne deficientia eiusdem, ita ut sit supplendum in ordinando annuali Calendario?

Dubium XXI. Circa modum annuntiandi in Calendariis Missam pro Sacerdote, qui unam tantum vel duas vult celebrare in Festo Nativitatis Domini, quomodo intelli-

genda est clausula apposita in Decreto S. R. C. de die 19 Iunii 1875, videlicet *iuxta Rubricas peculiares eiusdem diei?*

Dubium XXII. Considerari ne potest in Civitate Calaguritana Festum Ss. Hemeterii et Celedonii diei 3 Martii affixum, velut unum ex solemnioribus de praecepto, ita ut in illo prohibeantur exequiae et Missa solemnis Defunctorum adhuc corpore praesente; et an in eodem Festo censeantur prohibitae Missae in Oratorio privato in praedicta Calaguritana Civitate?

Dubium XXIII. Quoad Missas, quae prohibentur in Oratoriis privatis, num enumeranda sint inter excepta quaecumque Festa solemniora et praeceptiva?

Dubium XXIV. Cum dicitur in Missa 2 Oratio *A cunctis,* eligi ne potest 3 Oratio pro Congregatione et Familia, idest *Defende?*

Dubium XXV. Quaenam regula servanda est circa capitis inclinationes in Missa faciendas, quoties occurrat nomen de Sancto, cuius dicitur Missa vel fit commemoratio: An nempe in principio Epistolae et Evangelii, in Festo ex. gr. S. Pauli vel S. Matthaei? Et versus quemnam locum vel obiectum inclinandum est caput, etiam cum nomen B. M. V. aut Summi Pontificis occurrit?

Dubium XXVI. Quibusnam diebus permittitur Missa de Requiem insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum vel ob morbum contagiosum?

Dubium XXVII. Cum ex indulto Benedicti XIV Sacerdotes in Hispania et Lusitania celebrare possint tres Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, modo pro prima tantum stipendium accipiant (sub poena suspensionis) quaeritur: Quamnam ex tribus Missis designatis in indulto, nimirum 1ª Missa ut in die, 2ª ut in Anniversario, 3ª ut in Quotidianis, dicere debeat in Hispania et Lusitania Sacerdos qui unam celebrare voluerit, in die Commemorationis Defunctorum, sive applicet pro uno, sive pro pluribus? Et quatenus duas celebrare voluerit, quasnam ex tribus eligere teneatur?

Dubium XXVIII. Quoad Lectiones I Noct. in Officio Boni Latronis standum ne Decreto in Minoricen. diei 27 Augusti 1836; vel assignationi Breviarii etiam typici Ratisbonensis?

Dubium XXIX. Tolerari ne possunt descriptae duodeviginti consuetudines, plus minusve a tempore immemorabili invectae in Cathedrali Calaguritana, quas ipse Episcopus Decretis S. R. C. ac dispositionibus Caeremonialis ac Ritualis Romani innixus in antecessum reprobat?

Breviter eiusmodi consuetudines indicantur:

1. In solemnioribus Quadragesimae diebus Missa altera de Feria non cantatur sed legitur, et quidem in Altari Maiori; et dum in Choro cantatur Sexta et Nona. Insuper praedicta Missa, licet lecta, dicitur cum Sacris Ministris.

2. In Missis cantatis de Requiem, licet de die obitus, non canitur nec una stropha Sequentiae *Dies irae.*

3. Ad exponendum SS. Sacramentum in Festo et diebus infra octavam Corporis Christi suspenditur in medio Altaris pallium rubrum ad instar magni conopei, in cuius centro collocatur thronus pro Ostensorio.

4. In Processione SS. Sacramenti Sacra Eucharistia defertur plurium Sacerdotum humeris.

5. In Feria IV Cinerum, non Canonicus celebraturus, sed prima Dignitas imponit cineres Episcopo.

6. In Missis Solemnibus (non Defunctorum) celebratis ab Episcopo, non adhibetur septimum candelabrum.

7. In Processionibus intra Ecclesiam, quibus intervenit Episcopus cum mitra, Canonici incedunt capite cooperto.

8. Episcopo Divina pontificaliter peragente, Cappellanus, sive dum ipse Episcopus legit, sive dum cantat, librum sustinet.

9. Tempore Passionis velantur tantum Cruces Altarium, minime vero Imagines.

10. Finito Evangelio Missae Solemnis, cui assistit Episcopus cum cappa, thurificatur Episcopus non celebrans.

11. Feria VI in Parasceve, redeunte Processione ab Altari Sepulcri, SS. Eucharistiam accipit de manu Episcopi Diaconus assistens, non Diaconus Evangelii.

12. Dum Sabbato Sancto proceditur ad benedictionem novi ignis et incensi, defert Crucem Subdiaconus alius a cantaturo Epistolam, et quidem cum ceroferariis.

13. Presbyteri Reliquias deferentes procedunt capite cooperto.

14. Personarum thurificatio fit duplici thuribulo.

15. Ad absolutionem cantandam ad tumulum, corpore absente, Crucem non de-

fert Subdiaconus Missae, sed Aedituus tonsura tantum insignitus, qui collocatur medius inter tumulum et Altare.

16. Cum aliquis ex Capitulo aegrotat, Missam cantat pro infirmo, post Primam, capitularis alius; et Missa quae cantatur, est ipsamet de Festo canendo post Tertiam.

17. In Missa cantata duo apponuntur Missalia, unum in cornu Epistolae et aliud in cornu Evangelii.

18. Ex concessione privilegii, quae ut dicitur certo non constat, in Dominica infra octavam Ss. Hemeterii et Celedonii canitur Missa de iisdem Sanctis ad modum Votivae solemnis.

Et Sacra Rituum Congregatio propositis dubiis ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad Dubium I. « Servandam esse lectionem, quae prostat in proprio Archidioecesis Toletanae, utpote magis consonam et correlativam ad Missam, quae communiter assignatur, videlicet *In medio,* praesertim pro universo Hispaniae Regno, in quo S. Ildephonsus merito habetur et veneratur ut Ecclesiae Doctor, etsi uti talis non sit adhuc a S. Sede declaratus ».

Ad Dubium II. « Standum pro Breviariis et Diurnali Ratisbonensi ».

Ad Dubium III. « Corrigendum Breviarium ad normam Martyrologii, nempe *quinto Nonas,* ut respondeat ad diem tertiam Martii ».

Ad Dubium IV. « Iuxta Decretum in Taurinen. diei 12 Septembris 1857 in responsione ad II; nimirum *Iesu tibi sit gloria,* in Officio cui respondet Missa *Egredimini;* in alio autem Officio, cui respondet Missa *Miserebitur,* conclusiones Hymnorum minime sunt variandae ».

Ad Dubium V. « Standum Rubricae, quae legitur in codicibus Ss. Hispanorum ».

Ad Dubium VI. « Tenendam Rubricam codicis Ratisbonensis, utpote generaliter servatam ».

Ad Dubium VII. « In posterum habendam ut authenticam Rubricam, quae annuntiatur in codice Ratisbonensi ».

Ad Dubium VIII. « Utroque in casu legantur Lectiones Communes, vel primi, vel secundi loci, habita ratione ad aetatem ».

Ad Dubium IX. « Exceptis Dioecesibus Calaguritana et Calceaten., retinendam lectionem codicis Ratisbonensis ».

Ad Dubium X. « Standum lectioni codicis Ratisbonensis ».

Ad Dubium XI. « Abstrahendo in casu a particularibus concessionibus factis uni vel alteri Dioecesi, quibus standum est, servandos codices Ratisbonenses in assignandis Missis pro utroque ex laudatis Sanctis ».

Ad Dubium XII. « Ut in praecedenti ».

Ad Dubium XIII, XIV et XV. « Authenticam lectionem codicis Ratisbonensis retinendam ».

Ad Dubium XVI. « Excepta Archidioecesi Toletana, quoad Missam S. Leocadiae, in tota Hispania retinendam lectionem, quae traditur in codicibus Ratisbonensi, Taurinensi et Barcinonensi ».

Ad Dubium XVII. « Servatis peculiaribus concessionibus, pro tota Hispania adhibenda Missa *Intret,* et Secreta ac Postcommunio sumenda ab ea ».

Ad Dubium XVIII. « Cum non constet de Decreto extensionis Missarum descriptarum et Officiorum eisdem respondentium ad universam Hispaniam, sequitur ipsas Missas esse habendas uti peculiares singularum Dioecesium, quibus primitus concessae fuere ».

Ad Dubium XIX. « Negative in omnibus ».

Ad Dubium XX. « Supplendum in redactione Calendarii ».

Ad Dubium XXI. « Servandum Decretum in una Ordinis Carthusianorum diei 19 Iunii 1875, idest Sacerdos qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam respondentem circiter horae diei: nimirum *primam* Missam si in media nocte, *secundam* si in aurora, *tertiam* si post auroram celebret ».

Ad Dubium XXII. « Negative, ad primam et secundam partem ».

Ad Dubium XXIII. « Standum indultis particularibus ».

Ad Dubium XXIV. « Negative ».

Ad Dubium XXV. « Inclinationem capitis faciendam in Festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur, minime vero in initiis Epistolae et Evangelii; et ad nomina B. M. V. aliorum Sanctorum et Summi Pontificis inclinationem dirigendam versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali Altaris habeatur statua vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam, quia expressius repraesentant, caput inclinatur ».

Ad Dubium XXVI. « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita

ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittitur ».

Ad Dubium XXVII. « Quoad primam Missam, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; quoad secundam, ad libitum ».

Ad Dubium XXVIII. « Servandum quod praescribitur in typico Breviario ».

Ad Dubium XXIX. « Descriptas consuetudines non esse prorsus tolerandas, imo tamquam abusus et corruptelas reputandas, et ab Episcopo gravissimis rationibus adductis suffulto, pro sua prudentia sensim sine sensu penitus tollendas, exceptis tamen insequentibus iuxta respondentes resolutiones; nempe :

Ad 3. « Posse servari ».

Ad 16. « Consuetudo reprobanda ; sed addi poterit in Missa Conventuali de consensu Episcopi Collecta pro infirmo, salvis Rubricis ».

Ad 18. « Conceditur privilegium vigore facultatum a SS. D. N. Leone XIII specialiter tributarum S. Congregationi ».

DUBIA ADDITIONALIA.

Dubium I. Non obstantibus Decretis, quaeritur :

1. An S. Dominicus annuntiandus sit in posterum Patronus totius Dioecesis; vel tantum Civitatis Calceatensis?

2. An hoc Festum sit praeceptivum pro Civitate Calceatensi?

3. An colendum sit sub ritu duplici 1 classis cum sua octava in universa Dioecesi extra Calceatensem Civitatem?

4. An in Missa dicendum sit *Credo* extra Civitatem Calceatensem?

5. An cum hic sit consuetudo recitandi commemorationem Patroni Dioecesis inter Suffragia, comprehendenda sit commemoratio S. Dominici inter Communes Commemorationes Sanctorum?

Dubium II. An in Missa Ss. Angelorum Custodum diei 2 Octobris facienda sit commemoratio S. Angeli Regni Hispani Custodis, cuius Festum celebratur die praecedenti cum octava?

Dubium III. An in administranda infirmis S. Communione non per modum Viatici, servandae sint tam extra quam intra cubiculum infirmi omnes caeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione Viatici, exceptis tantum verbis : *Accipe Frater, vel Soror?*

Dubium IV. In Offertorio Missarum Dominicae II Adventus et Feriae VI post Dominicam III pariter Adventus, quaenam lectio est recta: *Deus tu convertens,* vel *Deus tu conversus?*

Dubium V. In Oratione propria S. Prudentii Episc. Conf. et S. Pantaleonis Mart. praeponendum ne est nomen adiectivum *Beato, Beatum?*

Dubium VI. Quaenam lectio est sequenda post Introitum Missae S. Isidori Agricolae?

Dubium VII. An in Graduali Missae S. Ferdinandi Regis, tempore Paschali addendum sit ℣. *Iustus germinabit?*

Dubium VIII. An novum Festum S. Silvestri Abbatis assignatum die 26 Novembris sit praeferendum Festo Desponsationis B. M. V. reposito in praefata die?

Dubium IX. Utrum usus, qui fere evasit communis, non leviter imbuendi amylo Corporalia, retineri possit?

AD DUBIA ADDITIONALIA

RESPONSIONES.

Ad I. Quoad 1 quaestionem « S. Dominicus annuntiandus tantum uti Patronus secundarius Civitatis Calceatensis ».

Ad 2. « Negative ».

Ad 3. « Negative, etiam in Civitate Calceatensi »

Ad 4. « Ut in praecedenti ».

Ad 5. « Negative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative iuxta Ritualis Romani praescripta , exceptis excipiendis ».

Ad IV. « In casu recte legendum *Deus tu conversus* ».

Ad V et VI. « Servandam typicam editionem ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Negative: eo quod pro tota Hispania Festum Desponsationis Deiparae ab Apostolica Sede affixum fuit diei 26 Novembris tamquam in die propria ».

Ad IX. « Usus utpote communis in casu potest retineri ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 13 Februarii 1892.

3768. RESOLUTIONES SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS CIRCA USUM LINGUAE SLAVICAE.

Nonnulla dubia super usu linguae palaeoslavicae in sacra liturgia Sacrae Rituum

Congregationi pro opportuna declaratione nuper exhibita sunt. Quum vero Sacra eadem Congregatio circa istud sane grave negocium iampridem suum studium impenderit, ut quaedam normae Rm̃is locorum Ordinariis hac in re traderentur, tandem in Ordinario Coetu die 13 Februarii 1892 coadunato, post maturum examen attentisque praescriptionibus S. Sedis ac potissimum Apostolica Constitutione *Ex pastorali munere* Summi Pontificis Benedicti XIV, diei 26 Augusti 1754, insequentes resolutiones elicere censuit; nimirum :

I. « In Functionibus liturgicis lingua slavica, ubi legitime in usu est, debet esse antiqua slavica, non moderna sive vulgaris ».

II. « Non licet Missam legere vel cantare utendo partim lingua latina, partim slavica; sed permitti potest, ubi lingua slavica invaluit, ut cantatis latino sermone Epistola et Evangelio, utrumque canatur etiam lingua palaeoslavica ».

III. « Sacerdotes, qui ius habent Missas celebrandi et Horas persolvendi lingua slavica, debent non solum uti lingua slavica liturgica, sed etiam, si addicti sunt Ecclesiae, ubi lingua latina adhibetur, Missam solemnem latine celebrare et Horas latino sermone cantare. Idem dicatur de Sacerdotibus, qui, latine Missam celebrantes et Horas persolventes, ministrant Ecclesiae ubi slavica lingua legitime introducta est ».

Die 13 Februarii 1892.

3769. URGELLEN.

De mandato Rm̃i Domini Episcopi Urgellen. hodiernus Ecclesiae Cathedralis Sacrarum Caeremoniarum Magister insequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum :

Dubium I. Quisnam color adhibendus est in Processionibus, quae in Festo S. Sebastiani Mart., utpote pestilitatis depulsoris, ex voto fiunt immediate ante Missam Conventualem in pluribus Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis, quando (prouti anno 1889 accidit) Festum S. Sebastiani Festo SSm̃i Nominis Iesu impeditum occurrit?

Dubium II. An in deferenda Communione infirmis qui, licet gravi morbo non laborent, ad Ecclesiam tamen accedere nequeunt, recitari debeant Psalmus *Miserere* per viam, nec non ℣. *Pax huic domui* et Antiphonae *Asperges* cum ℣℣. et Oratione *Exaudi nos* in cubiculo infirmi; et demum, data Communione, alia Oratio *Domine Sancte etc.* ut in Rituali.

Dubium III. Utrum Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, quae per Decretum Urbis et Orbis diei 28 Iunii celebrari permittitur in iis Ecclesiis seu Oratoriis ubi (Feria VI quae prima in unoquoque mense occurrit) pietatis exercitia in honorem divini Cordis mane peragentur, iisdem omnino gaudeat privilegiis, quibus Missa votiva solemnis *pro re gravi,* iuxta nonnullorum sententiam; an potius dicenda sit modo prorsus votivo, sine *Gloria* et sine *Credo,* cum tribus Orationibus et *Benedicamus Domino* in fine?

Dubium IV. An Subdiaconus in Missa Pontificali ascendere debeat ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae, tum ad recitandum simul cum Pontifice *Agnus Dei,* tum ad aquam infundendam dum Pontifex se purificat post Communionem? Et quatenus Negative,

Dubium V. An saltem ad *Sanctus* ascendere teneatur, ubi talis viget consuetudo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet :

Ad I. « Adhibendus color proprius S. Martyris, hoc est rubeus ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et detur Decretum in una Montis-Politiani diei 26 Maii 1890 in responsione ad primum ».

Ad IV. « Negative ad utrumque; et in omnibus servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. VIII, § 75 et 76 ».

Ad V. « Negative; et servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. VIII, § 63 et 67 ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 19 Februarii 1892.

3770. SEDUNEN.

Hodiernus Cancellarius Curiae Episcopalis Sedunen. de mandato Rm̃i Domini Episcopi Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum :

Rituale Romanum exhibens benedictionem simplicem Campanae, addit haec verba: *Quae tamen ad usum Ecclesiae non inserviat.* Hinc quaeritur :

Dubium I. Utrum quoties benedicuntur Campanae, quae ad usum Ecclesiarum vel Sacellorum inserviunt, adhibendae sint ab Episcopo caeremoniae et unctiones in Pontificali Romano praescriptae? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Pro quibusnam Campanis benedictio simplex proprie adhibeatur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Pro omnibus campanis quae ad usum sacrum non inserviunt, adhibeatur adnexa formula nuperrime approbata ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 4 Martii 1892.

3771. MAURIANEN.

Rmus Dominus Michael Rosset Episcopus Maurianen. sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humiliter subiecit; nimirum:

Iuxta Pontificale Romanum, ubi de consecratione Altaris tum fixi tum portatilis agitur, quinque Cruces in parte superiori lapidis Oleo sacro inungendae sunt. Si Crux in medio lapidis absit, ac proinde in Altaris consecratione omittatur unctio istius Crucis, quaeritur: Utrum invalida sit consecratio?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Valida est consecratio; sed unctio in medio tabulae numquam omitti debet, quamvis Crux ibidem sculpta non sit ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 2 Maii 1892.

3772. ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM S. FRANCISCI.

Rmus Pater Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum pro Hispania Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. An Parochi Regulares in Philippinis Insulis Divinum Officium recitare teneantur iuxta Calendarium sui Ordinis? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. An Regulares recitare debeant Officium Sanctorum Titularium Ecclesiarum quibus praesunt uti Parochi, etsi ea Officia ab Religiosis illius Provinciae non persolvantur?

Dubium III. An eiusmodi Officia Titularium recitari debeant a Parochis Regularibus sub ritu Duplici primae classis cum octava; vel sufficiat ut ipsi Missam solemnem de Titulari Paroeciae celebrent?

Dubium IV. Quum a Sede Apostolica inde ab anno 1670 Insularum Philippinarum Patrona declarata fuerit Sancta Rosa, Virgo Limana, quaeritur: An a Religiosis memorati Ordinis ibidem commorantibus Officium recitari debeat sub ritu Duplici primae classis; etsi in Calendario eiusdem Ordinis notetur Festum ipsius Sanctae sub ritu duplici tantum minori?

Dubium V. Ab immemorabili tempore ab Alumnis Provinciae a S. Gregorio Magno nuncupatae Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum Festum S. Petri de Alcantara recolitur sub ritu Duplici primae classis cum octava, etsi in Calendario Ordinis assignetur ritus Duplex secundae classis absque octava. Quaeritur: An Religiosi Provinciae continuare possint dictam consuetudinem; vel debeant sese conformare Ordinis Calendario?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii et exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I et II. « Affirmative; iuxta Decreta alias edita ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; saltem donec non constet de legitimitate privilegii ».

Et ita rescripsit et declaravit.

Die 13 Maii 1892.

3773. RHEMEN.

Ex Apostolico indulto diei 28 Iunii 1889 in Archidioeceseos Rhemen. Ecclesiis, ubi Feria VI, quae prima occurrit in unoquoque mense, fiunt de mane pia exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu, Missa votiva de eodem Sacro Corde solet celebrari. Quum vero Sacra Rituum Congre-

gatio die 20 Maii 1890 rescripserit eiusmodi Missam celebrandam esse ritu, quo Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* atque unica Oratione celebrantur; hinc Rm̃us Vicarius Generalis Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis Benedicti Mariae Langénieux Archiepiscopi Rhemen. eidem Sacrae Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit; nimirum:

An haec verba *Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, ritu Missae votivae solemnis celebranda* intelligi queant etiam de Missa lecta, seu sine cantu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 20 Maii 1892.

3774. CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.

Rm̃us P. Nicolaus Mauron Congregationis Sanctissimi Redemptoris Superior Generalis et Rector Maior, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna resolutione humillime subiecit; nimirum:

Sacra eadem Congregatio, per Decretum datum sub die 30 Augusti anno 1883, Orationem et Lectiones historicas recitandas in Festo S. Ioannis Damasceni Confessoris in usum Alumnorum Congregationis SSm̃i Redemptoris approbavit, atque eidem Festo in Proprio Religiosae Congregationis assignata fuit ab Apostolica Sede dies 13 Maii.

Quum vero per Decretum Generale eiusdem Sacrae Congregationis diei 19 Augusti 1890, idem Festum ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, addito S. Ioanni Damasceno titulo Doctoris, variisque immutationibus, cum in Officio tum in Missa inductis, et assignato Festo diei 27 Martii; quaeritur:

An Alumni dictae Congregationis sequi teneantur posterius Decretum Generale, tum quoad Missam et Officium S. Ioannis Damasceni, tum etiam quoad diem pro Ecclesia universali memorato Festo assignatam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Ad primam partem, Affirmative; Ad secundam partem, Negative in casu ». Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 20 Maii 1892.

3775. VICENTINA.

Rev. hodiernus Prior Ecclesiae et Coenobii Beatae Mariae Virginis ad Montem Bericum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis apud urbem Vicentiae, de consensu Rm̃i Domini Episcopi Vicentini, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum ex publico Civitatis Vicentiae et antiquissimo voto duae Processiones fiant ad praefatam Ecclesiam, quibus Rm̃us Episcopus una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis, et Parochis Stola decoratis ceteroque Clero et Confraternitatibus interesse solet; mos est ut ad Ecclesiae ianuam Religiosa Familia Processiones excipiat, ac Prior superpelliceo Stolaque indutus accedentibus porrigat aquam benedictam. Episcopo tamen ad limen templi pervento, Prior, Stola deposita ac praevio manus osculo, aspergillum tradit, ut Antistes populo benedicat. Quaeritur:

I. An liceat Superiori Regulari Ecclesiae in Monte Berico excipere ad ostium Processiones, indutus superpelliceo et Stola?

II. An liceat Parochis, qui dictis Processionibus intersunt, Ecclesiam Beatae Mariae Virginis ad Montem Bericum ingredi cum Stola?

III. Et quatenus Negative ad 1 et 2, supplicibus et communibus votis expetitur, ut exposita consuetudo servari possit.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis censuit rescribendum, videlicet:

« Expositam consuetudinem servari posse ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Maii 1892.

3776. SPALATEN.

Rm̃us Dominus Philippus Franciscus Nakic Episcopus Spalaten. Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur exposuit:

In Dioecesi Spalatensi antiqua viget consuetudo in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes fontem baptismalem benedicendi

tantum in Cathedrali, Concathedrali, Collegiata et nonnullis praecipuis parochialibus Ecclesiis; pro usu vero fontium baptismatum reliquarum Ecclesiarum parochialium defertur aqua benedicta ex memoratis Ecclesiis. Eiusmodi consuetudo, minime consentanea ritualibus praescriptionibus, repetenda probabiliter est ex eo quod olim istae Ecclesiae parochiales fuerint succursales illarum, in quibus aqua baptismalis benedicitur: et ex eo quod in nonnullis Parochiis ob defectum ministrorum, quia fideles in memoratis diebus ad Ecclesiam non accednnt, solemnis benedictio difficulter perageretur. Idem Rm̃us Episcopus, hisce expositis, a Sacra Rituum Congregatione declarare petiit:

Dubium I. An ista consuetudo ulterius toleranda sit?

Dubium II. An benedictio fontis, in casu quo fideles non accedant ad Ecclesiam diebus statutis, privatim absolvenda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita hisce dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative; exceptis, si adsint, specialibus ac determinatis iuribus circa Ecclesias matrices ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 7 Iunii 1892.

3777. LEO PAPA XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu secula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa constitit; ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis,* habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus No-

stris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus magno in honore habitus est iam inde a seculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam pervasit: deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare: providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius IX similibus Litteris approbavit, deinceps Epistola die V Ianuarii MDCCCLXX ad pium auctorem data, singularis laudis praeconio est prosequutus. Ad Nos quod attinet, cum summopere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, noluimus desiderari laudem et commendationem Nostram; datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum, S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragante dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat, probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus. Deinde veriti ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret; eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnaret, quibus in universo catholico orbe piae consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accuratum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur.

STATUTO DELLA PIA ASSOCIAZIONE UNIVERSALE DELLE FAMIGLIE CONSACRATE ALLA SACRA FAMIGLIA DI NAZARET.

1°. Scopo della pia Associazione si è che le famiglie cristiane si consacrino alla Sacra Famiglia di Nazaret e la propongano alla propria venerazione ed esempio, onorandola davanti la sua imagine con preghiera quotidiana, e modellando la vita sulle sublimi virtù, delle quali essa diede l'esempio ad ogni classe sociale, e particolarmente all' operaia.

2°. La Pia Associazione ha il suo centro in Roma presso l'Emo Cardinale Vicario *pro tempore* di Sua Santità, che ne è il Protettore. Egli coadiuvato da Monsignor Secretario della Sacra Congregazione dei Riti e da due altri Prelati a sua scelta, ed oltre a questi da un Ecclesiastico coll' officio di *Segretario*, dirige l' Associazione medesima in tutte le parti del mondo, pro-

1°. Finis huius piae consociationis hic est, ut familiae christianae sese voveant sacrae Familiae de Nazareth, eandemque colant et exemplaris instar habeant, eam venerando coram eiusdem imagine, precibus quotidianis, vitamque conformando excelsis virtutibus, quarum ipsa exemplum praebuit cuique ordini societatis et praecipue operariis.

2°. Pia consociatio centrum habet proprium apud Emum Cardinalem, Vicarium *pro tempore* Sanctitatis Suae, qui consociationis est protector. Ipse coadiutus a R. P. D. Secretario Sacrae Rituum Congregationis, et a duobus aliis Praelatis ab eodem eligendis, atque insuper ab ecclesiastico viro cum Secretarii munere, consociationem eandem moderatur apud cunctos mundi fide-

curando che essa conservi lo spirito e il carattere della propria istituzione, è sempre più si propaghi.

les, studendo ut ipsa spiritum indolemque servet propriae institutionis, et magis in dies propagetur.

3°. In ogni Diocesi o Vicariato Apostolico, l'Ordinario per meglio promuovere la Pia Associazione tra i suoi fedeli, si varrà dell'opera di un Ecclesiastico a sua scelta, col titolo di *Direttore diocesano.*

3°. In qualibet Dioecesi aut Vicariatu Apostolico, Ordinarius, ut satius promoveat piam consociationem inter suos fideles, utetur opera alicuius viri ecclesiastici, ab eodem eligendi, cum titulo *moderatoris dioecesani.*

4°. I Direttori Diocesani terranno corrispondenza coi Parrochi, a' quali soli è affidata l'ascrizione delle famiglie della rispettiva loro Parrocchia. Nel Maggio poi di ciascun anno i Parrochi comunicheranno ai Direttori Diocesani, e questi, sotto la dipendenza dell'Ordinario, alla Sede centrale di Roma, il numero delle nuove famiglie ascritte alla Pia Associazione.

4°. Moderatores dioecesani habebunt Parochos mutuos curatores; quibus tantum concreditur adscriptio familiarum suae respectivae Paroeciae. Mense autem Maio cuiuslibet anni Parochi moderatores dioecesanos, istique, sub Ordinarii dependentia, sedem Romae centralem certiorem facient de numero familiarum, quae piae consociationi adscriptae sunt.

5°. La consacrazione delle famiglie si farà secondo la formola approvata e prescritta dal Sommo Pontefice Leone XIII. Essa può farsi in particolare da ciascuna famiglia, ovvero da più famiglie riunite nella Chiesa Parrocchiale presso il proprio Parroco, o suo delegato.

5°. Familiarum consecratio fiet iuxta formulam probatam praescriptamque a summo Pontifice Leone XIII. Haec fieri potest singillatim a qualibet familia, seu a pluribus familiis in Ecclesia paroeciali collectis, coram Parocho proprio vel istius delegato.

6°. L'immagine della Sacra Famiglia di Nazaret dovrà trovarsi in ciascuna delle famiglie ascritte, ed i membri di esse almeno una volta al giorno, e possibilmente la sera, pregheranno in comune innanzi la medesima. Si raccomanda a tal uopo in modo particolare la formula di preghiera approvata dal Regnante Sommo Pontefice, ed altresì l'uso frequente delle tre note giaculatorie:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l'anima mia.

6°. Apud unamquamque ex familiis adscriptis servetur imago Sacrae Familiae de Nazareth; membraque earundem, saltem semel in die, et praesertim de sero, preces fundent in unum collecta apud eandem. Enixe commendatur ad id formula precum probata a Regnante Summo Pontifice, una cum frequenti usu trium sequentium: invocationum:

Iesu, Maria, Ioseph, vobis dono cor et animam meam.

Iesu, Maria, Ioseph, adiuvate me in extrema agonia.

Iesu, Maria, Ioseph, expirem in pace vobiscum animam meam.

7°. L'immagine della Sacra Famiglia può essere o quella menzionata nella Lettera della sa. me. di Pio IX del 5 gennaio 1870, o qualunque altra, in cui sia rappresentato il Nostro Signore Gesù Cristo nella sua vita nascosta che menò con la Bm̃a Vergine Sua Madre e col castissimo Sposo di Lei, San Giuseppe. Rimane però sempre nell'Ordinario, a norma del Tridentino, il diritto di escludere quelle immagini che non fossero secondo il concetto proprio di questa Associazione.

7°. Imago S. Familiae aut illa esse potest, de qua agitur in Litteris Pontificis sa. me. Pii IX diei 5 Ianuarii 1870, vel quaevis alia, quae referat Iesum Christum Dominum nostrum in sua vita privata, quam duxit cum B. V. Maria eius Matre et cum castissimo eius sponso Sancto Iosepho. Manet tamen semper apud Ordinarium, iuxta Tridentinum, ius excludendi imagines illas, quae huius consociationis conceptui apprime non respondeant.

8°. Le famiglie ascritte all'Associazione godono delle Indulgenze e dei vantaggi spirituali concessi dai Sommi Pontefici, come viene indicato nella pagella di aggregazione.

8°. Familiae adscriptae huic consociationi fruuntur indulgentiis et bonis spiritualibus a Summis Pontificibus concessis, ceu innuitur in chartula consociationis.

9°. Il Cardinale Protettore col suo Consiglio formerà e pubblicherà un Regolamento, nel quale si troveranno particolari disposizioni intorno a ciò che puó tornare più utile alla Pia Associazione; e specialmente s'indicheranno le sue Feste proprie, il giorno della Festa titolare, la rinnovazione annua dell' atto di consacrazione da farsi collettivamente, le adunanze da tenersi ecc.

9°. Emus Cardinalis protector cum suis consiliariis paret et in lucem edat normam directivam, quae exhibebit speciales dispositiones circa ea, quae utiliora esse possunt piae consociationi: et in ea praesertim indicabuntur eius festa propria, dies festi Titularis, annua iteratio actus consecrationis insimul peragendae, sessiones habendae etc.

APPROBATIO STATUTORUM.

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavimus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus; derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III Octobris anno MDCCCLXV datis; et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volumus autem, iubemus ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli, quae nunc existunt, in hanc unicam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli, quae Constitutionibus utantur ab hac S. Sede adprobatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII in Constitutione *Quaecumque,* die VII Decembris anno MDCIV. Hae vero Confraternitates ac religiosae Congregationes, quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab huiusmodi cura, quae solummodo Parochis commissa est, prorsus abstineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis iterum adscribantur, dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae summam potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Consilium adesse volumus Urbanorum Antistitum, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi quidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores. Decernentes haec omnia et singula, uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri Anno XV.

S. Card. Vannutelli.

3778 LEO PAPA XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque Officio Nostro facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis Familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocaretur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae premunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo: quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur: ea enim florente, facile fides, pietas et omnis christiana laus in Familiis revirescent. Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium bonorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoverunt, nimirum a Iesu, Maria et Ioseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his litteris, poenarum remissionibus seu indulgentiis privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes quam futuros uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM

PIAE CONSOCIATIONI SACRAE FAMILIAE

TRIBUENDORUM.

Indulgentiae Plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel Oratorium publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, Indulgentiam plenariam consequendi ius esto diebus, qui infra scripti sunt.

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consecrationis formula a Nobis per Nostram Rituum Congregationem probata, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in anno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, consuetudinem, ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitatum

1°. Nativitatis
2°. Circumcisionis
3°. Epiphaniae
4°. Resurrectionis
5°. Ascensionis } D. N. I. C.

6°. Immac. Conceptionis
7°. Nativitatis
8°. Annuntiationis
9°. Purificationis
10°. Assumptionis } B. M. V.

Item diebus festis

11°. S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii.

12°. Patrocinii eiusdem, Dominica tertia post Pascha.

13°. Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in Familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I.

Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Ecclesiam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sacrariumve celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum

1°. Die Visitationis } B. M. V.
2°. Die Praesentationis } B. M. V.
3°. Die Patrocinii } B. M. V.
4°. Quolibet die iidem sodales una simul in propriis Familiis adscriptis congregati, ante imaginem sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint.
5°. Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

II.

Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum, quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem Sacrae Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA

ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE.

« O amantissime Iesu, qui ineffabilibus « tuis virtutibus et vitae domesticae exem-« plis Familiam a te electam in terris con-« secrasti, clementer aspice nostram hanc « domum, quae ad tuos pedes provoluta « propitium te sibi deprecatur. Memento « tuam esse hanc domum; quoniam tibi se « peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam « benignus tuere, a periculis eripe, ipsi « in necessitatibus occurre, et virtutem lar-« gire, qua in imitatione Familiae tuae san-« ctae iugiter perseveret; ut mortalis suae « vitae tempore in Tui obsequio et amore « fideliter inhaerens, valeat tandem aeter-« nas tibi laudes persolvere in caelis.

« O Maria, Mater dulcissima, tuum prae-« sidium imploramus, certi divinum tuum « Unigenitum precibus tuis obsecuturum. « Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha san-« cte Ioseph, potenti tuo patrocinio nobis « succurre, et Mariae manibus vota nostra « Iesu Christo porrigenda submitte ».

Ii vero sodales, qui vel infirmitate, vel alia caussa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri.*

III.

Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

« Gesù, Maria, Giuseppe, illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia ».

IV.

Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut Christianae Familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V.

Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: 1°. in Ecclesia parochiali, in qua sedem habet Consociatio, sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis Officiis devote adstiterint: 2°. vel quinquies recitaverint Orationem dominicam et salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis: 3°. vel familiarum dissidia composuerint, vel componenda curaverint: 4°. vel Familias a iustitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint: 5°. vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint: 6°. vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis Indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in Altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in Altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis.

I. Privilegium Altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simili privilegio alia de caussa non perfruantur.

II. Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas Indulgentias, quas Summi Pontifices adtribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1°. christiani piam ingrediuntur Consociationem: et 2°. sollemniter renovatur pactum Consociationis.

FORMULA

Recitanda quocumque idiomate a christianis familiis quae se sacrae Familiae consecrant.

« O Iesu Redemptor noster amabilissi-
« me, qui e caelo missus ut mundum do-
« ctrina et exemplo illustrares, maiorem
« mortalis tuae vitae partem in humili
« domo Nazarena traducere voluisti, Mariae
« et Iosepho subditus, illamque Familiam
« consecrasti, quae cunctis christianis fami-
« liis futura erat exemplo; nostram hanc
« domum, quae Tibi se totam nunc devo-
« vet, benignus suscipe. Tu illam protege
« et custodi, et sanctum tui timorem in ea
« confirma, una cum pace et concordia
« christianae caritatis: ut divino exemplari
« Familiae tuae similis fiat, omnesque ad
« unum quibus ea constat, beatitatis sem-
« piternae sint compotes.

« O amantissima Iesu Christi Mater et
« mater nostra Maria, tua pietate et cle-
« mentia fac ut consecrationem hanc no-
« stram Iesus acceptam habeat, et sua no-
« bis beneficia et benedictiones largiatur.

« O Ioseph, sanctissime Iesu et Mariae
« custos, in universis animae et corporis
« necessitatibus nobis tuis precibus succur-
« re; ut tecum una et beata Virgine Maria
« aeternas divino Redemptori Iesu Christo
« laudes et gratias rependere possimus ».

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX Iunii MDCCCXCII, Pontificatus Nostri Anno XV.

S. Card. Vannutelli.

3779. LAUDEN.

Rm̃us Dominus Ioannes Baptista Rota Episcopus Lauden., animadvertens in pastorali visitatione, quod in pluribus Dioeceseos sibi commissae Ecclesiis sacra paramenta et supellectilia adhibentur haud liturgicis legibus conformia, quae quidem ob res angustas haud facile est passim renovari; Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. Num adhiberi possint sacra paramenta ex mera lana confecta, prohibendo tamen ne in posterum emantur?

Dubium II. Num Albae veteres ex gossypio acu pictae permitti possunt donec consumantur?

Dubium III. Num in Oratoriis ruralibus atque Ecclesiis, quae parvum habent censum, Planetae sericae flavi coloris, ut antea adhiberi possint?

Dubium IV. In hac Dioecesi extant multa Altaria portatilia (vulgo *pietre sacre*), quorum operculum ex metallo confectum est. Quaeritur num eiusmodi Altaria consecrationem amiserint?

Dubium V. Thecae vetustae cum Reliquiis, quae authentico documento carent, olim ad suppressa Monasteria spectantes, possuntne exponi in Altari, uti fit ab immemorabili tempore?

Dubium VI. Debentne rursus consecrari Altaria Ecclesiarum olim ad monasticos Ordines pertinentium, quae habentur passim consecrata, etsi careant sepulcro Reliquiarum, procul dubio sub tabulis marmoreis reconditarum, uti recognitum fuit in duabus Ecclesiis, quarum Altaria rursus consecrata sunt?

Dubium VII. Num causa sufficiens haberi potest, ad permittendum Parochis Oleum Infirmorum apud se domi retinere, quod haec ab Ecclesia parochiali seiuncta sit; ita ut huius fores noctu per accitos famulos aperiendae essent?

Dubium VIII. Fasne est Parochis Stolam induere super rochettum aut superpelliceum, sed mantelletta contectum, quoties Sacramenta administrant?

Dubium IX. Canonici Ecclesiae Cathe-

dralis, induti cappa magna et Stola, possuntne sacram Synaxim distribuere, vel patenam deferre seu porrigere, quoties Episcopus solemniter Sanctissimam Eucharistiam fidelibus distribuit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Pro gratia, donec consumantur ».

Ad III. « Negative; iuxta Decretum in una Mutinen. diei 23 Septembris 1837 ad V in responsione ad 1 ».

Ad IV « Negative ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Datur potestas, vigore facultatum Sacrae Rituum Congregationi a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, consecrandi per breviorem formulam ea tantum Altaria, quae certo constet numquam consecrata fuisse ».

Ad VII. « Negative; et detur Decretum in una Toletana diei 31 Augusti 1872 ad V ».

Ad VIII et IX. « Negative ».

Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit.

Die 23 Iunii 1892.

3780. ROMANA

RESOLUTIONIS DUBIORUM.

Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia diluenda proposita fuerunt:

Dubium I. Num Sacerdos, populo cum sacra Pyxide benedicens, eam semper cooperire debeat cum extremitatibus veli humeralis?

Dubium II. Num Vice-parochus gaudeat iure praecedentiae super alios Sacerdotes, antiquiores ratione Ordinationis?

Dubium III. In Ecclesiis vel Oratoriis publicis Ecclesiae parochiali subiectis celebrari ne possunt Missae Dedicationis aut Titularis (de quibus in eadem parochiali Ecclesia Festum agitur) sub eodem ac in illa solemniori ritu?

Dubium IV. Num Throno, qui pro expositione inservit, affigi possint hinc inde candelabra pro eadem expositione accendenda?

Dubium V. Num tolerari possit, ut fundus coloratus supponatur textili denticulato vel operi phrygio in manicis et fimbriis Albarum, nec non in manicis rochetti?

Dubium VI. Num Officia vel accidentaliter vel perpetuo transferenda recitari possint diebus (Festo duplici vel semiduplici non impeditis) qui Antiphonas maiores exigunt et octavas excludunt?

Dubium VII. Num Antiphonae, si habeant in fine *Alleluia,* semper cum eodem *Alleluia* recitari debeant?

Dubium VIII. Num Absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepulturam cantari quotidie possit; maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas?

Dubium IX. Num interveniente Magistratu solemniori Missae, Celebrans pluviali indutus licite cum illo Confessionem faciat eidemque Pax cum instrumento deferatur a Clerico superpelliceo induto?

Dubium X. Num Hebdomadarius, benedictionem dans pro Lectionibus dicendis, semper stare debeat?

Dubium XI. Num etiam alii Canonici stare debeant, dum Hebdomadarius, stans benedictionem dicit?

Dubium XII. Num Episcopo vel Canonico pluviali induto, Officium peragente et IX Lectionem canente, omnes stare in Choro debeant?

Dubium XIII. Num liceat Canonicis tempore divinorum Officiorum recedere etiam ad tempus a Choro, quin distributiones quotidianas amittant, celebrandi causa?

Sacra Rituum Congregatio, subscripta die in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata, audito voto Commissionis Liturgicae, respondit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative; nisi agatur de functionibus, in quibus fungitur munere suo ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Quoad manicas et fimbrias Albarum, Affirmative; quoad manicas autem in rochettis, fundum esse posse coloris vestis talaris relativae dignitatis ».

Ad VI. « Affirmative; iuxta Rubricas ».

Ad VII. « Affirmative; excepto tempore a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum ».

Ad VIII. « Affirmative; exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque habere locum poterunt privatae post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, nunquam post Missam de

die, nisi omnino independenter ab eadem ».

Ad IX. « Quoad Confessionem, Negative ; quoad pluviale, pariter Negative ; et Celebrans induat Casulam, iuxta Rubricam Missalis. Instrumentum autem Pacis deferatur ab eodem Ministro, qui illam per osculum defert Dignitatibus et Canonicis ceterisque Choro interessentibus, iuxta Rubricam Caeremonialis Episcoporum Lib. I, Cap. XXIV, § 7 ».

Ad X. « Affirmative ; iuxta Caeremoniale Episcoporum ».

Ad XI. « Affirmative, ad primam, quartam et septimam Lectionem ; Negative, in aliis ; nisi adsit standi consuetudo, quando Matutinum solemniter cantatur ».

Ad XII. « Affirmative ».

Ad XIII. « Negative; nisi ad utilitatem Ecclesiae cum licentia Superioris ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 12 Iulii 1892.

3781. DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio, Rubricis inhaerens Caeremonialis Episcoporum, declarat :

I. « Antiphonas in Choro, nonnisi stando, esse intonandas a quibuscumque seu Beneficiatis aut Mansionariis seu Canonicis ».

II. « Si ab uno ex Canonicis intonantur, omnibus esse surgendum in Choro praesentibus, Hebdomadario excepto, si sit paratus ; vel ab una illius qui intonat parte, vel ab utraque, iuxta Ecclesiarum consuetudinem ».

III. « Si vero Antiphona ab uno ex Beneficiatis aut Mansionariis intonetur, omnes, Canonicis exceptis, surgere debere, vel ab una tantum parte, ut supra, vel ab utraque; prouti Ecclesiarum fert consuetudo ».

Atque ita servari mandavit.

Die 12 Iulii 1892.

3782. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, alias editis Decretis inhaerens, declarat : « Canonicos in Missis aliisque functionibus, quae Diaconi ac Subdiaconi ministerium exigunt, Vesperis proinde ac Matutinis exclusis, teneri Dignitatibus et Canonicis celebrantibus, etsi Coadiutoribus tantum, inservire in Ecclesiis, ubi Praebendae omnes praesbyterales non sunt, nisi aliter ferat necessitas vel consuetudo; idque in propriis tantum, non autem in alienis Ecclesiis, nisi interveniente Capitulo ».

Declarat insuper eadem Sacra Rituum Congregatio: « Canonicos ad praefata obeunda munera compelli quoque posse sub multis, poenis et censuris, auctoritate Episcopi ; haud obstante quacumque etiam immemorabili consuetudine in contrarium, quam abusum esse declarat ».

Die 12 Iulii 1892.

3783. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, Decretis alias editis inhaerens, declarat et statuit :

« In Ecclesiis Collegiatis et Cathedralibus, ubi Praebendae non sunt distinctae, Canonicos vel etiam Beneficiatos Sacerdotes in omnibus praecedentiam habere super Canonicos vel Beneficiatos, qui sacerdotali charactere non sunt insigniti, quamvis in possessione antiquiores. Hanc autem praecedentiam adhuc retinendam esse Sacra Rituum Congregatio decernit, postquam praefati Canonici aut Beneficiati ad Sacerdotalem gradum ascenderint. Quod denique de Canonicis et Beneficiatis presbyteris super alios Canonicos aut Beneficiatos in inferiori ordine constitutos Sacra Rituum Congregatio statuit, id quoque intelligendum esse declarat de Canonicis Diaconis supra Subdiaconos, de Subdiaconis supra reliquos Clericos ; dummodo non obstet consuetudo contraria, aut Constitutiones Capitulares ».

Die 12 Iulii 1892.

3784. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, statuit :

I. « In omni seu Sacramentorum seu Sacramentalium confectione et administratione, tam in propriis quam in alienis quibuscumque Ecclesiis, utendum esse semper superpelliceo et Stola: retento nihilominus quod Rituale Romanum docet circa Sacramentum poenitentiae (Tit. III, cap 1, n. 9) ».

II. « Canonicis et Parochis quocumque privilegio fruentibus, etiam deferendi rochettum et mozzettam coram Pontifice, in iisdem Sacramentis et Sacramentalibus conficiendis et administrandis, usum cappae, mozzettae, vel caputii esse omnino interdictum; ii nihilominus, qui rochetti privilegio gaudent, idem retinere, sed in propria tantum Ecclesia, privilegio secluso, permittuntur, dummodo super illud superpelliceo ac Stola induantur : qui vero superpelliceum super

rochettum induere prohibentur, nonnisi cum superpelliceo ac Stola, Sacramenta et Sacramentalia conficiant et administrent ».

III. « In concionibus autem, nec non in publicis conventibus sacris, usum cappae, mozzettae vel caputii Sacra Rituum Congregatio permissum declarat iis tantum, qui eiusmodi insignibus gaudent, in solis tamen Ecclesiis propriis, haud vero in alienis, privilegio pariter secluso, nisi in his capitulariter conveniant; nunquam autem in aliena Dioecesi ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Iulii 1892.

3785. MEXICANA.

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Collegiatae sub titulo B. M. V. de Guadalupe in Civitate atque Archidioecesi Mexicana, de mandato sui Rm̃i Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

In memorati templi, quae nunc absolvuntur, instaurationibus habetur renovatum Altare maius, ubi B. M. V. de Guadalupe imago depicta collocanda erit, medium inter binas marmoreas statuas, scilicet Rm̃i Domini Zumarraga primi Antistitis Mexicani et cuiusdam Indi Ioannis Didaci, cui Deipara Virgo fertur apparuisse. Quaeritur: An praedictas virorum statuas, etiamsi adorantium instar, ibi apponere liceat?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Simulacra, de quibus in casu, collocari poterunt in Ecclesia, dummodo non exponantur super Altare ».

Atque ita rescripsit.

Die 15 Iulii 1892.

3786. DIANEN.

Rm̃us Dominus Vincentius Addessi Episcopus Dianen. sequens dubium a Sacra Rituum Congregatione declarari humiliter expetivit; nimirum:

A pluribus annis in Cathedrali Ecclesia Dianen. invecta est consuetudo, qua Canonici et Mansionarii Choro addicti in Missis Conventualibus, imo et in Pontificalibus, neque canunt, neque submissa voce recitant *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus*; sed haec omnia peragi sinunt ab uno laico, qui Organum pulsat.

Quaeritur an haec consuetudo sustineri possit, vel potius eliminanda sit velut abusus?

Et Sacra Rituum Congregatio huic dubio rescribendum censuit;

« Standum esse in omnibus Caeremoniali Episcoporum ».

Atque ita declaravit et rescripsit.

Die 22 Iulii 1892.

3787. NICOSIEN.

In Ecclesia olim Collegiata, nunc Concathedrali, Nicosiensi singulis Feriis secundis per annum ab immemorabili tempore viget consuetudo a vespere Matutinum Defunctorum recitandi. Nunc vero dubium inter capitulares exoritur, an teneantur id exequi, quoties in Feriam secundam incidat Festum solemnius, ex. gr. Nativitatis, Epiphaniae Domini, vel duplex quodpiam primae vel secundae classis. Hinc Rm̃us Dominus Bernardus Cozzuoli hodiernus Episcopus Nicosien. sequens dubium S. R. C. pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

An stante immemorabili consuetudine recitandi singulis Feriis secundis totius anni Officium Defunctorum, debeat recitari ratione Rubricae, etiam quando in aliqua ex dictis Feriis incidat Festum de praecepto, vel primae aut secundae classis, vel octava ex privilegiatis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio respondendum censuit; videlicet:

« Consuetudinem, ut in casu, servari posse, exceptis tantum duplicibus primae classis et Festis de praecepto quoad forum ».

Die 22 Iulii 1892.

3788. LUCIONEN.

De mandato Rm̃i Domini Lucionen. hodiernus in Cathedrali Ecclesia Lucionensi Calendarii Ordinator sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. In secundis Vesperis Officii Apparitionis B. M. V. (extra propriam diem 11 Februarii) more votivo decantatis, prout saepius accidit in supplicationibus quae ad Basilicam ipsam Lapurdensem (*Lourdes*) per annum a peregrinis fieri solent, quaenam Antiphona ad *Magnificat* adhibenda est?

Anne Antiphona *Hodie gloriosa* ut in secundis Vesperis Festi, quae propria videtur ipsius diei Apparitionis; vel Antiphona *Ista est columba,* ut in primis Vesperis eiusdem Officii?

Dubium II. In Festo S. Hilarii (die 14 Ianuarii) totius Provinciae nostrae Patroni principalis, sub ritu duplici primae classis cum octava, nec non in die Festi Sacratissimi Cordis Iesu, ad ritum duplicem primae classis iam evecti, licetne Officium Defunctorum, praesente cadavere, solemniter decantare?

Et Sacra Rituum Congregatio, ita propositis dubiis censuit rescribendum; videlicet:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, quoad dubium S. Hilarii Patroni principalis; Affirmative, quoad Festum Sacratissimi Cordis Iesu ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 4 Augusti 1892.

3789. DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Ex quo Summus Pontifex Pius IX beatum Ioseph, purissimum Deiparae Immaculatae Virginis Sponsum atque Christi Domini Salvatoris nostri putativum Patrem, universae Catholicae Ecclesiae Patronum constituit, antiqua Christifidelium pietas erga ipsum inclytum Pariarcham mirifice aucta est. Haec porro pietas, nova veluti addita flamma, ferventius exarsit, postquam Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per suas encyclicas litteras, sub die XV Augusti anno MDCCCLXXXIX datas, gloriosi eiusdem Patriarchae dignitatis praestantiam et validissimum apud Deum patrocinium celebravit, atque erga caelestem Patronum devotionem cohortationibus favoribusque inter fideles fovere subinde non destitit. Hinc factum est, ut ad Apostolicam Sedem undique transmissae sint postulationes quo amplioris in sacra liturgia cultus honores beato Ioseph tribuerentur.

Iam vero Sanctitas Sua, etsi de his supplicibus votis sibi delatis summo afficeretur gaudio, utpote quae populorum in dies succrescentem devotionem referrent; nihilominus eumdem Sanctum Patriarcham potiori liturgico cultu, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum, ditare minime censuit.

Verumtamen, quum saepe saepius illius Festum XIV Kalendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae Passionis vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta Rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii, quod suo caelesti Patrono universus Catholicus Orbis una simul exhibeat; Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit ut iis annis, quibus praefatum Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem; et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria: servato Rubricarum praescripto, quoad translationem Festorum iisdem diebus occurrentium.

Hoc autem Decretum promulgari, atque in Rubricis Breviarii ac Missalis Romani adiici praecepit.

Die 15 Augusti 1892.

3790. TAURINEN.

Hodiernus Vicarius foraneus et Parochus Ecclesiae S. Mariae Maioris in loco vulgo *Racconigi* Archidioeceseos Taurinen. dubium proposuit pro opportuna solutione huic Sacrae Rituum Congregationi, quoad consuetudinem ibidem vigentem in adultorum exequiis. Dubium autem est sequens:

In peragendis adultorum exequiis cum perventum fuerit ad Ecclesiam, statim decantantur Vesperae Defunctorum. Quinque Psalmis expletis, et dicto ℣. *Audivi vocem,* cum ℟. *Beati,* antequam cantetur *Magnificat,* Celebrans invitat italico sermone adstantes ad orandum pro defuncto eiusque parentibus, qui, audita triplici exhortatione, ter *Pater Ave* recitant; ac demum Sacerdos, dictis cum adstantibus ℣. *A porta inferi,* ℣. *Requiescant etc.;* subdit Orationem *Fidelium Deus omnium conditor etc.* Deinde prosequuntur Vesperae, seu canticum *Magnificat* atque exequiae *Libera me Domine.* Hisce expositis, quaesivit num eiusmodi consuetudo sit laudabilis et retinenda?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, censuit rescribendum:

« Negative, et ad mentem; nimirum: expositam consuetudinem non posse tolerari; sed servatis omnibus quoad ordinem

Exequiarum in Rituali Romano praescriptis, postquam ritus absolutionis persolutus est, exhortationes praedictae fieri poterunt: vel ad summum interiici Officium inter et absolutionem, ut fit pro funebri Oratione post Missam solemnem et ante absolutionem ad castrum doloris ».

Atque ita respondit ac declaravit.

Die 26 Augusti 1892.

3791. FANEN.

Rm̃us Dominus Camillus Ruggeri Episcopus Fanen. exponens, quod Fani in Templo noviter aedificato, cum Coenobio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, tabula princeps Altaris maximi refert desuper Immaculatam B. M. V. Conceptionem, et subter effigies Sanctorum Paterniani et Fortunati Episcoporum Confessorum, Francisci Assisiensis ac Sanctarum Christinae Virg. et Mart. et Iustinae Mart.; in altero vero e quatuor minoribus Altaribus extat Simulacrum pro tabula repraesentans Virginem Deiparam Immaculatam vulgo de *Lourdes,* ac retro et circum Altare adiuncta habentur ipsius Apparitionis; insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, ut ad praefatae Ecclesiae consecrationem titulumque eidem tribuendum devenire possit; nimirum:

Dubium I. Tabula princeps Altaris maioris in enuntiata Ecclesia et Simulacrum Deiparae de *Lourdes* in minori Altari debentne haberi distincta tamquam diversum subiectum, ab utraque repraesentatum? Et quatenus Negative,

Dubium II. Altare maius potestne titulum sumere ab uno ex memoratis Sanctis, quos tabula princeps repraesentat? Et quatenus Negative,

Dubium III. Ut Immaculatae B. M. V. Conceptioni dedicari possit Altare maius, potestne in Altari minori desuper collocari effigies alicuius Sancti, et infra tamquam tabula secundaria *(sotto quadro)* prostet enuntiatum Simulacrum Deiparae de *Lourdes?* Et quatenus Negative,

Dubium IV. Potestne in tabula principe Altaris maioris addi cor depictum in pectore B. M. V. ita ut dici queat repraesentari Immaculatum Cor Virginis, non Ipsius Conceptio? Et quatenus Affirmative,

Dubium V. Potestne nova Ecclesia consecrari sub titulo B. M. V. de *Lourdes,* etsi non in maiori sed in minori Altari Simulacrum collocatum sit? Et quatenus Affirmative,

Dubium VI. An mensa huius minoris Altaris integra consecranda est, utpote Altare fixum, necne.

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative; dummodo Beata Maria Virgo de *Lourdes* nuncupata repraesentetur cum omnibus Apparitionis adiunctis ».

Ad reliqua dubia: « Provisum in primo ».

Et ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Augusti 1892.

3792. STRIGONIEN.

Maximopere sollicitus Rm̃us Ordinarius Archidioecesis Strigonien. in Hungaria, ut ritus omnes qui ad divinum cultum pertinent, in sua Archidioecesi prorsus peragantur iuxta liturgicas praescriptiones, Sacram Rituum Congregationem adivit pro opportuna resolutione sequentium dubiorum; nimirum:

Dubium I. Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, quae ex Decreto S. R. C. diei 28 Iunii 1889 celebrari permittitur Feria VI, quae est in calendis cuiuscumque mensis vel eas sequitur, debetne esse solemnis seu cantata; vel potest etiam esse privata, ut in duplicibus, cum *Gloria,* Oratione unica et *Credo* ad tramitem Decreti citati?

Dubium II. Si anniversarium consecrationis Episcopi dioecesani quotannis impediatur Festo duplici primae classis, quaeritur: An Missam et Commemorationem dicti anniversarii, tali in casu, anticipare vel transferre liceat, quia secus semper et quotannis omitterentur?

Dubium III. Missa solemnis vel cantata de anniversario electionis seu creationis Summi Pontificis regnantis, vel consecrationis Episcopi dioecesani, debetne etiam extra Ecclesiam Cathedralem et Collegiatam celebrari, praesertim supposito quod plures ibidem celebrentur Missae?

Dubium IV. In regionibus Hungariae, plurimae celebrantur ex inveterata consuetudine coram SS. Sacramento exposito Missae solemnes, in quibus (nescitur quanam ex causa) ut plurimum omitti solet pacis osculum; hinc quaeritur: An hic usus su-

stineri possit, vel potius servandae sint etiam in casu Rubricae?

Dubium V. Rubricam Missalis (de Ritu servando in celebratione Missae Tit. VI, n. 1) non usquequaque claram interpretantes auctores et professores Liturgiae sacrae docent ultimum Evangelium in fine Missae, eodem prorsus modo dicendum esse prout primum, i. e. Sacerdote *oblique* stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. Cum tamen alii, praesertim seniores, Sacerdotes negent talem esse sensum huius Rubricae; quaeritur; Num ultimum Evangelium a Sacerdote *oblique* stante recitari debeat?

Dubium VI. Officium votivum de Immaculata Conceptione B. M. V. in nonnullis Dioecesibus Hungariae (hodie adhuc) ex concessione Benedicti PP. XIII diei 15 Decembris 1717, ritu duplici recitari in Sabbatis solet. Hinc quaeritur: An diebus his Sabbati liceat celebrare Missam privatam de Requie? Ratio dubitandi est, quia Officium est quidem duplex, sed votivum.

Dubium VII. Recitans privatim Officium aliquod votivum Feriis Quadragesimae, Quatuor temporum aut Vigiliarum, potestne celebrare Missam de Feria in colore violaceo? Et si Affirmative, debetne omittere commemorationem Officii votivi illa Feria privatim recitati?

Dubium VIII. Quum commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali, loco Suffragiorum de Sanctis, iuxta Decretum S. R. C. 29 Aprilis 1887 in Emeriten. ad III, omittenda sit in Officio votivo de Passione; quaeritur: An eadem omittenda est, ratione identitatis mysterii, etiam in Officio de SS. Eucharistiae Sacramento?

Dubium IX. Licetne Rituale Romanum ubique adhiberi et in quibuscumque functionibus, etiamsi proprium Rituale Dioecesanum, in nonnullis tantum a Romano discrepans, habeatur?

Dubium X. Rituale Romanum optioni administrantis S. Communionem relinquit, utrum antiphonam *O sacrum convivium etc.*, recitare velit nec ne; sed ex Rubrica erui non potest, num versiculi et Oratio *Deus qui nobis* sint etiam ad libitum; vel omnino de praecepto; et si Affirmative ad secundam partem, quaeritur: Num benedictio manu dextra et adhibita formula: *Benedictio etc.* semper sit elargienda, quando citra Missam administratur S. Communio.

Dubium XI. Quum a Caeremoniali Episcoporum praescribatur ut omnes, exceptis Canonicis Ecclesiae Cathedralis, unicum genu flectant Cruci Altaris maioris; quaestio exorta est num haec genuflexio facienda sit etiam in aliis Ecclesiis seu Cappellis publicis, ubi in Altari maiori haud asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum?

Dubium XII. Cum interdum Festa SS. Cordis Iesu et S. Ioannis Baptistae simul eadem die concurrant atque iuxta Decretum Urbis et Orbis diei 28 Iunii 1889, hoc in casu illud SS. Cordis in diem proximam 25 Iunii sit transferendum; quaeritur: Quomodonam ordinandae sint secundae Vesperae in Festo S. Ioannis Baptistae? Anne totum erit de sequenti SS. Corde, cum commemoratione praecedentis S. Ioannis Baptistae?

Dubium XIII. Quum Festum Annuntiationis B. M. V. incidit in Feria VI post Dominicam III Quadragesimae, cui Feriae pro aliquibus locis affixum est Officium SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C., Officium hoc potestne transferri in Feriam sequentem, quae est Sabbatum; an vero debet omitti?

Dubium XIV. Si festum Patrocinii B. M. V. Dominicae II Novembris affixum impediatur Octava Omnium Sanctorum vel alio Festo altioris ritus, potestne sine speciali indulto transferri; vel potius debet iuxta Decreta alias edita omitti?

Dubium XV. Cum Sacra Rituum Congregatio, novissimo Decreto die 17 Maii 1890 Plurium Dioecesium, prohibuerit in benedictione aquae Festo Epiphaniae Domini peragi solita alium adhibere ritum, quam qui praescribitur in Rituali Romano pro facienda aqua benedicta, quaeritur: Num Decretum hoc omnes respiciat Dioeceses, ita ut nullo modo amplius liceat usurpare formulam illam longissimam et Ecclesiae Graecae propriam; et si Affirmative: An formula haec antiqua omnino expungi debeat ex Ritualibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scriptis reddito praeloque cuso, ad relationem Eminentissimi et Rm̃i Domini Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti atque in causa Ponentis, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit;

Ad Dubium I. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam et detur Decretum in una Montis Politiani 20 Maii 1890 ».

Ad II. « Transferantur in primam sequentem diem non impeditam ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Observentur in casu Rubricae ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Affirmative; et detur Decretum in Bergomen. diei 24 Novembris 1691 ».

Ad VII. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VIII et IX. « Affirmative ».

Ad X. « Versiculi et Oratio *Deus qui nobis,* sunt de praecepto; benedictio autem semper danda est (unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum) sub formula *Benedictio Dei etc.* ».

Ad XI. « Affirmative; sed in actu functionis tantum ».

Ad XII. « Vesperae erunt de Nativitate S. Ioannis Baptistae cum commemoratione de sequenti, iuxta Decretum in una Dubii die 5 Septembris 1891 ».

Ad XIII. « Affirmative, si Sabbatum est dies libera; secus ad aliam diem intra Quadragesimam: quae si non suppetat, omittatur ».

Ad XIV. « Negative, ad primum; Affirmative, ad secundum ».

Ad XV. « Affirmative; et in Rituali adnotetur abrogatio benedictionis ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 30 Augusti 1892.

3793. MAIORICEN.

De mandato Rm̃i Domini Episcopi Maioricensis in Insulis Balnearibus, hodiernus eiusdem Ecclesiae Cathedralis Caeremoniarum Magister Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis Hispaniae datum quamplurima Festa abrogata sunt, et quoad locorum Patronos statutum est: « *ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege Sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi* » quod fideliter in hac Dioecesi servatum est. Insuper a Sancta Sede Beatissima Virgo Maria in Mysterio suae Immaculatae Conceptionis Patrona totius Dioeceseos est designata; sed populi omnium Dioecesium usque nunc Festa suorum particularium Patronorum pie et laudabiliter servaverunt sicut prius. Quaeritur nunc quid faciendum sit in Liturgia, quia in fine memorati Decreti legitur: « *Sanctitas Sua non intellexit Sanctorum minuere venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam; ideo Sanctorum solemnitatem, Officia et Missas tam in abrogatis Festis, quam in eorum Vigiliis retineri et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari iussit* ». Dubitando nunc utrum pie de aliis Festis universalis Ecclesiae abrogatis tantum loquatur Decretum; an etiam de his Patronis, quaeritur:

Num Festa horum Patronorum celebranda sunt ritu duplici primae classis cum octava, sicut prius? Et quatenus Negative: Quonam ritu celebranda, cum aliqua, velut Sancta Margarita Virgo et Martyr, ritu simplici in Dioecesi celebrentur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 25 Novembris 1892.

3794. FODIANA.

Rm̃us Dominus Dominicus Marinangeli hodiernus Episcopus Fodian. Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit quod in Fodiensi Civitate Sodalitas Tertii Ordinis existit in proprio Oratorio sedem habens, Ecclesiae Fratrum Minorum adnexo. Super hanc tamen Sodalitatem praecedentia gaudent in Processionibus aliisque sacris functionibus nonnullae Archiconfraternitates, quae hoc nomine a civili Gubernio cohonestatae sunt propter dotes in pios usus collatas. Hisce positis, quaesivit:

Utrum praefata Sodalitas Tertii Ordinis S. Francisci, iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 28 Maii 1886, iure polleat praecedentiae super omnes quascumque Archiconfraternitates; an non?

Huic porro dubio ab ipsius Sacrae Congregationis Secretario relato Sacra eadem Congregatio ita rescribendum censuit; videlicet:

« Sodalitati memoratae, si ipsa gaudeat privilegiis Tertii Ordinis S. Francisci et in Processionibus ceterisque supradictis functionibus habitu eiusdem Ordinis incedat, competit ius praecedentiae supra quascumque Archiconfraternitates et Sodalitates ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 17 Martii 1893.

3795. MONOPOLITANA.

Moderatores Tertii Ordinis S. Dominici, in loco vulgo dicto *Fasano* intra fines Monopolitanae Dioeceseos rite instituti, de consensu R̃mi Ordinarii Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecerunt; nimirum:

An in Processionibus, etiam in solemnitate Corporis Christi, Sodalitati Tertii Ordinis Sancti Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates, etiam a SS̃mo Sacramento nuncupatas?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex suis Consultoribus, ita proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo ea Sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedat ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Martii 1893.

3796. CENETEN.

Preces a D. Iosepho Pasquali Dioeceseos Ceneten. huic Sacrae Rituum Congregationi porrectae sunt, ut quoddam textum e se nuper confectum ex serico et mori fibris (cuius plurima et variata specimina transmisit) sacris paramentis conficiendis licite adhiberi posset.

Sacra porro Rituum Congregatio, attentis literis R̃mi Domini Sigismundi Brandolini Rota Episcopi Ceneten., quibus preces supradictas commendavit, nec non ea de re peritorum sententiis exquisitis, in Ordinario Coetu ad Vaticanum die 15 vertentis mensis habito, ita eiusmodi precibus rescribere rata est:

« Posse adhiberi; dummodo textum de quo agitur numquam, nova adiecta materia, immutetur ».

Die 21 Aprilis 1893.

3797. IMOLEN.

R̃mus Dominus Aloisius Tesorieri Episcopus Imolensis, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

In Ecclesia Cathedrali Civitatis Imolensis adest Altare maius, quod tamquam fixum habetur, maxime ex eo quod in posteriori eius parte insculpta legantur haec verba « Card. Antonius Rusconius, Episcopus Imolensis aedificavit et consecravit hoc Altare ».

Verum de eius valida consecratione subortum est dubium ex eo quod, licet mensa constet ex lapide; huic tamen in suis extremitatibus adnexa quaquaversus et coniuncta fuit (ante ne vel post consecrationem ignoratur) corona ex marmore: quo fit ut mensa non sit revera ex unico lapide, uti praescriptum est pro Altaribus fixis. Cui dubio vis accedit etiam ex responsione Sacrorum Rituum Congregationis sub die 29 Augusti 1885 in Eugubina. Hinc quaeritur:

Debet ne hoc Altare haberi tamquam fixum et consecratum; et quatenus Negative, potest ne haberi tamquam Altare portatile?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Sanato quovis defectu, Altare fixum et consecratum haberi debet ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Aprilis 1893.

3798. ROMANA

DUBIORUM.

Quaesitum fuit a Sacra Rituum Congregatione ut declarare dignaretur nonnulla dubia, ut in universi Catholici Orbis Ecclesiis unisona sit ipsius Sacrae Congregationis Decretorum et Responsionum observantia. Dubia vero proposita sunt sequentia; videlicet:

Dubium I. Num Episcopus Titularis et nulla iurisdictione gaudens possit solemniter assistere Missae per alium decantandae, uti Episcopo Dioecesano Caeremoniale permittit?

Dubium II. Num Episcopo Titulari et nulla iurisdictione gaudenti ius competat, quemadmodum Dioecesano, benedictiones solemniter peragere Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis, in respectivis diebus fieri solitas, nec non Absolutionem facere ad tumulum, quin Missam ipsemet decantet?

Dubium III. In quo consistat benedictio nuptialis?

Dubium IV. Haec eadem benedictio nuptialis potest ne separari a Missa, ita ut extra hanc impertiri possit?

Dubium V. Num Sacerdos in duabus diversis Ecclesiis Missam eodem die faciens,

possit deferre secum purificationem primae Missae, in aliquo vase mundo caute custoditam, ut eum cum purificatione secundae Missae sumat?

Eminentissimi et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunati, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, rescribendum censuerunt:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Pariter, Negative ».

Ad III. « Benedictio nuptialis consistit in Orationibus, quae habentur in Missali: *Propitiare, Domine etc.* et *Deus, qui potestate etc.* dicendae ante *Libera nos etc.*; nec non *Deus Abraham etc.* dicenda ante benedictionem ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Affirmative ».

Atque ita declararunt, rescripserunt et servari mandarunt.

Die 9 Maii 1893.

3799. SENOGALLIEN.

De mandato sui Rm̃i Episcopi, hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Ecclesia Senogalliensi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit: nimirum:

Dubium I. Quotiescumque expleto Completorio, solemnis benedictio cum SSm̃o Eucharistiae Sacramento adstantibus Christifidelibus in Ecclesia Cathedrali impertitur, sacri Ministri, loco Dalmaticae et Tunicellae supra Albam, possunt ne supra rochettum vel superpelliceum tantum induere pluviale? Canonicus vero celebrans potestne adhibere tantum Amictum, Stolam et pluviale, Alba omissa?

Dubium II. In eiusmodi benedictione quae immediate datur post Completorium, sacri Ministri indui ne possunt iisdem cuiusvis coloris paramentis quibus antea usi sunt ad Vesperas?

Dubium III. An tolerari possit quod Canonicus post pontificalem benedictionem Indulgentias publicans, ad nomen Episcopi titulum Comitis adiungat; quamquam ex liturgicis legibus absolute prohibitum sit quocumque modo immutare formulas Caeremonialis Episcoporum ac Pontificalis Romani?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Sacri Ministri in casu induantur Dalmatica et Tunicella super Albam; et Sacerdos celebrans Albam deferat sub pluviali ».

Ad II. « Utendum paramentis dumtaxat coloris albi ».

Ad III. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 12 Maii 1893.

3800. FIRMANA.

Eminentissimus et Rm̃us Dominus Hamilcar Malagola Archiepiscopus Firmanus sequens dubium pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi proposuit; nimirum:

Ex Decreto Lincien. diei 6 Februarii 1892 ad XIV, Sacerdos pro distribuenda Communione Monialibus, vel omnino extra Missam, vel immediate ante aut immediate post Missam, debet, si Chorus retro post Altare habeatur, post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor,* deponere Pyxidem ad fenestellam Chori, et ibi ad Moniales conversus dicere *Misereatur etc. Ecce Agnus Dei etc.* Verum quandoque accidit, ut Communio ministrari debeat non tantum Monialibus sed etiam inservienti Missam vel aliis fidelibus. Praeterea in Communione extra Missam non solum aliquae praescriptae sunt preces in Rituali Romano ante Communionem dicendae, sed nonnullae quoque, postquam Eucharistia administrata fuerit, recitandae; et denique ipsa benedictio danda praescribitur post administratam Communionem.

Hinc quaeritur: An dispositio Decreti Lincien. intelligenda veniat *absolute,* an tantum *sub quibusdam limitibus?*

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, rescribendum censuit:

« Negative, ad primum; Affirmative, ad secundum; et ad mentem. Mens autem est, ut Decretum in Lincien ad dubium XIV intelligi debeat de Communione ministranda tantum extra celebrationem Missae a Sacerdote cum superpelliceo et Stola, vel etiam sacris paramentis induto si Eucharistia ministratur immediate ante vel post Missam; sed solis Monialibus et quando Chorus vel retro post Altare situs est vel ab Altari distat ».

« Iis tantum in casibus iisque rerum et locorum adiunctis, sive praecedentes sive sequentes preces in Rituali Romano praescriptae ritusque reliqui ad fenestellam Monialium locum habeant; in aliis vero quibuscumque casibus servetur Rituale Romanum: et omnes praescripti ritus et Orationes semper ab Altari persolvantur ».

Atque ita servari mandavit.

Die 13 Iunii 1893.

3801. DUBIORUM.

Sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi proposita fuere; nimirum:

Dubium I. Num Cappellani cantores, in Ecclesiis per quas Processio transit, possint Antiphonas Sanctorum Titularium intonare et canere in libro sustentato per Acolythum?

Dubium II. Num Canonicis, qui in Matutinis, Laudibus et Vesperis decantandis Antiphonas intonant, altero ex iisdem Canonicis officium solemniter peragente, Beneficiati, seu Mansionarii vel Cappellani easdem Antiphonas praeintonare debeant?

Dubium III. Utrum liceat in Choro apponere ornatus ex materia serica; an ex lana aut alia materia eiusmodi?

Dubium IV. Num in aliqua Cappella rurali, quae extructa sit in domo privatae personae et nihilominus in publicum usum inserviat, possit celebrari Missa ante parochialem, quamvis a Paroecia parum distet?

Dubium V. Num in supradicta Cappella rurali haberi possit Campanile cum Campana, quae pro Missa celebranda pulsetur; et duae ianuae apertae?

Dubium VI. Num simplex Sacerdos sive Secularis sive Regularis possit invitatus benedicere privato ritu campos, animalia et similia?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae et re mature perpensa, ita rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative; iuxta Caeremoniale Episcoporum ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Negative, absque licentia Ordinarii ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Affirmative ».

Et ita respondit ac declaravit.

Die 13 Iunii 1893.

3802. DECRETUM.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII Consociationem a Sancta Familia, quae laetos atque uberes fructus iam in Ecclesia ferebat, per Litteras diei XIV Iunii superioris anni eo salutari consilio approbavit, ut familiae christianae arctiori pietatis nexu Sanctae eidem Familiae devincirentur, et Iesu, Maria ac Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tuerentur ac foverent. Quo vero inter fideles cultus erga eamdem Sanctam Familiam in dies augeatur, plurimi amplissimi diversarum nationum Episcopi ipsi Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus supplicarunt, ut, quemadmodum iam in aliquibus locis obtinebat, Officium et Missam in honorem Sanctae Familiae Nazarenae sibi religiosisque Congregationibus petentibus concedere dignaretur.

Porro quum in peculiari Officio, iamdiu in quibusdam Dioecesibus adhibito, nonnulla immutare opus esset; visum fuit novum Officii et Missae schema conficere, quod reapse de speciali Apostolica Auctoritate concinnatum et per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum una cum R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore diligenter revisum, ab ipsomet Emin. et Rm̃o Cardinali subsignata die eidem Sanctissimo Domino Nostro exhibitum fuit; Sanctitas vero Sua illud in omnibus approbare dignata est, benigneque indulsit, ut Festum ipsius Sanctae Familiae cum Officio ac Missa propriis a singulis Sacrorum Antistitibus pro Clero sibi commissae Dioeceseos, atque a Religiosis Congregationibus petentibus, sub ritu Duplicis maioris Dominica III post Epiphaniam recoli valeat: simulque mandavit, ut in locis ubi huc usque Festum Sanctae Familiae celebratum est, illud praefatae Dominicae III post Epiphaniam affigatur, novumque Officium cum Missa antiquo in posterum substituatur: servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Iunii 1893.

3803. VICARIATUS APOSTOLICI

CAROLINAE SEPTEMTRIONALIS.

Rm̃us Dominus Leo Haid Ordinis Sancti Benedicti Vicarius Apostolicus Carolinae Se-

ptemtrionalis in Foederatis Americae Provinciis Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

In Ecclesiis quarum Patronus seu Titularis est Sanctus Ioannes Baptista, quanam Oratione utendum est pro Suffragio eiusdem in Laudibus et Vesperis? anne scilicet Oratione de Nativitate, vel de Decollatione Praecursoris?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Recitanda Oratio de Festo Nativitatis, immutata voce *Nativitate* in vocem *Commemoratione* ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Iunii 1893.

3804. GOANA

DUBIA VARIA.

Illm̃us et Rm̃us Dominus Antonius Sebastianus Valente hodiernus Patriarcha Indiarum Orientalium atque Archiepiscopus Goanus Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione subiecit; nimirum:

Dubium I. An stantes aut genuflexi esse debeant Canonici initio Missae privatae Episcopi et ad benedictionem, cum eidem Missae assistunt? Insuper in dicta assistentia num uti possint insignibus canonicalibus; an tantum superpelliceo, vel etiam rochetto, si eius privilegio fruantur?

Dubium II. Potestne tolerari quod in Officio Feriae IV, V et VI Maioris Hebdomadae cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum sono Organi aut aliorum instrumentorum; et quod perdurante expositione Sanctissimi Sacramenti, concinantur versiculi (*mottetti*) pariter cum sono Organi aut aliorum instrumentorum musicalium, sive horis vespertinis Feriae V, sive de mane Feriae VI eiusdem Maioris Hebdomadae?

Dubium III. In cantu Evangelii Passionis D. N. I. C. per Maiorem Hebdomadam potestne admitti?

1. Usus trium pluteorum sive legivorum et totidem librorum?

2. Quod cantores habeant faciem conversam ad Celebrantem?

3. Quod unus cantorum sit in ambone et alii duo in separato quoque Altari?

4. Cum Celebrans defectu Ministrorum debeat esse unus ex cantoribus Evangelii Passionis, debetne se collocare ad cornu Evangelii; an vero ad cornu Epistolae?

Dubium IV. In aliquibus Goanae Archidioeceseos Ecclesiis celebratur Festum Transitus Beatae Mariae Virginis a die 13 ad diem 14 Augusti, per Processionem qua defertur imago ipsius Deiparae in feretro deposita, ac si demortua iaceret; et ita relinquitur usque ad primas Vesperas diei Assumptionis; tunc vero imago erecta sistitur ac si viva esset. Licet ne huiusmodi usus cum hisce ritibus tolerare?

Dubium V. Potestne tolerari ut velo seu pallio contegatur imago D. N. I. C. in Processione Feriae VI Maioris Hebdomadae, quod generatim in Goana Archidioecesi locum obtinet; quemadmodum etiam in Processione superius memorata Transitus B. M. V. fieri solet?

Dubium VI. Prohibendus ne erit usus contegendi ramis et floribus tumulos, qui eriguntur in Ecclesiis occasione funeralium?

Dubium VII. In Seminario Racholensi quotannis celebratur cum magno pompae apparatu dies, qua fit initium scholarum. Quaeritur: Num huiusmodi solemnitas praebeat sufficiens motivum celebrandi, uti fit, Missam votivam solemnem de Spiritu Sancto? Et quatenus Affirmative, poterit ne Ordinarius indulgere veniam, ut in perpetuum haec Missa celebretur?

Dubium VIII. Quum Ecclesia praefati Seminarii Titularem habeat S. Ignatium de Loyola, debet ne eiusdem Sancti nomen commemorari in Oratione *A cunctis* in Missis quae celebrantur in Oratorio interiori Seminarii, loco nominis Sancti Patroni loci?

Dubium IX. Potestne Ordinarius locorum transferre propter quodvis etiam leve motivum, Festivitates, quoad solemnitatem extrinsecam; et permittere quod in die proprio Festi solummodo Missa diei cantetur absque alia pompa in eadem Ecclesia, ubi celebranda erit Festivitas in aliam diem translata?

Dubium X. Debet ne aboleri, vel servari potest communis praxis existens in Archidioecesi Goana, quamvis ea sit contraria praescripto Ritualis, quod nempe in mandandis sepulturae Clericis vel pueris, Parochus, loco praecedendi, sequatur fere-

trum, saltem quando hoc defertur a Clericis?

Dubium XI. Num Episcopo assistente in Throno Missae celebratae ab aliquo qui habeat dignitatem in Capitulo, possit hic sedere ad Hymnum *Gloria* et ad *Credo* contra Thronum Episcopi in Sella instructa brachiis et fulcimento pro humeris?

Dubium XII. Num Canonicis Missam celebrantibus, solemnioribus diebus, cum vel sine assistentia Episcopi, liceat uti Alba ornata fimbriis seu reticulo a cingulo deorsum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Stare debent tantum ad benedictionem; et adhibeant solummodo rochettum cum superpelliceo? »

Ad II. « Negative; quoad Lamentationes, Responsoria et Psalmum *Miserere,* nec non ad reliquas liturgicas partes: quoad vero versiculos coram Sanctissimo Sacramento, tolerari posse, attenta antiqua consuetudine ».

Ad III. « Affirmative, ad 1; Negative, ad 2 et 3; Ad 4 Affirmative, ad primam partem; et detur Decretum in Tridentina 14 Martii 1836 in responsione ad 2: Negative, ad secundam ».

Ad IV, V et VI. « Tolerari posse ».

Ad VII. « Ad primam partem, decernendum ab Episcopo; Ad secundam, Negative ».

Ad VIII. « In Oratorio privato Seminarii Racholensis, in Oratione *A cunctis* exprimendum est nomen Sancti Titularis Ecclesiae eiusdem Seminarii ».

Ad IX. « Negative ».

Ad X. « Servetur Rituale Romanum Tit. VI, c. 3, n. 1 ».

Ad XI. « Obstant Decreta ».

Ad XII. « Tolerari posse ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 16 Iunii 1893.

3805. PORTUS LUDOVICI.

Rmus Dominus Leo Meurin Archiepiscopus hodiernus Portus Ludovici Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum in quibusdam Ecclesiis usus invaluerit recitandi post Missas privatas quae, pro animabus in Purgatorio detentis, in Altari privilegiato celebrantur, plures preces Indulgentiis ditatas; scilicet: *De profundis,* actus fidei, spei et caritatis, *Sacratissimum Cor Mariae, ora pro nobis* et Orationem pro defunctis; quaeritur: Num preces a Sanctissimo Domino nostro Leone XIII post Missam privatam recitari praescriptae in casu praedicto omitti possint? Et quatenus Negative: Num istis memoratae preces pro defunctis adiici valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Iunii 1893.

3806. SANCTI CHRISTOPHORI DE HAVANA.

Rmus Dominus Emmanuel Santander Frutos Episcopus S. Christophori de Havana Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Ordines Religiosi, vulgo Congregationes nuncupati, qui remunerationem a Gubernio civili accipiunt ut Dioecesanis Ecclesiis inserviant, debentne sese conformare Calendario Dioecesano in Officio persolvendo Sacroque peragendo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Si Religiosi gaudeant proprio Calendario, Negative; secus, Affirmative ». Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 23 Iunii 1893.

3807. DECRETUM GENERALE.

Postquam anno superiore per Decretum Urbis et Orbis Festum S. Ioseph Confessoris, Sponsi Deiparae Virginis atque universalis Ecclesiae Patroni, ad ritum duplicem primae classis iampridem evectum, privilegio ditatum fuit translationis in Feriam secundam subsequentem, quoties illud in Dominicam Passionis inciderit; et in Feriam quartam post Dominicam in Albis quando die decimanona Martii vel Dominica Palmarum, vel aliqua ex Feriis Heb-

domadae Maioris occurrerit; a nonnullis rei liturgicae peritis Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit, nimirum:

An Festum S. Ioseph, Sponsi B. M. V., quum transfertur in Feriam II post Dominicam Passionis, vel ad Feriam IV post Dominicam in Albis, tamquam in sedem propriam, praeferri debeat Festis primae classis etiam Patroni loci, Tituli et Dedicationis Ecclesiae in praefatis diebus occurrentibus?

Hoc porro dubium quum ab Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto in Ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, propositum fuerit; Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, exquisito voto aliquorum e Rmis Patribus Consultoribus, re mature perpensa, ita rescribere rati sunt; videlicet:

« Festum S. Ioseph in casu locum cedat tantummodo Duplicibus primae classis primariis occurrentibus; et tunc, die immediate sequenti illud reponatur ».

« Idem etiam statuit Sacra Congregatio pro simili incidentia quoad translationem Festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis B. Mariae Virginis; suppressis quibuscumque anterioribus Decretis diversum seu contrarium disponentibus; excepto casu quod Festum Annuntiationis B. M. V. transferri debeat, iuxta Rubricam, cum integra solemnitate et feriatione ».

Die 27 Iunii 1893.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit. Die 2 Iulii anno eodem.

3808. DECRETUM GENERALE.

Iamdudum apud viros sacrae liturgiae peritos quaestio agebatur gravissimi sane momenti quoad praeeminentiam inter Festa Primaria et Secundaria eiusdem ritus. Verum hac controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit ac plura particularia edidit Decreta, quin umquam rem per Generale Decretum definiret. Quum vero hisce postremis temporibus in eiusmodi quaestione maxima esset discrepantia ex multiplici atque opposita penes Scriptores sacrae liturgiae Rubricarum interpretatione; necessarium duxit Apostolica Sedes unicam tandem normam statuere, quae ubique et ab omnibus, praesertim in Ordine Divini Officii uniformiter redigendo, servaretur. Quocirca Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII commisit R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotori, ut votum *ex officio* exararet, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis discutiendum; posteaquam diversae ea de re a viris in Rubricarum scientia peritis habitae fuerunt sententiae, elucubrationibus multa eruditione exornatis.

Quibus omnibus praelo cusis communicatisque una cum voto praefati S. Fidei Promotoris, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, ab Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali, eidem Sacrae Congregationi Praefecto et Relatore, sequens dubium propositum fuit; videlicet:

An et quomodo Festa Secundaria Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, Ss. Apostolorum aliorumque Sanctorum praeferenda sint Festis Primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris dignitatis; tam in occursu, quam in concursu et in eorumdem repositione?

Itaque Eminentissimi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, mature perpensis rationibus tum a memoratis viris, tum a R. P. D. Promotore S. Fidei adductis, ita rescribendum censuerunt:

« In voto R. P. D. Promotoris S. Fidei; nimirum: Festa Primaria, utpote solemniora, aliis Secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricae X de Translatione Festorum n. 6. Quod si eadem Festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo praescriptus in memorata Rubrica n. 7.; et fiat Catalogus Festorum, quae uti Primaria vel Secundaria retinenda sunt ».

Die 27 Iunii 1893.

Demum his omnibus Sanctissimo eidem Domino Nostro relatis per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; iussitque ita et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda: rescripta seu Decreta, tum Generalia tum particularia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 2 Iulii anno eodem.

3809. URBIS
EIUSQUE DISTRICTUS.

Quo cultus erga Sanctam Familiam Iesu, Mariae et Ioseph in Alma Urbe eiusque Districtu maiora in dies capiat incrementa, praesertim, quum Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII vehementer optet, ut christianae familiae per Consociationem ab ipsa Sancta Familia nuncupatam, huic arctiori pietatis vinculo devinciantur; Emus et Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis et Eiusdem Sanctissimi Domini Nostri in Urbe Vicarius, Sanctitatem Suam humillime deprecatus est, ut a Clero universo tam Seculari quam Regulari Urbis eiusque Districtus Festum S. Familiae Nazarenae Dominica III post Epiphaniam sub ritu Duplici maiori quotannis recoli valeat, cum Officio ac Missa nuperrime approbatis: facta potestate idem Festum transferendi in primam subsequentem diem liberam iuxta Rubricam, quoties enuntiata Dominica impedita occurrerit.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, Emi Oratoris precibus benigne annuit; servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Iulii 1893.

3810. DECRETUM GENERALE.

CATALOGUS

Festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt.

Iuxta Decretum diei 2 Iulii nuper elapsi, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et Relatore in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, propositus fuerit approbandus Catalogus Festorum, quae uti Primaria vel Secundaria retinenda sunt; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, ita rescribere rati sunt: Affirmative: *erecto ad ritum duplicis Maioris, in Calendario universali, Festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris, si Sanctissimo placuerit. Catalogus vero ita se habeat:*

FESTA PRIMARIA
IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. Duplicia Primae Classis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Immaculata Conceptio, Annuntiatio et Assumptio B. M. V.
Nativitas S. Ioannis Baptistae.
Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V.
Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Titulus Ecclesiae.
Patronus Principalis Regionis, vel Dioecesis, aut loci.

§ II. Duplicia Secundae Classis.

Circumcisio Domini.
Festum SSmae Trinitatis.
Purificatio B. Mariae Virginis.
Visitatio B. Mariae Virginis.
Nativitas B. Mariae Virginis.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia Undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum Ss. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annae, Matris B. M. V.
Festum S. Ioachim, Patris B. M. V.

§ III. Duplicia Maiora per Annum.

Transfiguratio Domini.
Dedicatio Basilicae SSmi Salvatoris.
Dedicatio S. Mariae ad Nives.
Festum Ss. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum.
Festum S. Barnabae.
Festum S. Benedicti Abbatis.
Festum S. Dominici Conf.
Festum S. Francisci Conf.
Festum Patronorum minus Principalium.

§ IV. Alia duplicia per Annum.

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaelis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscuiusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora vel Reliquiae in Ecclesiis Dioeceseos asservantur.

FESTA SECUNDARIA

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. Duplicia Primae Classis.

Sacratissimi Cordis Iesu.

§ II. Duplicia Secundae Classis.

Festum SSmi Nominis Iesu.
Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Solemnitas SSmi Rosarii B. M. V.
Festum Patrocinii S. Ioseph.

§ III. Duplicia Maiora.

Exaltatio S. Crucis.
Duo Festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Festum SSmi Nominis B. M. V.
Festum de Mercede B. M. V.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Ioannis Baptistae.
Cathedra S. Petri Ap. utraque.
Festum eiusdem ad Vincula.
Conversio et Commemoratio S. Pauli Apostoli.
Festum S. Ioannis ante portam Latinam.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. I. C.
SSmi Redemptoris.
Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.
Purissimi Cordis Mariae.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.
Translationis Almae Domus B. M. V.
Exspectationis Partus B. M. V.
B. M. V. Auxilii Christianorum.
Prodigiorum B. M. V.
Apparitionis B. M. V. Immaculatae.
Manifestationis B. M. V. Immaculatae, a sacro numismate.
Commemoratio Omnium Sanctorum Summorum Pontificum.

Item alia quaecumque Festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii et hisce similia.
Die 22 Augusti 1893.

Facta postmodum SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per me ipsum infrascriptum Cardinalem Praefectum, Sanctitas Sua duplicem Catalogum, prouti superius exstat, approbavit ac vulgari praecepit; elevato ad ritum duplicem maiorem, una cum Festo Dedicationis Basilicae SSmi Salvatoris, Festo etiam Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apostolorum. Die 27 iisdem mense et anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, Secretarius.

3811. DECRETUM GENERALE.

Super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus.

Cum saepe accidat, ut dies, qua S. Sedes aliquod novum Festum liturgicum statuit celebrandum, in calendariis particularibus sit alio Festo impedita, nec tamen clare constet quodnam ex iis sit peragendum, quodnam perpetuo transferendum; S. R. C. praesenti Generali Decreto declarat et statuit, sequentes imposterum ab omnibus Calendariorum Ordinatoribus tenendas esse normas:

I. Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum; ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, *ceteris paribus* illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur iuxta Rubricas. *Ceteris* vero *non paribus,* si alterum prae altero sit potioris ritus,

praeferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic praeferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius minus digno praeferatur iuxta ordinem dignitatis in Rubricis praescriptum tit. X, num. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit eiusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio praeferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta Rubricas.

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria aut tamquam-propria; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera reponendus erit iuxta Rubricas.

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicuius Ecclesiae Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia sanctorum illa est intelligenda, qua iidem sancti aeternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica Festa recolenda; ita S. R. C. declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quae prima post propriam libera fixe in Calendario iuxta notas occurrentiae leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quae pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Novembris 1893.

3812. DECRETUM GENERALE.

Ad tollendam quamvis ambiguitatem circa sensum Decretorum Summorum Pontificum Benedicti XIV et Pii VII in quibus provisum fuerat Dignitatibus omnibus et Canonicis ubique locorum, qui construendis Apostolica vel Ordinaria auctoritate Tabulis in Servorum Dei ac Beatorum Causis operam dabunt, licet a Choro absentibus ea de causa, nedum quotidianas distributiones deberi, verum etiam alias omnes quocumque iure, titulo et nomine et quibusvis sub clausulis personale servitium exquirentes; Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII, instante Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, declarare dignatus est ac statuere, ut Dignitates seu Canonici, Beneficiati aliique Chorales omnes qui, sive conficiendis praefatis Processibus tum Ordinariis tum Apostolicis operam navant, sive uti testes vocati fuerint, habeantur tamquam praesentes in Choro, mutato officio; et ideo omnia percipiant emolumenta etiam eventualia.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Novembris 1893.

3813. DECRETUM

ROMANA.

I. Sacra Rituum Congregatio statuit et declarat: « Benedictiones Candelarum, Cinerum atque Palmarum esse ex obligatione faciendas in omnibus Ecclesiis Collegialibus; in aliis autem posse fieri ».

II. Sacra eadem Congregatio decernit: « Benedictionem mulieris post partum fieri debere a Parocho, si expetitus ipse fuerit: posse autem fieri a quocumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiae ».

Die 21 Novembris 1893.

3814. DUBIORUM.

Sacrae Rituum Congregationi solutio proposita est insequentium dubiorum; videlicet:

Dubium I. Quomodo se gerere debeant Canonici vel alii qui Horas Canonicas in Choro persolvunt, dum, vel in ipso Altari chorali vel in alio posito e conspectu Chori, Missa privata dicitur fitque elevatio SS. Sacramenti?

Dubium II. Num Canonici aliique Cle-

rici publicam supplicationem per Ecclesiam agentes, si fiat elevatio SS. Sacramenti in aliquo Altari, genuflectere debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae ac re mature accurateque perpensa, rescribere rata est:

Ad Dubium I. 1° « Abusus Missae privatae celebrandae in Altari Chorali, dum Horae Canonicae persolvuntur, omnino eliminetur ».

2°. « Si autem Missa ad aliquod Altare celebretur e conspectu Chori positum, campanula, uti ad *Sanctus,* ita ad elevationem Sacramenti, nequaquam pulsetur ».

3°. « Quod si campanula, non obstante vetito, quandoque pulsetur et elevatio SS. Sacramenti advertatur, chorales omnes caput tunc temporis detegant; et Horas Canonicas prosequantur ».

Ad II. « In omnibus Missis privatis, quae tempore piae supplicationis celebrantur, usus campanulae est omnino prohibitus. Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante Altare transeuntes, ubi fit elevatio SS. Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant; et piam supplicationem prosequantur ».

Et ita respondit ac servari mandavit.

Die 21 Novembris 1893.

3815. DECRETUM

De concessione scapularis Beatae Mariae Virginis Genestani quae vocatur Mater Boni Consilii.

De Beata Virgine Genitrice Dei Maria, quae a Sanctis Patribus, *Aeterni Consilii opus* et *Consiliatrix universalis* salutatur, ea ab Ecclesia praedicta sunt, quae in Sacris Scripturis de divina Sapientia leguntur: *Meum est consilium; Ego habito in consilio et eruditis intersum cogitationibus.* Inde titulus ortum habuit, quo ipsa Caeli Regina a fidelibus christianis iam ab antiquis temporibus donata est, *Mater Boni Consilii.* Qui mos Beatam Dei Genitricem appellandi ac venerandi Genestani potissimum invaluit ex ea tempestate, cum quatuor abhinc seculis, sedente Paulo II Summo Pontifice, speciosa Icon Beatissimae Matris ibidem mirabiliter apparuit. Quin et Pia Unio sub tali vocabulo a Moderatoribus Ecclesiae Ordinis Eremitarum Sancti Augustini inibi existentis, de Prioris Generalis Ordinis ipsius consensu, instituta est, quam Benedictus XIV approbavit et confirmavit, atque inviolabili Apostolicae firmitatis patrocinio munivit, ipseque ac alii Summi Pontifices Indulgentiis ditaverunt. His autem temporibus nostris, populorum christianorum necessitatibus urgentibus, mirum quantum huiusmodi cultus ceperit incrementi. Unde factum est, ut Christifideles desiderium patefecerint signum aliquod seu Scapulare gestandi a B. Virgine de Bono Consilio nuncupatum, quo sibi uberius ipsam Bonorum Consiliorum Matrem demereri valeant. Quocirca R. P. Fr. Aurelius Martinelli, Moderator Generalis praefatae Piae Unionis, ab Apostolica Sede humillimis precibus efflagitavit, ut singulis pro tempore Directoribus uniuscuiusque sedis tribueretur facultas benedicendi atque utriusque sexus fidelibus imponendi Scapulare in honorem Almae Dei Parentis sub enunciato titulo de *Bono Consilio.* Quibus precibus ab Eminentissimo et Rm̃o Domino Vincentio Vannutelli, Causae Ponente in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito relatis, Em̃i et Rm̃i Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Supplicandum Sanctissimo pro concessione Scapularis iuxta schema a Sacra Congregatione approbandum et penes eam adservandum, favore Ordinis Eremitarum S. Augustini; cum facultate subdelegandi et cum Indulgentiis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro impetrandis: quoad formulam vero benedictionis et impositionis eiusdem Scapularis, ad Em̃um Ponentem cum Promotore Fidei.*

Die 19 Decembris anni 1893.

Facta postmodum de iis per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem, Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua, in tot tantisque rerum ac temporum perturbationibus auxilium enixe implorans a Sanctissima Dei Genitrice, exhibitum Scapulare eiusque formulam, ab eodem Em̃o Ponente una cum praedicto Sanctae Fidei Promotore revisam et emendatam, approbavit iuxta mentem Sacrae ipsius Congregationis; simulque facultatem illud benedicendi atque imponendi Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini cum expetitis Indulgentiis et cum facultate subdelegandi benigne concessit. Die 21 iisdem mense et anno.

FORMULA

Benedicendi atque imponendi scapulare (1) B. M. Virginis a bono Consilio.

Suscepturus Scapulare genuflectit, ac Sacerdos Stola alba indutus dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟.. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Iesu Christe, qui Magni Consilii Angelus et Admirabilis Consiliarius per Incarnationem tuam adfuisti: hoc Scapulare Beatae Mariae, Matris tuae a Bono Consilio bene ✠ dicere digneris, ut haec insignia gestantes per gratiam tuam recta consilia secuti bonis perfrui mereantur aeternis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Postea aspergit Scapulare aqua benedicta, atque illud imponens dicit:

Accipe, Frater, (*vel* Soror) haec insignia Beatae Mariae Virginis, Matris Boni Consilii; ut, ea inspirante, quae Deo placita sunt digne semper perficias, et cum electis suis consociari merearis. Per Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

Tunc prosequitur:

℣. Ora pro nobis, Mater Boni Consilii.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui Genitricem dilecti Filii tui Matrem nobis dedisti, eiusque speciosam imaginem mira apparitione clarificare dignatus es: concede, quaesumus; ut eiusdem monitis iugiter inhaerentes, secundum cor tuum vivere, et ad caelestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per eumdem Christum Dominum Nostrum.

℟. Amen.

ELENCHUS INDULGENTIARUM

PLENARIAE.

Plenariam omnium admissorum Indulgentiam utriusque sexus Christifideles lucrari queunt, animabus quoque in Purgatorii igne detentis applicabilem, in sequentibus diebus, dummodo rite confessi ad Sacram Synaxim accesserint:

1. Die, qua B. M. V. Boni Consilii Matris Scapulare suscipiant, vel Dominica aut in aliquo Festo eam immediate sequenti.
2. Die 26 Aprilis, vel aliqua infra octavam Festi B. M. V. Boni Consilii Matris.
3. In articulo mortis, dummodo rite confessi et Sanctissima Eucharistia refecti corde saltem, si nequeant ore, Sanctissimum Iesu nomen invocaverint.
4. In Festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V.: itemque in Festo S. Augustini Episcopi Confessoris Ecclesiaeque Doctoris.

PARTIALES.

1. Indulgentiam septem annorum ac totidem Quadragenarum, pari modo animabus piaculari igne cruciatis applicabilem, consequi possunt fideles utriusque sexus in Festis Praesentationis et Visitationis B. M. V.; dummodo corde contrito Ecclesiam vel publicum Oratorium inviserint, ibique aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces fuderint.
2. Centum dierum indulgentiam quoties, corde vel ore, Deiparae Virginis Consilium invocaverint.
3. Item Indulgentiam centum dierum quoties corde contrito et pro conversione peccatorum bonum aliquod opus exegerint.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente Eminentissimo et R̃mo Domino Cardinali Sacrae Rituum Congre-

(1) Scapulare istud conficiatur ex binis de more partibus laneis albi coloris simul coniunctis per duplicem chordulam seu vittam. Altera pars habeat superimpositam imaginem impressam in serico vel simili materie Imaginem B. Mariae, quae colitur in Sanctuario Genestani cum verbis inscriptis: MATER BONI CONSILII. Pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, videlicet trinam coronam cum clavibus et verba inscripta latine seu vernacule: *Fili, acquiesce consiliis eius.* (Leo XIII).

gationi Praefecto, suprascriptam benedictionis formulam ab Eminentissimo ac Rmo Domino Cardinali Vincentio Vannutelli, Causae Relatore una cum R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore revisam et emendatam approbavit, simulque expetitas Indulgentias, in superiori elencho adnotatas, fidelibus Scapulare gestantibus in honorem B. M. V. Boni Consilii Matris, benigne impertiri dignatus est, iuxta eiusdem Sacrae Congregationis Decretum diei 19 Decembris 1893.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21 iisdem mense et anno.

3816. DECRETUM GENERALE.

Postremis hisce temporibus mos invalescere coepit ut centenaria commemoratio diei natalis aliquorum Caelitum persolemni pompa recoleretur. Hinc a Sacra Rituum Congregatione petitum fuit declarari: Utrum temporalis nativitas alicuius Sancti vel Beati, excepta illa Deiparae Virginis nec non S. Ioannis Baptistae, celebrari possit liturgico ritu vel alio sacrae solemnitatis modo?

Huiusmodi dubium quum in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, ab Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali Praefecto propositum fuerit, Emi et Rmi Patres ita rescribere censuerunt:

« Negative, etiamsi celebratio fieret die obitus vel alio quocumque die memoriae eiusdem Sancti vel Beati assignato ».

Die 19 Decembris 1893.

Facta autem de his SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis approbavit, eamque per praesens Decretum evulgari mandavit, ut ab omnibus et ubivis religiosissime servetur. Die 21 iisdem mense et anno.

3817. LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Illud est proprium humanarum institutionum et legum, ut nihil in eis sit tam bonum atque utile, quod vel consuetudo non mutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in militanti Ecclesia Dei, in qua cum absoluta ac perpetua immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut, quae olim iure meritoque in honore et in pretio habebantur, aliquando obsolescant, et quae bona in instituto erant, ea labens aetas faciat deteriora. Sub prima Ecclesiae exordia, cum sensus Christi in hominum mente arctius insidebat, Episcopos, quibus summa rerum gerendarum commissa erat, delectos Sacerdotes sibi socios addidisse memoriae traditum est, quorum consilio et ministerio in gravioribus Ecclesiae negotiis uterentur. Hi Sacerdotes, Assessores et quasi Episcopi Senatus, Canonici dicti sunt, ex eo quia in observandis regulis ecclesiasticis cautiores et diligentiores erant ceteris, et eam vitam vivebant, ut mensuram nominis implerent. Quamobrem pro certo habendum est ad conservandam ecclesiasticam disciplinam, Canonicorum Dignitates ab initio fuisse constitutas ita, ut qui eas obtineret, id haberet oneris, ut opera et officiis adiuvaret Episcopum, et in iis quae pertinent ad cultum et ad mores, sese tamquam exemplar Clericis inferioribus impertiret. At temporibus nostris nonulli sunt, qui pristinae institutionis immemores, Canonicorum collegia tamquam honoratorum ordines esse autumant, in quibus nullum onus, sed dignitatis tantum et honoris tituli inhaereant. Ex quo fit ut, cum humanum sit onus defugere, honores et dignitates appetere, non parvus sit numerus eorum qui studeant, saltem honoris causa, inter Canonicos cooptari. Multae quidem ac plenae querelarum datae sunt ad nos litterae ab Episcopis, qui aegre ferunt honoribus et dignitatibus inhiare eos, qui Sacerdotio aucti, deberent « aemulari charismata meliora, terrena « despicere, et nonnisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi gloriari ». Sacerdotes autem huiusmodi, plerique iuniores, qui parum vel nihil in Ecclesiae bonum contulerunt, tamquam tirones gloriosi veteranorum insignia atque ornamenta virtutis praemia appetentes, externos circumeunt Antistites, ut ab iis honoris insignia titulosque, a suis negatos, extorqueant. Nos, qui dignitatis insignibus eos potissimum honestandos censuimus Sacrorum administros, qui pietatis et doctrinae laudibus ceteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti, hanc super rem admonitiones Apostolicas atque instructiones, nominatim die XVI mensis Septembris anno MDCCCLXXXIV, per Sacram Congregationem Tridentini Concilii interpretem ac vindicem dedimus. Quum vero hisce diebus complures Sacrorum Antistites gravius conquesti sint eiusmodi hono-

res, qui merentibus praemio, ceteris incitamento virtutis esse debent, non raro ipsis Ordinariis insciis, atque interdum haud dignioribus conferri; Nos, quo in posterum quilibet in tali re abusus auferatur, rogata Sacrorum Rituum Congregationis sententia, suprema Auctoritate Nostra statuimus, decrevimus:

I. Episcopus, seu Ordinarius, ecclesiasticum quempiam virum alienae Dioeceseos Canonicum ad honorem nominaturus, praeter Capituli sui consensum, Ordinarii, cui nominandus subiicitur, notitiam et votum obtineat eumdemque Ordinarium insignia edoceat ac privilegia, quorum usus nominando tribueretur.

II. Canonici ad honorem, extra Dioecesim in qua nominati sunt, degentes, numero sint tertia parte minores cunctis Canonicis a Pontificiis Constitutionibus respectivae Basilicae, sive Ecclesiae Metropolitanae, aut Cathedrali, vel Collegiatae adsignatis.

III. Canonici ad honorem alicuius minoris Basilicae vel Ecclesiae Collegiatae almae Urbis nominati, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra respectivae Basilicae vel Collegiatae eiusque Filialium Ecclesiarum ambitum, ubi Canonici de numero iisdem fruuntur. Qui vero alicuius Metropolitanae, vel Cathedralis, aut Collegiatae Ecclesiae, seu Basilicae minoris extra Urbem Canonici sunt ad honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi ubi nominati sunt, nullo modo extra illius territorium.

IV. Haec omnia serventur quoque a Canonicis ad honorem usque ad hanc diem nominatis. Ita volumus, edicimus, decernentes has litteras Nostras firmas sartasque, uti sunt, ita in posterum permanere: irritum vero et inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari: non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, et quibusvis specialibus vel generalibus Apostolicis Constitutionibus ac Privilegiis, gratiis et indultis, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis clausulis et decretis quibusvis Capitulis, Collegiis ac etiam peculiaribus personis quacumque ecclesiastica dignitate pollentibus, quocumque tempore etiam per Nos concessis, nec non quibusvis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine derogando, ac derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium quomodolibet facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX Ianuarii MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

M. Card. RAMPOLLA.

3818. TRIVENTINA.

R̃mus Dominus Iulius Vaccaro Episcopus Triventinus sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit; nimirum:

Triventi in Ecclesia S. Crucis prostat, publicae fidelium venerationi expositum, simulacrum Deiparae Virginis Perdolentis, nigris vestibus indutum, habituque consueto: ast sinistra manu Crucifixum gestans. Hinc quaeritur:

I. Tolerari potestne cultus Beatae Mariae Virginis titulo de Cruce?

II. Quid dicendum de praefato simulacro?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « In sensu liturgico, non expedire.».

Ad II. « Servetur Decretum Sacri Concilii Tridentini quoad Sacras Imagines ».

Atque ita rescripsit.

Die 23 Februarii 1894.

3819. NUCERINA PAGANORUM.

R̃mus Dominus Aloisius Delforno Episcopus Nucerinus Paganorum Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis in Monopolitana diei 27 Martii 1893 statutum est Sodalitatem Tertii Ordinis S. Dominici iure pollere praecedentiae in Processionibus, etiam SS̃mi Sacramenti, supra Archisodalitates et Confraternitates laicas, etiam a SS̃mo Sacramento nuncupatas. Intuitu huius Decreti, quaeritur:

Dubium I. Pervetusta Sodalitas S. Mariae a Monte Carmelo, vulgo *delle Galline*, in terra Paganorum Nucerinae Dioeceseos, ad Archisodalitatis dignitatem anno 1883 ere-

cta, et in Consodalitatem Tertii Ordinis Carmelitarum anno 1887 canonice item erecta, potestne frui eodem privilegio? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. An inter varias Tertii Ordinis Consodalitates ius praecedentiae ab antiquitate respectivi Ordinis desumi debeat; vel a die qua canonice unaquaeque Sodalitas vel Archisodalitas laica in Tertium Ordinem commutata fuit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative; dummodo Sodales incedant proprio habitu et sub Cruce ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 1 Martii 1894.

3820. DECRETUM.

In Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia excitata fuerunt; nimirum:

I. Quaenam Litaniae publice recitari valeant in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, vi Constitutionis Clementis Papae VIII et Decretorum, quae ab illius Successoribus Pontificibus promulgata fuere?

II. Num invocationes ad normam Litaniarum, in honorem Sacrae Familiae, Mariae Perdolentis, S. Ioseph aliorumque Sanctorum, in Ecclesiis vel Oratoriis publicis recitari possint?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, ad relationem Eminentissimi et Rmi Domini Cardinalis Praefecti, atque audito R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Litaniae tantum quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 6 Martii 1894.

3821. PISCIEN.

Hodiernus Caeremoniarum Sacrarum Magister Ecclesiae Cathedralis Piscien., de mandato sui Rmi Domini Episcopi, sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

An sint inquietandi Canonici eiusdem Ecclesiae Cathedralis, qui ex antiqua consuetudine annulum deferunt dum Sacrum faciunt, freti praesertim Sacrae Rituum Congregationis Decreto in Sipontina diei 12 Februarii 1892, id quidem prohibenti; verum non adiecta clausula: *Non obstante quacumque consuetudine?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Standum esse omnino Decreto superius citato; non obstante quacumque consuetudine ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Martii 1894.

3822. DECRETUM.

Qui pro Domini grege vitam impenderunt aequum est, ut Ecclesiae suffragiis singulari modo post mortem iuventur. Sacris ideo Ritibus praeposita Congregatio, re mature perpensa, decernendum esse statuit:

« Ut dum corpus Episcopi Dioecesani defuncti, sacris indutum vestibus, in propriae Aedis aula maiori publice et solemniter iacet expositum, Missae in suffragium animae eius per totum mane celebrari valeant; iis omnibus servatis, quae de Episcopi defuncti corpore exponendo ac suffragiis ferendis in Caeremoniali Episcoporum Libro II, Cap. XXXVIII praescribuntur. Quod privilegium Episcopis in sua Dioecesi concessum, ad Vicarios Apostolicos in suis Vicariatibus, nec non ad Abbates ceterosque Praelatos *Nullius Dioeceseos,* iurisdictione in plebem ordinaria quum vita cesserunt fruentes, in proprio tamen territorio, pari intelligatur ratione extensum. De speciali tandem gratia Sacra Rituum Congregatio indulget, ut eodem quoque privilegio frui valeant Episcopi Titulares defuncti; dummodo eorum cadavera in aula convenienti exponantur et ornamentis pontificalibus (absque tamen baculo pastorali), si extra Urbem, fuerint induta; si vero in Urbe, habitu tantum praelatitio ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 Aprilis 1894.

Facta autem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII de his omnibus relatione per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacrae Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit. Die 29 iisdem mense et anno.

3823. MONTIS PESSULANI.

Rmus Dominus Franciscus Maria Rovérié de Cabrières, hodiernus Episcopus Montis Pessulani, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium quoad commemorationem Patroni pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

An Commemoratio Patroni loci, qui a Titulari Ecclesiae differt, facienda sit ab illis qui alicui Ecclesiae stricte addicti sunt, ita ut duplicem commemorationem agere teneantur, nempe primam de loci Patrono, alteram de Titulari Ecclesiae?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Affirmative, de Titulari Ecclesiae; atque etiam de Patrono, si vigeat consuetudo ». Atque ita rescripsit.

Die 6 Aprilis 1894.

3824. QUEBECEN.

Eminentissimus et Rmus Dominus Card. Alexander Taschereau Archiepiscopus Quebecen. Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

Dubium I. Ad quamnam diem transferendum sit anniversarium electionis vel consecrationis Episcopi, si occurrat die 24 Decembris?

Dubium II. Posito quod Episcopus, die 19 Martii in Festo S. Ioseph consecratus, assignaverit iuxta Decretum S. R. C. diei 12 Decembris 1891 pro anniversarii celebratione diem sequentem, nempe 20 Martii, quidnam agendum sit: 1° in Ecclesia cuius Titulare Festum ipsa die 20 quotannis celebratur? 2° Per totam Dioecesim, quando dies 19 occurrit vel Dominica Passionis vel Feria II Maioris Hebdomadae et Festum S. Ioseph transfertur in diem 20 insequentem?

Dubium III. Utrum anniversarium (ab Episcopo vel coram ipso) celebrandum sit in ipsa Ecclesia Cathedrali; an vero solemniter agi possit in alia Dioeceseos Ecclesia?

Dubium IV. Utrum, celebratione ipsius Missae votivae (ab Episcopo vel coram ipso) per accidens impedita, eius Oratio sub eadem conclusione cum Oratione diei iungenda sit, secundum regulam de Missis pro re gravi impeditis; an vero post ceteras Orationes a Rubrica praescriptas addenda sit, sicut in ceteris Missis per Dioecesim celebratis?

Dubium V. An commemoratio supradicti anniversarii spectet ad omnes et solos Sacerdotes, ipsa die Missam intra Dioeceseos limites celebrantes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Assignandum diei proximiori, in qua non fiat de Duplici secundae classis, ante diem 24 Decembris ».

Ad II. « In Ecclesiis Dioeceseos ubi dies 20 Martii est impedita, nihil fit de Anniversario consecrationis Episcopi ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad IV. « Commemoratio, in casu, addatur Orationi Missae de die sub unica conclusione ».

Ad V. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Aprilis 1894.

3825. TIRASONEN.

Rmus Dominus Ioannes Soldevila y Romero hodiernus Episcopus Tirasonen., omnia rite fieri desiderans, sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi humillime subiecit; nimirum:

Apostolica Sedes die 2 Maii 1867 pro Hispania quoad locorum Patronos statuit, ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege Sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi; quod tamen in hac Dioecesi non observatur, nec a Sancta Sede Patronus est designatus; quamvis in Calendario Dioecesano, die 8 Aprilis 1891 a Sacra Rituum Congregatione approbato, S. Prudentius Dioeceseos Patronus nomine-

tur et S. Gaudiosus Patronus aeque principalis.

Verum si Dioecesi uti Patronus horum unus vel alter detur colendus, gravissimum adesset certo inobservantiae periculum. Dioecesis partim ex Regno Aragoniae, ubi Beata Virgo Maria de Columna ex Apostolica concessione sub utroque praecepto colitur; partim ex Navarrae Regno, ubi S. Firminus pari privilegio gaudet; partim ex Castellae oppidis, ubi nullus Patronus est designatus: denique populi Dioeceseos peculiarem aliquem Sanctum tamquam Patronum venerantur, eiusque Festum sub duplici praecepto generatim celebrant.

Hisce expositis, ad praxim et mores antiquos servandos quaeritur:

I. Haberine debet S. Prudentius uti Dioecesis Patronus? eiusque Festum sub utroque praecepto recolendum, quando hucusque nec observatum est et grave adesset inobservantiae periculum?

II. Festumne Beatae Mariae Virginis de Columna in Aragonia et S. Firmini in Navarrae Regno observari potest loco Patroni Dioecesani? Et quatenus Affirmative, Festum Sancti Patroni uniuscuiusque oppidi in Regnis Aragoniae et Navarrae agendum est ne duplici sub praecepto?

III. Peculiaresne Locorum Patroni celebrandi sunt in reliqua Dioecesi sub duplici obligatione, loco Patroni Dioecesani?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Ad primam partem, Standum Calendario rite approbato; Ad secundam, Servetur consuetudo ».

Ad II et III. « Nihil innovandum quoad Festa Patroni cuiusque Regni et uniuscuiusque Civitatis, oppidi vel loci ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 4 Maii 1894.

3826. DECRETUM GENERALE.

Sacrorum Rituum Congregationem solemne habuisse semper sacri quadragesimalis temporis instituta pia moestitia recolere, abunde Rubricae ostendunt; nonnullaque propositis sibi dubiis responsa, quibus vel cessare praescripsit vel abrumpi octavas in Feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, quamvis peculiari indulto concessas. Nuper vero, cum alia suborta fuerint dubia circa easdem octavas, ad earum quod attinet celebrationem, vel cessationem aut abruptionem in reliquis Dominicis Quadragesimae pro iis, qui illas recolendi privilegio donati sunt, eadem Sacra Rituum Congregatio sarta tectaque peroptans servare iura sacri quadragesimalis temporis, declarat et statuit:

« Octavas quascumque in Quadragesima in posterum non esse concedendas; indultae vero ab antiquiori aevo, non solum in Feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed etiam in omnibus aliis Dominicis Quadragesimae esse omnino intermittendas vel abrumpendas. Per integram denique maiorem Hebdomadam omnes prorsus octavae interdictae, etiam privilegiatis quibuscumque, maneant. Ampliora hactenus, si quae fuerint, privilegia octavarum pro vetito tempore Sacra Rituum Congregatio revocata per Decretum praesens declarat ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Maii 1894.

3827. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, Caeremoniali Episcoporum eiusque spiritui inhaerens, super cantionibus in solemniori Missa haec censuit declarare et statuere:

I. « Cantiones quascumque vernaculas esse omnino prohibitas in omnibus Missis, quae vel solemniter vel solum in cantu celebrantur; ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate Rubricae praescribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel imminiscere; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam ».

II. « Ea, quae cantorum schola exequi alternatim debet, nunquam esse omittenda; sed vel per integrum cantanda, vel si vocibus iungantur Organa, partim concinenda, partim sub Organis clara voce legenda, prout Caeremoniale Episcoporum praescribit; Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit ».

III. « Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, iuxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima eleva-

tione, quam iuxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, Sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis, quae ex Liturgia canenda sunt, nihil praetermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur et quod concinitur ad Sacramentum pertineat ».

Facta autem de praedictis SS. Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem eidem Sacrae Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas sua sententiam Sacrae Rituum Congregationis ratam babuit et confirmavit.

Die 22 Maii 1894.

3828. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, quod per plura iam particularia Decreta alias statuerat, iterum statuens et confirmans, declarat:

I. « Dignitates et Canonicos Ecclesiarum Cathedralium praemonitos teneri ex officio hora praestituta in habitu canonicali proprium associare Episcopum, quoties cum cappa ad Ecclesiam Cathedralem accedit, vel ab eadem in suam habitationem redit; et ab eodem Episcopo ad id posse compelli etiam per censuras ».

II. « Pro episcopali domo aulam intelligendam esse seu cubiculum ab Episcopo destinatum, quo debet Capitulum collegialiter accedere iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XV, num. 1), et quidem per viam, tam in eundo quam in redeundo, ab eodem Episcopo designandam ».

III. « Si vero Episcopus, aut mozzetta solum indutus, aut incepto iam Officio quandoque venerit, vel eodem Officio nondum absoluto discedere voluerit, duos vel quatuor Dignitates aut Canonicos teneri illum ad ianuam tantum Ecclesiae excipere; et discedentem saltem extra eiusdem Ecclesiae portam associare, ut in Chorum redeant Horas Canonicas prosecuturi. Si tamen discedere voluerit Episcopus cum aliqua Officii pars absoluta fuerit, omnes Dignitates et Canonici id honoris eidem Episcopo praestabunt ».

IV. « Neminem ex Dignitatibus et Canonicis ab hoc adimplendo munere eximere se posse ob itineris longitudinem vel difficultatem, nisi forte domus Episcopalis ultra bis centum passus ab Ecclesia distet, iuxta locorum consuetudinem, vel ob nimiam viarum asperitatem, de qua ipse iudicabit Episcopus ».

Non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Maii 1894.

3829. GNESNEN.

Rm̃us Dominus Antonius Andreziewicz Episcopus titularis Philomelien., Suffraganeus Gnesnen., Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. In aliquot Ecclesiis ipsius Dioeceseos Altaria maiora ceu fixa consecrata fuere, quorum mensa seu integra tabula lapidea nulla ex parte coniungitur structurae lateritiae inferiori. Quaeritur an eiusmodi Altarium consecratio fuerit valida?

Dubium II. In quadam Ecclesia consecratum fuit Altare fixum maius, cuius mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu consecrationis, quarta eius pars sit abrupta et divisa. Tum caeremoniae omnes reliquae perfectae sunt et unctiones in quatuor angulis potioris partis, coniunctim cum stipite. Quaeritur num valide Altare consecratum fuerit?

Dubium III. Quando in consecrationibus Ecclesiarum, quae fiunt diebus Dominicis, Episcopus consecrator ipsum eumdem diem assignat ad Anniversarium Dedicationis recolendum, quaeritur an Dominica illa, quae ex. gr. erit aliqua post Pascha vel post Pentecosten, assignari possit pro die mensis, in quam incidit Dominica peractae consecrationis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature accurateque perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative. Indulget autem Rm̃o Episcopo de speciali gratia, ut Altari, iam consecrato, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis privatè iterentur ut mensa cum iisdem stipitibus coniungatur ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et indulsit.

Die 8 Iunii 1894.

3830. DE MUSICA SACRA

ACTA

EX COLLECTIONE AUTHENTICA

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS.

I.

DECRETUM.

Quod sanctus Augustinus ceterique Patres saepenumero docuerunt de cantus ecclesiastici decore et utilitate, *ut, per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat;* (1) id Romanorum Pontificum auctoritas sibi integre eximieque perficiendum semper attribuit. — Quapropter in hoc Catholicae Liturgiae munus ita Gregorius cognomine Magnus curas ac studia contulit, ut vel ipsam appellationem ab eo sacri concentus sint mutuati. Alii vero, processu temporum, Pontifices, quum nescii non essent quantam huius rei partem sibi divini cultus vindicaret dignitas, immortalis decessoris sui vestigiis insistentes, Gregorianum cantum non modo ad receptam, eandemque probatissimam numeri formam revocandum, sed etiam ad aptiorem melioremque exemplaris rationem exigendum indesinenter curarunt. Praesertim, post Tridentinae Synodi vota et sanctiones, atque Missalis Romani diligentissime exarati emendationem, Pii V praecepto et auctoritate peractam, de promovendo liturgico cantu magis in dies assidua excelluit solertia Gregorii XIII, Pauli V ac ceterorum, qui, ad incolume Liturgiae decus tuendum, nihil potius et antiquius habuerunt, quam ut rituum uniformitati sacrorum etiam concentuum uniformitas ubique responderet. Qua in re illud Apostolicae Sedis sollicitudinem iuvit praecipue, quod ipsi curae fuerit Graduale, accurate recognitum et ad simpliciores modos reductum, Ioanni Petro Aloisio Praenestino elaborate praeclareque adornandum committere. Nam mandatum, ut erat dignum homine officii sui perstudioso, docte ille complevit: et celeberrimi magistri praestare valuit industria, ut, iuxta prudentissimas normas, servatisque genuinis characteribus, liturgici concentus reformatio iure conficeretur. Opus tanti momenti illustres Petri Aloisii Praenestini discipuli, insigne eius magisterium et documenta secuti, typis Mediceis Romae excudendum, Pontificum voluntate, susceperunt. — Incepta tamen huiusmodi experimenta et conatus non nisi aetati huic demum nostrae absolvere est concessum. Quum enim sa. me. Pius IX liturgici cantus unitatem feliciter inducere quam maxime in votis haberet, a Sacrorum Rituum Congregatione assignandam, eiusdemque ductu et auspiciis muniendam, peculiarem virorum Gregoriani cantus laude praestantium Commissionem in Urbe instituit; eiusque examini editionem subiecit, qua denuo in lucem evulgaretur Graduale Romanum, typis olim Mediceis impressum et Apostolicis Pauli V Litteris approbatum. Hanc dein editionem saluberrimo opere absolutam, parique studio et opportunis inductis emendationibus, ad normas a Commissione praescriptas, revisam, sibi valde probari haud semel ostendit, atque authenticam declarare non dubitavit suis Brevibus Litteris, die 30 Maii anno 1873 datis, quarum illa est sententia: « *Hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus quibus Musices sacrae cura est, magnopere commendamus; eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia* ». — Antecessoris Sui adprobationem decreto confirmare atque extendere e re esse duxit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. Litteris enim Apostolicis, die 15 Novembris anno 1878, primae Antiphonarii partis, quae Horas diurnas complectitur, novam editionem, ab iisdem viris per Sacrorum Rituum Congregationem deputatis, egregie sane, ut decebat musicos eruditos, atque intelligenter revisam, peculiari commendatione est prosequutus, his sapienter ad Episcopos omnesque Musicae Sacrae cultores verbis usus: « *Itaque memoratam editionem a viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a Sacrorum Rituum Congregatione deputatis, revisam probamus atque authenticam declaramus, Reverendissimis Ordinariis ceterisque, quibus Musices Sacrae cura est, vehementer commendamus, id potissimum spectantes, ut sic cunctis in locis ac Dioecesibus, cum in ceteris, quae ad Sa-*

(1) *Confess.* L. X, c. 33, n. 3.

cram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia ».

Verum, quemadmodum post Pontificium Pii IX Breve de Graduali, ad ipsam editionis adprobationem in dubium vocandam, controversiae pluries subortae et obstacula sunt permota, ob quae Sacra Rituum Congregatio, die 14 Aprilis anno 1877, sui muneris esse persensit editionem authenticam adserere, suoque suffragio penitus confirmare: haud aliter, post Apostolicas etiam Leonis XIII Litteras, quin finem contentionibus facerent, sibi adhuc integrum putaverunt nonnulli consilia et decreta negligere de instituto cantus ecclesiastici, constanti Romanae Liturgiae ratione et usu comprobati. Immo, choricis Ecclesiae libris in lucem prolatis, totaque hac re ad exitum egregie perducta, largiores evasere disputationes: et, in conventu cultorum liturgici cantus anno 1882 Aretii habito, validius excitatae censurae eos moerore affecerunt, qui, in ecclesiastici concentus uniformitate, Apostolicae Sedi unice obtemperandum iure meritoque existimant. Quum autem qui Aretium hanc ob causam contenderant, vota quaedam seu postulata de eadem re non tantum in populum prodiderint, verum etiam Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII formulis concinnata exhibuerint, Pontifex idem, negotii gravitate permotus, ut sacrorum concentuum, potissimum vero Gregoriani cantus, unitati et dignitati consuleret, vota illa seu postulata in examen adducenda assignavit peculiari Coetui ab se delecto quorumdam Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum. Qui, omnibus mature perpensis, exquisitisque insignium quoque virorum sententiis, sine ulla dubitatione decernendum censuerunt: « *Vota seu postulata ab Aretino Conventu superiore anno emissa, ac Sedi Apostolicae ab eodem oblata pro liturgico cantu Gregoriano ad vetustam traditionem redigendo, accepta uti sonant recipi probarique non posse. Quamvis enim ecclesiastici cantus cultoribus integrum liberumque semper fuerit ac deinceps futurum sit, eruditionis gratia, disquirere quaenam vetus fuerit ipsius ecclesiastici cantus forma, variaeque eiusdem phases, quemadmodum de antiquis Ecclesiae ritibus ac reliquis Sacrae Liturgiae partibus eruditissimi viri cum plurima commendatione disputare et inquirere consueverunt; nihilominus eam tantum uti authenticam Gregoriani cantus formam atque legitimam hodie habendam esse, quae, iuxta Tridentinas sanctiones, a Paulo V, Pio IX sa. me. et Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII atque a Sacrorum Rituum Congregatione, iuxta Editionem nuper adornatam, rata habita est et confirmata, utpote quae unice eam cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Quocirca de hac authenticitate et legitimitate, inter eos qui Sedis Apostolicae auctoritati sincere obsequuntur, nec dubitandum neque amplius disquirendum esse* ».

Attamen postremis hisce annis, diversas ob causas, pristinae difficultates iterum interponi, recentesque immo concertationes instaurari visae sunt, quae vel ipsam quum huius Editionis tum cantus in ea contenti genuinitatem aut infirmare aut penitus impetere aggrederentur. Neque etiam defuere qui ex desiderio, quo Pius IX et Leo XIII Pontifices Maximi Ecclesiastici cantus uniformitatem summopere commendatam habuerunt, alios quoscumque cantus, in Ecclesiis peculiaribus iampridem adhibitos, omnino vetari inferrent. Ad haec dubia satius enucleanda omnesque in posterum ambiguitates arcendas, Sanctitas Sua iudicium hac de re deferendum constituit Congregationi Ordinariae omnium Patrum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus Praepositorum: qui, in Coetibus ad diem 7 et 12 Iunii nuper elapsi convocatis, resumptis omnibus ad rem pertinentibus aliisque mox exhibitis mature perpensis, unanimi responderunt sententia: « *Servandas esse dispositiones sa. me. Pii IX in brevi « Qui choricis » diei 30 Maii 1873; Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII in Brevi « Sacrorum Concentuum » diei 15 Novembris 1878; ac Sacrorum Rituum Congregationis praescriptiones supra relatas* ». — Quod autem ad libertatem attinet, qua Ecclesiae peculiares cantum legitime invectum et adhuc adhibitum possint retinere, Sacra eadem Congregatio plurimum hortatur omnes locorum Ordinarios aliosque ecclesiastici cantus cultores, ut Editionem praefatam in Sacra Liturgia, ad cantus uniformitatem servandam, adoptare curent, quamvis illam, iuxta prudentissimam Sedis Apostolicae agendi rationem, singulis Ecclesiis non imponat.

Facta autem de his omnibus per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII fideli relatione, Sanctitas

Sua Decretum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit, confirmavit, et publici iuris fieri mandavit die 7 Iulii anno 1894.

C. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Aloisius Tripepi, S. R. C. Secretarius.

II.

BREVE APOSTOLICUM

ad Eq. Fridericum Pustet,

typographum S. Sedis et S. R. C.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Qui choricis Catholicae Ecclesiae libris imprimendis operam navarunt, in eamque rem typographicae artis qua praestabant, industriam contulerunt, eos de Catholica Religione bene meruisse existimamus, ac dignos propterea fuisse, quos et' Sacrorum Antistites, et vel ipsi Romani Pontifices suis laudibus prosequerentur. Hos inter praeclarum tu quidem, dilecte fili, locum obtines, qui egregiis ecclesiasticorum librorum editionibus, ac praesertim magna cura editis libris Cantus Gregoriani, Typographi Pontificii et Sacrorum Rituum Congregationis titulo insignitus, nunquam destitisti Catholicam rem, quantum tua arte potes, luctuosis hisce, quibus versamur, temporibus iuvare. Gratissimum vero Nobis accidit, quod nuper audivimus te *Gradualis,* quod vocant Romani, editionem, sane pulchram et magnificam, quam editionis instar Mediceae et iuxta normas a Sacrorum Rituum Congregatione tibi praescriptas adornaveras, ad exitum perduxisse. Qua re facere non possumus, quin collocatam a te in ea operam atque industriam vehementer probemus; ex qua multum et decoris et utilitatis sacris Ecclesiae ritibus orietur. *Atque adeo hanc ipsam dicti Gradualis Romani editionem, tuis sumptibus ac laboribus exaratam, Reverendissimis locorum Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices sacrae cura est, magno opere commendamus, eo vel magis, quod sit Nobis maxime in votis, ut cum in ceteris, quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu, una, cunctis in locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Romana utitur Ecclesia.* Interea dum te, dilecte fili, etiam atque etiam in Domino hortamur, ut pergas tenere istam viam, quam instituisti, et laudum tuarum vestigiis insistere, aliud hoc tuae operositatis argumentum expectamus, ut quae adhuc edenda tibi supersunt de Gregoriano cantu volumina, quibus inchoata olim a fel. mem. Paulo PP. V Praedecessore Nostro perficitur editio, tandem in lucem proferas. Quae ut alacrius praestare velis, iura omnia et privilegia, quae ob ecclesiasticorum librorum a te peractas editiones, ab hac Sancta Sede, per Sacrorum Rituum Congregationem, concessa tibi fuerunt, hisce Nostris Litteris confirmamus, iterumque si opus fuerit, elargimur; ac simul benevolentiae Nostrae certissimum pignus, Apostolicam Benedictionem tibi ac tuis omnibus ex animo impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die trigesima Maii MDCCCLXXIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo septimo.

FABIUS Card. ASQUINIUS.

L. ✠ S.

III.

DECRETUM.

Quo nova Gradualis Romani editio Ratisbonen., sumptibus ac typis impressa Eq. Friderici Pustet, Thypographi S. Sedis et S. R. C., authentica rursus declaratur.

RATISBONEN.

Quod Apostolicae Sedi erat in votis, ut sacra Romanae Ecclesiae Liturgia in omnibus servaretur Dioecesibus, quum Deo adiuvante effectum prope esset, Sacra Rituum Congregatio etiam, de promovenda uniformitate cantus Gregoriani sollicita, curavit ut nova editio librorum eiusdem cantus Gregoriani diligentissime adornaretur. Quamobrem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, per eamdem Sacrorum Rituum Congregationem, peculiarem deputavit Commissionem Virorum Ecclesiastici cantus apprime peritorum: quae statuit, ut Graduale Editionis Mediceae Pauli V iterum in lucem ederetur, ut cetera quae deerant, supplerentur ad normam eiusdem Gradualis.

Eques Fridericus Pustet Ratisbonensis, Typographus Pontificius, qui plures librorum liturgicorum editiones laudabiliter confecerat, suis laboribus et expensis ingens hoc opus perficere aggressus est; sub directione tamen et revisione superius laudatae Commissionis.

Eiusmodi Opere iam magna ex parte accuratissime absoluto, plures in illud eiusque Typographum excitatae sunt contradictiones; adeo ut nonnullae Ephemerides, nedum iniuriosas censuras contra ipsum cantum et Commissionem Romanam intulerint, ac fidem pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis hac super re latis infirmare praesumpserint; verum etiam dubia promoverint de authenticitate et vi Litterarum Apostolicarum, in forma Brevis sub die 30 Maii Anni 1873, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX editionem praefati Gradualis magnopere commendare dignatus est, quemadmodum Paulus V editionem Mediceam similibus Litteris Apostolicis condecoravit.

Quum autem Typographus Fridericus Pustet haec omnia ad Sacram Rituum Congregationem detulerit, ipsamque pro opportuno remedio deprecatus sit; eadem Sacra Congregatio, ne fini, quem sibi per hanc novam editionem librorum Cantus Ecclesiastici proposuit, alia obstacula et contradictiones interponantur, Oratoris precibus rescribendum censuit: « *Provisum per Breve* « *Pontificium diei 30 Maii Anni 1873,* « *quo Editio D. Friderici Pustet a speciali* « *Commissione Virorum Ecclesiastici Cantus apprime peritorum, a Sanctissimo Domino Nostro per Sacrorum Rituum Congregationem deputata, accuratissime revisa, approbata atque authentica declarata, magnopere reverendissimis Locorum* « *Ordinariis, iisque omnibus, quibus Musices Sacrae cura est, commendatur; eo* « *quod eidem Sanctissimo Domino Nostro* « *sit maxime in votis, ut, cum in ceteris* « *quae ad Sacram Liturgiam pertinent, tum* « *etiam in cantu, una cunctis in locis ac* « *Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua* « *Romana utitur Ecclesia* ».

Atque ita rescripsit ac declaravit.
Die 14 Aprilis 1877.

A. Ep. SABINEN. Card. BILIO,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Plac. Ralli, S. R. C. Secret.

IV.

ALIUD BREVE APOSTOLICUM

ad Eq. Fr. Pustet.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sacrorum concentuum dignitati consulere, potissimum vero Gregoriani Cantus uniformitate providere, semper Summis Pontificibus curae fuit. Quapropter peculiari benevolentia ac laudibus eos viros prosequuti sunt, qui ad tam salubre ecclesiastici cantus institutum propagandum in choricis Romanae Ecclesiae libris accurate edendis artis typographicae subsidium contulerunt. Hac ratione Pius IX Praedecessor Noster tecum, Dilecte Fili, se gerere non dubitavit, quod cum Typographi Summi Pontificis et Congregationis Sacrorum Rituum titulo insignitus sis, Gradualis, quod vocant, Romani editionem accuratissimam, iuxta normas ab memorata Sacra Rituum Congregatione tibi praescriptas, ad exitum feliciter perduxeris. Nunc vero pari studio ac diligentia ut inchoatum olim a fel. mem. Paulo V Praedecessore Nostro opus perficeres, *Antiphonarii* ac *Psalterii universi* cum cantu editionem, iuxta praedictas normas, ea servata ratione quae in Romana Aula viget, adornare aggressus es. Cuius operis cum pars continens Horas Diurnas iam absoluta sit, aequum plane est, ut curam industriamque tuam ea in re collocatam commendemus. « *Itaque memoratam* « *editionem a Viris ecclesiastici cantus apprime peritis, ad id a Sacrorum Rituum* « *Congregatione deputatis revisam,* probamus, atque authenticam declaramus, *Reverendissimis locorum Ordinariis, ceterisque, quibus Musices Sacrae cura est,* « *vehementer commendamus; id potissimum* « *spectantes, ut sic cunctis in locis ac Dioecesibus, cum in ceteris, quae ad Sacram* « *Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu,* « *una eademque ratio servetur, qua Romana* « *utitur Ecclesia* ». Praeterea iura omnia et privilegia, quae ob ecclesiasticorum librorum a te peractas editiones, ab hac Sancta Sede per Sacrorum Rituum Congregationem concessa tibi fuerunt, hisce Litteris confirmamus, iterumque, si opus fuerit, elargimur; atque ad certissimum benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem tibi tuisque omnibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XV Novembris MDCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri anno primo.

Pro D. FAB. Card. ASQUINIO

D. IACOBINI, Substitutus.

L. ✠ S.

V.

BREVE APOSTOLICUM

Quo peculiaris Commissionis virorum ecclesiastici cantus peritorum opera probatur et laudatur quoad novam librorum liturgicorum Ratisbonen. editionem.

LEO PAPA XIII.

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod pertinere ad divini cultus dignitatem videbatur, ut Sacrorum concentuum forma ad veteris numeri rationem revocaretur, id quidem studuit dilectus filius Fridericus Pustet efficere nova Librorum Liturgicorum editione, quam non multo ante absolvit. Veumtamen non sumus nescii, quantam eius rei partem vindicet, dilecti filii, ingenium vestrum et labor. Et iure quidem; propterea quod cum vos Pius IX Decessor Noster eam editionem recognoscere, et ad vetera eademque probatissima exemplaria emendare iussisset, mandatum curavistis diligenter, ut erat dignum hominibus officii sui perstudiosis, itemque intelligenter et docte, ut decebat musicos eruditos eaque in arte praeclare exercitatos. Has igitur visum est ad vos litteras dare, ut intelligatis valde Nobis probari operam vestram in re cum primis utili, tot annos tam laudabiliter consumptam. Grati vero animi praecipuaeque benevolentiae Nostrae velut pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam vobis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Aprilis anno MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.

LEO PP. XIII.

Extrinsecus

Dilectis Filiis

ALOISIO RICCI, Canonico Liberiano,
INNOCENTIO PASQUALI, Can. Carpinetensi,
CAIET. CAPOCCI et SALVATORI MELUZZI
Magistris Chori Canentium — Romam.

VI.

CIRCOLARE

AI REVERENDISSIMI ORDINARII D'ITALIA.

Rm̃o Signore,

Benchè il Regolamento per la Musica Sacra, comunicato con autorizzazione Pontificia dalla Sacra Congregazione de' Riti all' Episcopato Italiano il 24 Settembre 1884, contenesse molte savie norme per questa importante parte della liturgia ecclesiastica; pur tuttavia nè poche nè lievi difficoltà si opposero nel maggior numero delle Diocesi alla sua esatta osservanza.

A rimuovere siffatti ostacoli, ed a procurare che in ciascuna Chiesa la musica sia degna della casa di Dio, il Santo Padre, dopo aver fatto interrogare i principali Maestri dell'arte musicale, e conosciuto il parere di molti Ordinarî delle diverse parti d'Italia, dispose che la stessa Sacra Congregazione in plenaria adunanza sottoponesse

VI.

LITTERAE ENCYCLICAE

AD REVERENDISS. ITALIAE ORDINARIOS.

Rm̃e Domine,

Quamvis ordinatio pro cantu sacro moderando, Rm̃is Italiae Episcopis a Sacrorum Rituum Congregatione de Apostolica Auctoritate communicata, plures sapientes normas contineret super hac parte haud exigua sacrae liturgiae; tamen multis et gravibus de causis ad actum in pluribus Dioecesibus plene redigi non potuit.

Ad eiusmodi difficultates removendas et ad musicam in qualibet Ecclesia loco sancto dignam procurandam, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII iussit, ut, auditis praecipuis artis musicae magistris, exquisitaque quamplurium Rm̃orum Italiae Ordinariorum sententia, Sacra Rituum Congregatio in Plenario Coetu novo examini ac discussioni

a maturo esame il grave argomento, e indicasse quali delle prescritte regole dovessero meglio chiarirsi, quali modificarsi e quali istruzioni aggiungersi per ottenere più facilmente il bramato intento.

Frutto di questa ben ponderata discussione è il nuovo Regolamento, che, dopo la formale approvazione di Sua Santità, invio qui accluso a V. S. Illma e Rma.

Delle due parti, in che esso si divide, la prima contiene le norme generali da osservarsi nella composizione ed esecuzione della musica ecclesiastica; l'altra le istruzioni per promuoverne lo studio, e insieme per impedire che si oltrepassino i limiti assegnati ai cultori di quest'arte, e si menomi comechessia l'autorità della Chiesa in tutto ciò che concerne il culto divino.

Inoltre, essendosi in questi ultimi anni ravvivate le antiche discussioni sul canto fermo, non ostante i molteplici atti della Santa Sede che lo riguardano; la Santità Sua volle altresì che questo argomento fosse di nuovo trattato, e le insorte questioni esaminate e risolute dalla Sacra Congregazione. La quale, tenuto presente tutto ciò che all'uopo erasi proposto, ha giudicato non doversi recedere dalle già emesse prescrizioni. Ciò rilevasi dal Decreto, che, sanzionato anch'esso dalla Suprema Autorità Pontificia, è parimenti unito alla presente Circolare.

La S. Congregazione invita quindi la S. V., anche in nome del Santo Padre, a procurare col suo ben noto zelo l'esatto adempimento di queste disposizioni; le quali, mentre giovano ad allontanare ogni cagione di spiacevoli controversie, rendono più facile nelle diverse funzioni ecclesiastiche l'uso della musica corrispondente al sacro rito.

Adempito così l'officio che gl'incombeva, il sottoscritto conferma alla S. V. i sentimenti di stima ed osservanza.

Di Vostra Eccellenza,

Dalla Segreteria della S. Congregazione dei Riti li 21 Luglio 1894.

Come Fratello

G. Card. ALOISI-MASELLA, PREFETTO.

LUIGI TRIPEPI, Segretario.

Al Rmo Ordinario della Diocesi.........

rem subiiceret, ac statueret quaenam ex normis supradictis forent explicandae vel mutandae, et quaenam aliae iisdem addendae, ut ad optatum exitum facilius perducerentur.

Mandatis eiusdem Sanctissimi Domini Nostri obsequens Sacra Rituum Congregatio, re accurate discussa ac perpensa, aliam ordinationem hisce litteris adnexam protulit, Apostolicae Sedis sanctione confirmatam. Quae in binas partes dispescitur, unam de normis generalibus servandis in quavis compositione et executione musicae sacrae, alteram de regulis idoneis ad studium huius artis promovendum, necnon ad impediendum quominus limites praestitutos eiusdem artis cultores praetergrediantur, et Ecclesiae auctoritas in eo quod ad divinum cultum spectat, imminuatur.

Praeterea prioribus iterum subortis hoc postremo tempore quaestionibus super cantu liturgico, quamvis pluries hac de re mentem suam aperuisset Sedes Apostolica, voluit eadem Sanctitas Sua, ut idem argumentum denuo ageretur, ac praedictae quaestiones penitius discussae penes Sacrorum Rituum Congregationem resolverentur. Quae quidem, servatis servandis, a iure praescripto non esse recedendum statuit, decretumque a Suprema Auctoritate approbatum, atque hisce litteris item adiectum, edidit.

Sacra porro eadem Congregatio Amplitudinis Tuae sapientiae ac prudentiae diligentem harum dispositionum observantiam commendat: prosunt enim sive novis vitandis controversiis, sive faciliori cantus ad sacrum ritum idonei usui in Ecclesiae functionibus.

Quae dum pro suo munere Amplitudini Tuae significat infrascriptus, plenae aestimationis atque observantiae sensus exprimit.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 21 Iulii 1894.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater

C. Card. ALOISI-MASELLA, PRAEFECTUS

ALOISIUS TRIPEPI, Secretarius.

Rmo Ordinario Dioecesis.......

VII.

La Sacra Congregazione de' Riti nelle Adunanze Ordinarie del 7 e 12 Giugno 1894, dopo matura discussione, ha approvato il seguente

REGOLAMENTO

PER LA MUSICA SACRA.

PARTE I.

Norme Generali per la musica da usarsi nelle funzioni ecclesiastiche.

Art. 1. Ogni composizione musicale informata allo spirito della sacra funzione che accompagna, rispondendo religiosamente al significato del rito e delle parole, muove a devozione i fedeli, e quindi è degna della Casa di Dio.

Art. 2. Tale è il Canto Gregoriano, che la Chiesa riguarda come veramente suo, e quindi il solo che adotta nei libri liturgici da essa approvati.

Art. 3. Il Canto Polifono eziandio, tanto diatonico, quanto cromatico, purchè forniti delle suddette doti, possono convenire alle sacre funzioni.

Art. 4. Nel genere polifonico viene riconosciuta degnissima della Casa di Dio la musica di Pierluigi da Palestrina e dei suoi buoni imitatori; come, per la Musica Cromatica, si riconosce degna del culto divino quella che ci venne trasmessa fino ai nostri giorni da accreditati Maestri di varie Scuole italiane ed estere, e specialmente dai Maestri Romani, le cui composizioni furono lodate più volte dalla competente Autorità siccome veramente sacre.

Art. 5. Essendo ben noto che una composizione anche ottima di musica polifonica può divenire sconveniente per una cattiva esecuzione: in tal caso si adoperi nelle funzioni strettamente liturgiche il Canto Gregoriano.

Art. 6. La musica figurata da organo deve in genere rispondere all'indole legata, armonica e grave di questo strumento. L'accompagno istrumentale deve sostenere decorosamente il canto e non opprimerlo. Nei preludii ed interludii così l'organo come gli strumenti conservino sempre il carattere sacro, corrispondente al sentimento della funzione.

VII.

DE MUSICA SACRA

ORDINATIO

quam mature perpensam Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Coetibus dd. 7 et 12 Iunii 1894 approbandam censuit.

PARS PRIMA.

Normae generales circa musicam in ecclesiasticis functionibus adhibendam.

Art. 1. Quaevis musica compositio, sacrae functionis (quam comitatur) indoli conformis, ritus verborumque significationi religiose respondens, Fidelium pietatem excitat, ac proinde digna est Domo Dei.

Art. 2. Eiusmodi est cantus Gregorianus, quem uti vere suum agnoscit Christi Ecclesia: quare unicus est quo ipsa utitur in libris liturgicis a se adprobatis.

Art. 3. Cantus etiam polyphonicus tum diatonicus, tum chromaticus, modo praelaudatis instructus uterque dotibus, sacras decet functiones.

Art. 4. Quoad genus polyphonicum, Petri Aloisii Praenestini musice eiusque probatorum imitatorum Dei Domo perquam digna reputatur: itemque divino cultu digna censetur ea musice chromatica, quam ad nostram usque aetatem docti magistri ex italis exterisque Scholis ac praesertim Romani magistri transmisere; quorum compositiones, utpote vere sacras, pluries ecclesiastica laudavit Auctoritas.

Art. 5. Quum apprime constet compositionem musicae polyphonicae, etsi optimam, saepe ob ineptam executionem Dei Domum dedecere; eo in casu Gregorianus cantus in functionibus stricto sensu liturgicis adhibeatur.

Art. 6. Musica *figurata* pro organo, generatim huius instrumenti gravi indoli harmonicae et continuae respondeat. Instrumentorum consociatio cum decore cantum sustineat, non opprimat. In praeludiis atque interludiis tam ab organo quam a ceteris instrumentis servetur indoles sacra, functionis significationi respondens.

Art. 7. L'idioma da usarsi nei cantici durante le solenni funzioni strettamente liturgiche sia la lingua propria del rito, ed i testi *ad libitum* si prendano dalla Sacra Scrittura, dall'Officiatura, o da inni e preci approvate dalla Chiesa.

Art. 8. Nelle altre funzioni si potrà usare la lingua volgare, prendendo le parole da divote ed approvate composizioni.

Art. 9. È severamente proibito dalla Chiesa ogni musica per canto, o per suono d'indole profana, specialmente se ispirata a motivi, variazioni e reminiscenze teatrali.

Art. 10. Per provvedere al rispetto dovuto alle parole liturgiche, ed escludere la prolissità della sacra funzione, è proibito ogni canto, nel quale le parole si trovino anche in minima parte omesse o trasportate fuori di senso, o indiscretamente ripetute.

Art. 11. È proibito il dividere in pezzi affatto staccati quei versetti, che sono necessariamente collegati fra loro.

Art. 12. È vietato l'improvvisare, detto *a fantasia,* sull'organo a chiunque nol sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole dell'arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei Fedeli.

PARTE II.

Istruzioni per promuovere lo studio della Musica Sacra e per allontanarne gli abusi.

I. Essendo la Musica Sacra parte della Liturgia, si raccomanda ai Rmi Ordinarî di prenderne cura speciale, e di farne argomento di opportune prescrizioni, soprattutto nei Sinodi Diocesani e Provinciali, sempre però conformi al presente Regolamento. Il concorso dei laici è ammesso sotto la vigilanza e dipendenza dei rispettivi Ordinarî. Non si possono formar comitati, nè tenere congressi, senza l'espresso consenso dell'Autorità ecclesiastica; la quale per la Diocesi è il Vescovo, per la Provincia il Metropolita coi suoi Suffraganei. I periodici di Musica Sacra non possono pubblicarsi senza l'*imprimatur* dell'Ordinario. È al tutto proibita qualsiasi discussione sugli articoli del Regolamento. Nelle altre materie poi riguardanti la Musica Sacra, essa è lecita, purchè 1° si osservino le leggi della carità; 2° nessuno si eriga a maestro e giudice altrui.

Art. 7. Infra solemnes stricte liturgicas functiones lingua in canticis usurpanda, sit lingua ritus propria: textusque *ad libitum* e Sacra Scriptura desumantur, aut ex Officio diei, vel ex hymnis precibusque ab Ecclesia adprobatis.

Art. 8. Ceteris vero in functionibus lingua vernacula poterit adhiberi, verba seu textus sumendo e piis atque adprobatis compositionibus.

Art. 9. Strictissime in Ecclesiis interdicitur quaepiam musica sive concentus sive sonitus, quae profanum quid sapiat, praesertim quae theatrales melodes quomodocumque redoleat vel referat.

Art. 10. Quo debitae verbis liturgicis observantiae consulatur, et sacrarum functionum prolixitas vitetur, quivis cantus inhibetur in quo verba vel minima ex parte omissa sint, vel sensu distracta, aut nimium repetita.

Art. 11. Prohibitum est quominus versiculi necessario inter se connexi prorsus intercidantur.

Art. 12. Tandem prohibetur ne quis organum pulset ex tempore, vulgo *a fantasia,* nisi id apte calleat; nempe, ut non modo artis musicae regulae serventur, sed etiam sarta Fidelium pietas tectaque sit animorum applicatio.

PARS ALTERA.

Monita ad studium sacrae musicae promovendum, et pellendos abusus.

I. Quum sacra musica pars sit Liturgiae, Sacrorum Rituum Congregatio Rmis locorum Ordinariis potissimum commendat ut peculiare ad illam promovendam studium impendant, opportunas edendo praescriptiones, praecipue in Synodis Dioecesanis ac Provincialibus, verum hisce normis apprime conformes. Laicis fas esto operam suam praestare, subiectis tamen vigili respectivo Ordinario. Absque ecclesiasticae Auctoritatis assensu (nempe Episcopi quoad Dioecesim, et Metropolitae cum suis Suffraganeis quoad Provinciam) coetus institui et comitia haberi non liceat. Ephemerides de sacra musica ne mandentur typis absque Rmi Ordinarii *imprimatur*. Quaevis discussio circa harum praescriptionum articulos omnino vetita est. Permittitur vero quoad ceteras materias ad sacram musicam pertinentes, dummodo 1° caritatis leges serventur; ac 2° vel magistri vel iudicis partes nemo sibi arroget.

II. I Rm̃i Ordinarî faranno esattamente adempire dai Chierici l'obbligo di studiare il canto fermo, quale specialmente si rinviene nei libri approvati dalla Santa Sede. Quanto poi agli altri generi di musica ed al suono dell'organo, non ne prescriveranno ai Chierici l'obbligo, per non distoglierli dagli studî più gravi, ai quali debbono attendere. Se però alcuni di essi siano già istruiti in tal genere di studî, o ne mostrino particolare disposizione, potranno loro permettere di perfezionarsi nei medesimi.

III. Invigilino assai i medesimi Rm̃i Ordinarî sui Parrochi e Rettori di Chiese, affinchè non permettano esecuzioni musicali contrarie alle norme del presente Regolamento; valendosi ancora, secondo il loro arbitrio e prudenza, delle pene canoniche contro i dissobbedienti.

IV. Colla pubblicazione del presente Regolamento e sua comunicazione ai Rm̃i Ordinarî d'Italia, è abrogato qualsiasi atto precedente sullo stesso argomento.

La Santità di Nostro Signore LEONE PAPA XIII, in seguito di relazione fattale dal sottoscritto Cardinale Prefetto della Sacra Congregazione de' Riti, si è degnata confermare e sanzionare in ogni sua parte il precedente Regolamento, ordinandone la pubblicazione, il dì 7 Luglio 1894.

GAET. Card. ALOISI-MASELLA, Prefetto.

L. ✠ S. Luigi Tripepi, Segretario.

II. Curent Rm̃i Ordinarii ut Clerici obligationi Cantus liturgici discendi sedulo satisfaciant, prout hic praesertim in libris extat a S. Sede approbatis. Quoad ceterum musicae genus atque organi sonitum addiscendum, Clericis haud onus imponant, ne gravioribus disciplinis, quibus vacandum est, iidem distrahantur. Qui vero eiusmodi artem callent, vel aptam ad id genus indolem praeseferunt, iis adhuc progrediendi studium permitti poterit.

III. Rm̃i Ordinarii plurimum satagant ne Parochorum incuria Ecclesiarumque Rectorum sacri concentus in Ecclesiis tolerentur hisce praescriptionibus contrarii; canonicis etiam poenis utendo, pro suo arbitrio et prudentia, contra inobedientes.

IV. Praesenti Ordinatione in vulgus edita et significata Rm̃is Italiae Ordinariis, Acta omnia de hac re praecedentia abrogantur.

Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, supradictam Ordinationem ratam habere et undequaque confirmare dignatus est, eamdemque publici iuris fieri mandavit die 7 Iulii 1894.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, Secretarius.

3831. SANCTI IACOBI DE CILE.

Rm̃us Dominus Marianus Casanova Archiepiscopus S. Iacobi de Cile a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

Sub die 1 Iulii 1874 Sacra Rituum Congregatio declaravit: « Servari posse consuetudinem in Archidioecesi Sancti Iacobi de Cile vigentem, ut a celebrante Presbytero Seculari vel Regulari benedictionem petat ille qui concionem facturus est inter Missarum solemnia ».

Praesente autem Episcopo in Presbyterio cum rochetto et mozzetta: Utri competit benedictio? Presbytero celebranti; an Episcopo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Iulii 1894.

3832. DUBIORUM RESOLUTIO.

Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia diluenda proposita fuere; nimirum:

Dubium I. An de Sanctis liceat celebrare liturgico ritu, vel alio sacrae solemnitatis modo, centenaria commemoratio diei Baptismatis?

Dubium II. An liceat Sacerdoti pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire pro adorando Sacramento, precibus ad libitum fundendis ac postea illud claudere?

Dubium III. An sit prohibitum Sanctissimam Eucharistiam fidelibus, iusta de causa, ante vel post Missam immediate distribuere?

Dubium IV. An uti liceat palla a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto cooperta?

Dubium V. Cuiusnam coloris paramenta induere debeat Episcopus, conferens Ordines sacros privatim in Sabbato Sancto, dum legit Prophetias?

Dubium VI. Quinam esse debeat color paramentorum pro Ordinandis in Sacris?

Dubium VII. Num qui Subdiaconatus Ordinem nondum recepit, Subdiaconi munere fungi valeat in Missa solemni?

Dubium VIII. Quando addi in Missa plures Orationes possint, praeter alias vel ex Rubricis vel ex praecepto Ordinarii dicendas?

Dubium IX. Quum nonnullae editiones Missalis Romani pro S. Francisco Borgia Conf. Missam indicent diversam ab illa, quae notatur in editionibus typicis; quaeritur: Cui editioni sit standum?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae, ita propositis dubiis rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative, ad mentem Decreti Generalis diei 19 Decembris 1893, confirmati a Summo Pontifice die 21 eiusdem mensis et anni ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Permitti posse; dummodo palla linea subnexa Calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa ».

Ad V. « Utatur paramentis coloris violacei, quae mutabit in alia coloris albi ad versiculum *Peccatores* Litaniarum, ad normam Caeremonialis Episcoporum ».

Ad VI. « Color ipsius Celebrantis in Missa; nisi aliud postulat necessitas ».

Ad VII. « Affirmative; dummodo Clericali saltem tonsura sit initiatus, Manipulum non ferat et vera urgeat necessitas ».

Ad VIII. « Servetur Rubrica Generalis Missalis Romani Tit. IX, nn. 12 et 14: quae plures Orationes permittit ad libitum Celebrantis in Missa tantum de Festo simplici, aut de Feria, vel Votiva privata ».

Ad IX. « Editionibus typicis ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 17 Iulii 1894.

3833. CASTRI MARIS.

Hodiernus Ordinator Calendarii Dioecesani Castrimaris de mandato sui Rmi Episcopi Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Dubium I. In Civitate Castrimaris extat Ecclesia, quae Beatae Mariae Virgini nuncupatae *de Succursu* fuit dicata, uti patet ex actis authenticis, scilicet: ex instrumento fundationis per publicum Notarium confecto, ex inscriptione super campana eiusdem Ecclesiae apposita et ex imagine eiusdem Virginis sub eodem titulo, publicae fidelium venerationi in maiori Altari exposita. Quum tamen eadem Ecclesia in sua solemni consecratione, nulla facta mentione de supradicto titulo *de Succursu,* Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae fuerit dedicata; quaeritur: An Clerus Civitatis, eiusdem Ecclesiae servitio addictus, debeat celebrare, uti titulare, et sub ritu duplici primae classis cum octava, solummodo Festum de Sanctissimis Nominibus Iesu et Mariae; an etiam Festum Beatae Mariae Virginis *de Succursu?*

Dubium II. Quando in aliqua Ecclesia agitur de Sancto in die non propria et de eo, ob speciale privilegium a S. Sede Apostolica obtentum, canitur et leguntur Missae, uti in die Festo; in hisce Missis fierine debet Commemoratio de Officio diei?

Dubium III. Usus invaluit in pluribus huius Civitatis Ecclesiis, in functionibus Marialibus aliisque, quae cum Missa persolvuntur, dimittere populum cum benedictione Sanctissimi Sacramenti in Pyxide adservati, adhibito velo humerali super Planeta. Quaeritur an hic usus tolerari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Serventur Rubricae quoad commemorationes ».

Ad III. « Affirmative ; et ita observandum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Iulii 1894.

3834. CARTHAGINIEN.

IN INDIIS.

R. D. Petrus Brioschi, Vicarius Generalis Dioeceseos Carthaginien. in Indiis sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum :

Quotiescumque in Carthaginiensi Dioecesi aliqua consecratio novi Episcopi fit, simplices Sacerdotes qui, Sancta Sede benigne annuente, assistunt Episcopo consecranti, aliarum Dioecesium exemplum secuti, mitra utuntur. Quaeritur, utrum toleranda sit haec consuetudo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita proposito dubio rescribendum censuit; videlicet:

« Negative ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Iulii 1894.

3835. DECRETUM.

Pro moderando cultu servorum Dei, qui nondum ab Apostolica Sede relati sunt inter Beatos.

Inter Constitutiones Romanorum Pontificum ac Sacrae Rituum Congregationis Decreta, quae edita fuere pro moderando cultu Servorum Dei, qui cum fama Sanctitatis vel Martyrii decesserunt, sed inter Beatos aut Sanctos ab Apostolica Sede adhuc relati non sunt, nonnulla ad eorum imaginum sive in Templis, sive in publicis Oratoriis appositionem pertinent. Recenter etiam cum Vicarius Apostolicus Districtus occidentalis Scotiae retulisset, in vitris coloratis, quibus Templorum fenestrae decorantur, praefatas imagines interdum depingi ; Sacra eadem Congregatio, per Decretum in una Vicariatus Apostolici Districtus occidentalis Scotiae diei 24 Martii 1860 editum, hunc morem minime approbandum censuit. Verumtamen cum non raro, nedum in eiusmodi vitris, sed etiam in Templorum parietibus facta ac gesta repraesententur, quorum Dei Famuli, vel praecipui actores, vel pars aliqua fuerunt; dubitatum est, num prohibitio illa etiam ad historicas huiusmodi repraesentationes sese porrigat.

Re itaque maturo examini subiecta, auditisque votis virorum in Sacra Theologia et in ecclesiastica quoque Archaeologia praestantium, Sacra Rituum Congregatio, referente Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali eidem Praefecto, in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, respondendum censuit :

« Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcumque imponi posse, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni ».

Die 14 Augusti 1894.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Praefectum de praedictis relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster Sacrae Congregationis sententiam ratam habuit, confirmavit, et ita Decreta, quae in contrarium facere videantur, intelligi debere iussit. Die 27 iisdem mense et anno.

3836. DECRETUM GENERALE.

Non semel a Sacra Rituum Congregatione exquisitum fuit : Utrum, et quomodo solemnis professio, aut votorum renovatio, quae in plerisque Religiosis tam virorum quam mulierum Congregationibus locum habet, intra Missam peragi valeat. Porro in peculiaribus casibus non una eademque fuit responsionis ratio, quin umquam Generale Decretum hac de re editum fuerit. Quapropter, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem Sacra Rituum Congregatio, referente Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali eidem Praefecto, cunctis mature perpensis, atque iis praesertim, quae in Bulla s. m. Gregorii Papae XIII « *Quanto fructuosius* », data Calendis Februarii 1583 pro approbatione Constitutionum Societatis Iesu, hac de re continentur, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum ha-

bitis, sequentem methodum servari posse constituit: « Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, absoluta Confessione ac verbis quae ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim SSm̃um Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad Altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SSm̃um Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus Decretis in contrarium facientibus, quae prorsus revocata atque abrogata censeantur.

Die 14 Augusti 1894.

Facta autem SSm̃o Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Praefectum de praemissis relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacrae Congregationis approbavit, ratam habuit, ac Decreta in contrarium facientia per praesens penitus abrogata esse declaravit. Die 27 iisdem mense et anno.

3837. DECRETUM.

Evulgato Generali Decreto super primariis et secundariis Festis et eorumdem Catalogo, dubium excitatum fuit in Sacrorum Rituum Congregatione, an praecedentia Festis primariis super secundariis tributa afficiat solum Duplicia primae et secundae classis et Duplicia maiora, an etiam Duplicia minora et Semiduplicia?

Itaque in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, Eminentissimus et Rm̃us Dominus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus sequens proposuit dubium:

An distinctio inter Primaria et Secundaria Festa, vi Decreti Generalis diei 27 Iunii 1893, confirmati a Summo Pontifice die 2 Iulii eiusdem anni, sola respiciat Duplicia primae et secundae classis, ac Duplicia maiora; vel etiam Duplicia minora ac Semiduplicia, tam in occursu, quam in concursu et in repositione?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; ac Decreta quaecumque particularia in contrarium facientia per illud Generale superius memoratum uti revocata ac nullius roboris habenda esse ».

Die 14 Augusti 1894.

3838. DECRETUM.

In Catalogo Festorum, quae iuxta Decretum diei 22 Augusti 1893 uti Primaria aut Secundaria habenda sunt, Festum Sacratissimi Cordis Iesu inter Secundaria relatum fuit. Quapropter dubium in Sacrorum Rituum Congregatione excitatum est, num per hoc Decretum alteri Generali diei 28 Iunii 1889 derogatum fuerit, et quomodo.

Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum coadunata, referente Eminentissimo et Rm̃o Domino Cardinali eidem Praefecto, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

« Festum Sacratissimi Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus Duplicibus primae classis primariis occurrentibus locum cedere. Cum autem ad normam eiusdem Festi Sacri Cordis ordinatum quoque fuerit Festum translatum S. Ioseph, Duplex primae classis, alia Festa Duplicia primae classis similiter occurrentia, dummodo primaria, illi esse praeferenda. Idem quoque servandum circa Festum translatum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis Deiparae Virginis, nisi hoc transferatur simul cum praecepto audiendi Sacrum ».

Et ita declaravit ac decrevit.

Die 14 Augusti 1894.

3839. ANGELOPOLITANA.

Hodiernus Vicarius Generalis Dioeceseos Angelopolitanae, qui et Archidiaconus est illius Ecclesiae Cathedralis, exponens abhinc duobus annis in Vesperis Caeremonialis Episcoporum praescriptiones servari ibidem coeptas esse, insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit; nimirum:

Quum olim obtinuerit consuetudo, ut Capitulares pluviali induerentur ad Vesperas, quin tamen Diaconorum officio fungerentur; statutum fuit, ut portionarii, prae-

bendis diaconalibus fruentes, suum in Vesperis officium implerent: ex reductione enim bonorum ecclesiasticorum exiguus est beneficiariorum numerus, qui a suis officiis distrahi nequeunt, ut in solemnibus Vesperis Hebdomadario assistant.

Inde quaeritur:

I. Archidiaconus et Capitulum rectene egerunt statuendo Caeremonialis Episcoporum in divinis Officiis observantiam, praesertim ad Vesperas solemnes; ac proinde talis agendi ratio Sacrae Rituum Congregationis approbationem ne meretur?

II. Continuarine potest vetus consuetudo, qua pluviali induti quatuor aut sex Canonici cum Hebdomadario comitantur, quin Diaconorum officium adimpleant?

III. Quatenus Negative; quia Canonici et Dignitates ex variis Sacrae Congregationis Decretis prohibentur Diaconorum vices agere, nam eorum praebendae non diaconales sunt, sed presbyterales; nec non quia Canonici in hac Ecclesia solum cum Episcopo Diaconi officio funguntur: possuntne portionarii Diaconorum praebendis gaudentes et ad Canonicorum gradum non pertinentes cogi ut in divinis Officiis, praesertim vero in Vesperis solemnioribus, Diaconi officium adimpleant?

IV. Quum Chorus a maiori Altari distet, iuxta sententiam *De Herdt* in hoc casu, Hebdomadarius ne et assistentes, dum ad *Magnificat* transitum faciunt a Choro ad Altare maius, illud incensandi causa, cooperto capite incedere possint?

V. Cum maior distantia sit a Choro usque ad Sacellum ubi asservatur SSma Eucharistia, cumque illuc ascendere per tres scalas, quae sunt in tractu, difficile senibus sit, potestne Sanctissimi Sacramenti thurificatio omitti, ut diu factum est? Et quatenus Negative, idipsum per specialem gratiam, attentis expositis concedi potest?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Ad Caeremonialis Episcoporum observantiam, iuxta Apostolicas Constitutiones teneri omnes Ecclesias, praecipue autem Metropolitanas, Cathedrales et Collegiatas ».

Ad II et III. « Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad IV. « Servetur consuetudo ».

Ad V. « Affirmative; nisi SSmum Eucharistiae Sacramentum solemniter sit expositum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 17 Augusti 1894.

3840. GRANATEN.

Hodiernus Rmus Archidiaconus Metropolitae Granatensis Ecclesiae, de mandato Rmi sui Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

Dubium I. In Ecclesia Metropolitana Granatensi munere Magistri Caeremoniarum fungitur alter ex Beneficiatis eiusdem Ecclesiae, qui utitur habitu chorali tam in Choro, quam ad Altare, exposito Sanctissimo Sacramento. Hic habitus, durante hieme, consistit in cappa nigri coloris cum linteolo etiam nigro, collo aptato. A die vero Ascensionis Domini usque ad Festum Omnium Sanctorum utitur mozzetta, humerali amiciolo sine cucullo eiusdem coloris. Quaeritur: num liceat Magistro Caeremoniarum, attenta consuetudine, non immemoriali, officium suum cum habitu chorali implere, praesertim ad Altare?

Dubium II. In eadem Ecclesia Lectiones recitantur aut concinuntur in Matutinis hoc ordine: Prima et Secunda primi Nocturni, a duobus Acolythis de Choro, sive ordinatis, sive non. Tertia autem ab uno Beneficiato: Prima vero secundi Nocturni ab alio ex Beneficiatis: Secunda a Canonico iuniore, sed Tertia, a prima Dignitate post Decanum. Demum in tertio Nocturno, Prima a Beneficiato, a quo Evangelium canendum est in Missa Conventuali: Secunda a Canonico Hebdomadario: Tertia a Decano. Diebus tamen quibus induuntur pluvialia in Matutinis, Lectio Octava canitur a Decano et Nona ab Hebdomadario. Quaeritur an licite observari queat exposita consuetudo?

Et quatenus Negative, quis ordo et quae dignitas personarum servanda sit in recitatione Lectionum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Servetur Caeremoniale Episcoporum; ac detur Decretum in Capuana diei 10 Aprilis 1876 ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Ad secundam: Diebus solemnibus serventur

dispositiones Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. V, § 4: et Cap. IV, § 15: diebus vero haud solemnibus servetur dignitatis ordo, ita ut Lectiones I Nocturni ab Acolythis; II Nocturni a Beneficiatis; III demum a Canonicis recitentur ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 14 Decembris 1894.

3841. CAESARAUGUSTANA.

Hodiernus sacrarum Caeremoniarum Magister Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae, de mandato Eminentissimi et Rmi Domini Francisci de Paula Benavides y Navarretes Cardinalis Archiepiscopi, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

In multis Ecclesiis Hispanicae Ditionis viget immemorabilis consuetudo faciendi Mandatum Feria V in Coena Domini, quamvis solus adsit Parochus, idest sine Diacono et Subdiacono. Dubitatur vero quibus paramentis indui debeat Celebrans ad cantandum Evangelium pro Mandato; siquidem Rubrica Missalis atque Memoriale Rituum Summi Pontificis Benedicti XIII circa hoc tacent, neque una eademque existit praxis et discrepant. Iuxta Bauldri: Sacerdos assumere debet super Albam, Stolam, Manipulum et pluviale albi coloris; iuxta a Carpo: tantum Stolam et Manipulum; iuxta alios: Stolam et pluviale coloris violacei, sine Manipulo. Hisce expositis; quaeritur:

Quibusnam paramentis et quonam colore uti debet Sacerdos Mandatum faciens sine Ministris sacris ad Evangelium cantandum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositae quaestioni rescribendum censuit; videlicet:

« Sacerdos, in casu, utatur Stola et pluviali coloris violacei, super Albam ». Atque ita rescripsit.

Die 25 Ianuarii 1895.

3842. BELLUNEN. ET FELTREN.

Rmus Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. nonnulla dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit; nimirum:

In Dioecesibus Bellunen. et Feltren. plures extant Ecclesiae ad Regulares Familias olim pertinentes, quae iisdem Regularibus initio huius seculi per civile Gubernium dispersis, Clero Seculari attributae sunt. Hasce in Ecclesias, ubi mos viget peragendi sacras Maioris Hebdomadae functiones, nonnullis abhinc annis, deficiente Sacerdotum numero, quaedam inductae sunt consuetudines, unde suborta sunt insequentia dubia:

Dubium I. An Feria V in Coena Domini liceat Missam canere cum alterius Hostiae delatione ad Sacellum, vulgo *Sepulcrum,* quamvis die sequenti, ea in Ecclesia, Missa Praesanctificatorum non celebretur, eamdem Hostiam e Sepulcro in Sacrarium sub vesperam privatim deferendo? Et quatenus Negative,

Dubium II. An liceat praedicta Feria V Missam legere absque alterius Hostiae consecratione et absque Processione?

Dubium III. An vero, ubi nulla eadem Feria V habeatur functio, possit sacra Pixis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulcri, ad SSmam Eucharistiam adorandam accedere valeant?

Dubium IV. An pro Altarium denudatione sufficiat mappas seu tobaleas ita complicare ut maior mensae pars nudata remaneat, quin ipsae mappae ab Altaribus amoveantur?

Dubium V. In utraque Ecclesia Cathedrali, quibus diebus agitur Officium de aliquo Sancto in cuius honorem dicatum sit alterum ex Altaribus lateralibus, Missa Conventualis celebratur ad illud Altare, manentibus in Choro Canonicis aliisque Praebendatis. Quaeritur: An haec consuetudo sit toleranda?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, ita propositis dubiis rescribere rata est; videlicet:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative, de venia saltem Episcopi; iuxta Decretum Pii Papae VII in una Resolutionis Dubiorum die 28 Iunii 1821 in responsione ad primum ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Servetur consuetudo ».

Ad V. « Affirmative; dummodo Altare nimis non distet a Choro; secus, Missa celebretur in Altari Chorali, vel Chorus adscititius paretur ad Altare, ubi Missa Conventualis celebranda sit ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 1 Februarii 1895.

3843. DECRETUM GENERALE COMMEMORATIONUM IN VESPERIS.

Cum iam alias Sacra Rituum Congregatio praestituerit ordinem in commemorationibus agendis ad Vesperas servandum, maxime postquam Duplicia minora et semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricae immutatae indixerunt; ad omnes ea super re controversias dirimendas eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit :

« Post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus Festo, quod concurrat, si locum habeat : deinde reliquas iuxta ordinem, quem seu Rubrica Generalis Breviarii Tit. IX, n. 11, seu Tabella Occurrentiae in eodem Breviario inscripta praecipiunt. Qui ordo sequentis tenoris est :

1. De Dominica privilegiata,
2. de die octava,
3. de duplici maiori,
4. de duplici minori, ad instar simplicium redactis :
5. de Dominica communi,
6. de die infra octavam Corporis Christi,
7. de semiduplici,
8. de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis :
9. de Feria maiori vel Vigilia,
10. de Simplici ».

Atque ita servari mandavit.

Die 5 Februarii 1895.

3844. ROMANA.

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia dubia enodanda fuere proposita :

Dubium I. S. R. C., per Decretum Lycien. 4 Aprilis 1705 ad V, declaravit : Officia Sanctorum ad libitum esse omittenda, si ab aliquo Officio Dominicae anticipandae impediantur. Idem statutum legitur in recentiori Decreto Namurcen. 29 Maii 1885 ad I. Hinc quaeritur : Utrum Officium Dominicae anticipandae impediat quoque recitationem Officii Votivi ad libitum ex iis, quae SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII nuper indulsit ?

Dubium II. Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. III, § 17 docet : « In Duplicibus... minoribus, Semiduplicibus et Feriis non oportet Celebrantem (ad Vesperas) esse paratum, nec fieri thurificationes ». Hinc quaeritur : An quando solus Celebrans paratus est sine Ministris, thurificationes in Vesperis fieri debeant; an tantum fieri possint, uti videtur innuere Decretum Ordinis Minorum de Observantia 16 Aprilis 1853 ad 5 ?

Dubium III. Quaenam sequendae normae in coniungendis Hymnis Sanctorum propriis, si habeantur in Breviario, quando relativa Festa primis Vesperis carent ?

Dubium IV. Si Feria VI post octavam Ascensionis occurrat Duplex 2 classis, omittenda est eiusdem Feriae commemoratio in Laudibus et Missa : Quaeritur omittendane est etiam in secundis Vesperis ?

Dubium V. Cum commemoratio Crucis tempore paschali in Officio votivo de Passione fieri non debeat, eadem commemoratio omittendane est etiam in Officio votivo de Eucharistia, si tempore paschali recitetur ?

Dubium VI. In Laudibus et Missa S. Agapiti P. C., die 20 Septembris, si facienda quoque sit commemoratio Vigilia S. Matthaei Apost., quum pro S. Pontifice et pro Vigilia eadem habeatur Oratio, quaenam ex duabus mutanda ?

Dubium VII. Quando Feria V actum est Officium votivum de SSmo Sacramento et Feria VI agendum est de Sacra Spinea Corona vel de Sacratissima Sindone D. N. I. C., quum in primis Vesperis commemoratio SSmi Sacramenti sit omittenda, dicine debet doxologia eiusdem Sacramenti propria, in Hymnis eiusdem metri, sive ad secundas Vesperas, sive ad Completorium ?

Dubium VIII. Quando in Vigilia Pentecostes occurrit Officium Sancti ad instar Simplicis redigendum, legine debet eius IX lectio, si sit historica, ad Matutinum, uti ante reformationem Rubricarum faciendum erat ?

Dubium IX. Quandoque in diem 20 Decembris incidunt simul Vigilia S. Thomae Apostoli et Feria IV Temporum, cuius Evangelium legi quidem deberet in fine Missae, sed non potest, quia idem est ac Evangelium cuiusdam Festi quod recolitur. Hinc quaeritur : An legi tunc debeat in fine Missae Evangelium Vigiliae; an potius S. Ioannis ?

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit ; videlicet :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative, ad primum; Negative, ad secundum ».

Ad III. « Hymnus Vesperarum coniungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi ; nisi aliter cautum sit in ipsa Rubrica speciali Breviarii Romani ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « In casu aliisque similibus Missa *Statuit* pro S. Pontifice et Confessore mutetur in aliam : *Sacerdotes;* ex qua proinde sumatur pro Officio Oratio *Exaudi* ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Affirmative ».

Ad IX. « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Februarii 1895.

3845. BRUGEN.

Rm̃us Dominus Petrus de Brabandere Episcopus Brugen., liturgicis praescriptionibus sese per omnia conformare cupiens, sequens dubium pro opportuna declaratione Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit ; nimirum :

Ex Litteris Apostolicis s. m. Gregorii Papae XVI, datis sub die 27 Maii 1834, Ecclesia Cathedralis Brugen. sub invocatione SSm̃i Salvatoris et S. Donatiani Episc. Conf. nuncupatur ; cuius in Ara principe habetur tabula referens Christum e sepulcro resurgentem : itemque simile simulacrum ipsi Altari imminens. Unde sunt qui autumant Titularem eiusdem Ecclesiae esse Resurrectionem, non vero Transfigurationem D. N. I. C. uti statuitur ex Decretis pro Ecclesiis, quae Titulo gaudent SSm̃i Salvatoris.

Quaeritur igitur : An in casu Resurrectio D. N. I. C. sit habenda ceu Titularis dictae Ecclesiae eiusque commemoratio facienda in Suffragiis ; et quibusnam Antiphonis ac Versiculis ? An vero Capitulum et Clerus, uti nunquam actum est praeteritis seculis, ita posthac negligere valeant eiusmodi Titulum ; quamvis Festum S. Donatiani, tamquam Patroni aeque principalis, quotannis, ritu Duplici primae classis cum octava soleant recolere ?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit ; videlicet :

« Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis Burgensis est Festum Transfigurationis D. N. I. C., ideoque Commemoratio praeponenda Suffragiis Sanctorum ex Antiphona et ℣℣. ad *Benedictus* in Laudibus et ad *Magnificat* in II Vesperis cum Oratione propria illius Festivitatis : retento aeque Titulari S. Donatiano Episc. Conf. ». Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 14 Martii 1895.

3846. IANUEN.

Canonici Ecclesiae Collegiatae Beatae Mariae Virginis Vinearum Ianuae exposuere canonicalia ipsorum indumenta constare:

1. Collari serici rubei ;
2. Veste talari serici nigri cum cauda, cuius fimbriae inferiori sericum rubeum subsutum est ;
3. Rochetto ;
4. Cappa serici rubei pro tempore aestivo, aut panni rubei pro hyemali ;
5. Parva cappa (vulgo *cappino*) serici rubei cum caputio a Paschate ad Calendas Novembris, aut panni rubri cum pellicea (vulgo *ermellino*) a Calendis Novembris ad Pascha.

Quum vero isthaec indumenta in Festis sive functionibus ecclesiasticis solemnioribus, tantum, sumere ipsi soleant ; varia pro aliis communibus Festis vel Feriis exorta sunt dubia, quae enodanda humiliter subiecerunt ; videlicet :

Dubium I. Anne, ut Chori obligationibus satis faciant, diebus communibus, sufficiat eis induere rochettum, cappam et parvam cappam (vulgo *cappino*) ? Et quatenus Negative,

Dubium II. Anne sumere tantum debeant rochettum cum cappino ? Et quatenus Negative,

Dubium III. Anne solo indui debeant rochetto ?

Quibus fideliter relatis per Secretarium, Sacra Rituum Congregatio, omnibus riteque libratis, rescribendum censuit :

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Provisum in secundo ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 15 Martii 1895.

3847. ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS GALLICAE.

R. P. Franciscus Chamard Prior Monasterii S. Mauri Glanafoliensis ad Ligerim in

Andegavensi Dioecesi Sacram Rituum Congregationem rogavit pro declaratione insequentium dubiorum; nimirum:

Dubium I. An Monachi Ordinis S. Benedicti, qui habitant Coenobium canonice erectum sub titulo Prioratus simplicis et iurisdictione Monasterii principalis, sed situm in altera Dioecesi et extra Civitatem episcopalem, imo nondum Ecclesia consecrata munitum, debeant celebrare annuatim Festum Dedicationis Ecclesiae Abbatiae, in cuius Abbatis potestate sunt, prout assignatur in Calendario a Sancta Sede approbato? Et quatenus Negative,

Dubium II. An dicti Monachi debeant celebrare, sicut fere omnes Galliae Dioeceses, ex indulto Cardinalis Caprara, in prima Dominica post Festum Omnium Sanctorum, Dedicationem omnium Ecclesiarum consecratarum?

Dubium III. An potius ad nullum Festum Dedicationis Ecclesiarum teneantur celebrandum?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, singulis propositis dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit; nimirum:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Provisum in praecedentibus ».

Atque ita rescripsit servandumque mandavit.

Die 15 Martii 1895.

3848. CADURCEN.

R. D. Paulus Devèze, Vicarius in spiritualibus Generalis R̃mi Episcopi Cadurcensis in Galliis, exposuit quae sequuntur:

In Calendario Cadurcensis, a Sacra Rituum Congregatione approbato die 29 Aprilis 1894, Festum S. Genulphi Confessoris primi Cadurcensis Episcopi, sub ritu Duplici primae classis cum octava, affixum fuit diei 17 Ianuarii; et Festum S. Antonii Abbatis translatum fuit in diem 19 eiusdem mensis tamquam in sedem propriam. Item Festum Ss. Martyrum Crispini et Crispiniani assignatum fuit, sub ritu Semiduplici, diei 27 Octobris; quoniam die 25 eiusdem mensis celebratur sub ritu duplici Festum S. Capuani, Episcopi Cadurcensis, Confessoris. — At exinde oriuntur dubia pro Ecclesiis, quarum Sancti illi sunt Titulares, aut Patroni loci: ideo Sacerdos orator rogat Sacram Rituum Congregationem pro solutione insequentium dubiorum; scilicet:

Dubium I. Ecclesiae, quarum S. Antonius Abbas, in Dioecesi Cadurcensi, est Titularis, vel Patronus loci, debentne illius Festum celebrare, sub ritu Duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 19 Ianuarii in Calendario, ut supra approbato; vel incipiendo a die 17 Ianuarii, die dormitionis S. Antonii, Festo S. Genulphi cum sua octava ad diem aliam translato?

Dubium II. Ecclesiae eiusdem Dioececeseos, quarum Ss. Martyres Crispinus et Crispinianus sunt Titulares, vel Patroni loci, tenenturne illorum Festum celebrare sub ritu Duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 25 eiusdem mensis, qua inscripti sunt in Martyrologio Romano?

Sacra autem Rituum Congregatio, exquisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente Secretario et omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Festum S. Antonii Abbatis in Dioecesi Cadurcensi pro gratia permittitur ut fiat die decimanona Ianuarii tamquam assignata, etiam in Ecclesiis ubi S. Abbas est Titularis aut Patronus loci ».

Ad II. « In Ecclesiis eiusdem Dioecesis, quarum Titulares, vel loci Patroni, sunt Ss. Crispinus et Crispinianus, eorum Festum celebretur die propria ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 23 Martii 1895.

3849. SARNEN.

Vicarius Generalis Dioeceseos Sarnen. humiliter exposuit Capitulum Ecclesiae Cathedralis constare quatuor Dignitatibus ac decem Canonicis, nulla hierarchichorum Ordinum distinctione, fruentibus singulis praebenda propria, absque massa communi; ab ipsa autem Capituli erectione invaluisse morem ut in Pontificalibus prima Dignitas fungeretur munere Presbyteri Assistentis, duae subsequentes munere Diaconorum assistentium Throno, duo denique Canonici novissimi munere Diaconi et Subdiaconi ad Altare: ceteros interea Canonicos Casula indutos adstare; nisi quis ex Dignitatibus Throno assistere haud valens, Canonicum aliquem sibi ad hoc substituat, manens ipse suo loco Casula indutus.

Nunc vero Dignitates quaedam sibi vindicant ius gestandi pluviale, iuxta Caeremonialis Episcoporum praescriptum; quibus Canonici repugnant, obtendentes ser-

vandam omnino esse consuetudinem pluribus iam a seculis invectam.

Hisce positis orator, accedente unanimi Capituli consensu, ad Sacram Rituum Congregationem insequentium dubiorum declarationem expetiit; nimirum :

Dubium I. Utrum servanda sit antiquissima consuetudo superius exposita? an trium Ordinum constitutio inter Canonicos inducenda sit, ad normam Caeremonialis Episcoporum? Et quatenus Negative, ad primam partem, Affirmative, ad secundam,

Dubium II. Quanam ratione procedendum sit ad trium distinctorum Ordinum constitutionem?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito alterius ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris voto, ac omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Iuxta Caeremoniale Episcoporum, nec non Decreta Sacrae Rituum Congregationis : primae tres Dignitates assistant Episcopo apud Solium, ut hucusque factum est ; quarta autem Dignitas, si adsit in Choro, assumat pluviale. Ex Canonicis Choro adstantibus, quatuor induantur Planetis et quatuor Dalmaticis ».

Ad II. « Provisum in praecedenti ».

Atque ita declaravit et servari mandavit.

Die 5 Aprilis 1895.

3850. URBIS ET ORBIS.

Iure sane ac merito Festum Beatae Mariae Virginis Deiparae ab Angelo salutatae, ab antiquissimis temporibus institutum, et penes Latinam Ecclesiam et Graecam pari solemnitate celebratum est : siquidem Dominicae Incarnationis Mysterium tanquam ceterorum fundamentum Sacra Liturgia profitetur. Hinc Apostolicae Sedi supplicia vota haud semel porrecta sunt, ut Festum ipsum Annuntiationis Beatae Mariae Virginis ad maximum ritum in universa Ecclesia eveheretur. Itaque Sacra Rituum Congregatio in peculiari coetu, pro nova Decretorum authentica Collectione evulganda, ad Vaticanum subsignata die habito, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit :

« Festum Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, die 25 Martii occurrens, in universa Ecclesia ritu Duplici primae classis amodo recolendum esse, cum omnibus iuribus celebriorum Festorum propriis, etsi octava carens ob temporis quadragesimalis rationem. Ceterum, quotiescumque vel Feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto hoc Festum impediatur, toties Feria II post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea, reponatur : in qua integra cum solemnitate ac feriatione sed sine octava, prouti die 25 Martii, celebrabitur. Quando vero illius tantummodo impediatur Officium, ad enuntiatam pariter Feriam II amandetur, ac nonnisi Festo Primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri : quo in casu, in sequentem diem similiter non impeditam transferatur ».

Die 23 Aprilis 1895.

Facta postmodum, die 27 Maii insequentis, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum de hisce omnibus relatione; Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare dignata est.

3851. DECRETUM GENERALE.

Sacra Rituum Congregatio, inhaerens Decretis Urbis et Orbis Pii Papae VII, sub diebus 18 Septembris 1814 et 19 Augusii 1817, decernit :

« Festum Dolorum Beatae Mariae Virginis Dominica III Septembris ab universo seu Seculari seu Regulari Clero esse in tota Ecclesia quotannis celebrandum sub duplici maiori ritu, firma nihilominus remanente eiusdem Festi commemoratione, quae recolitur in Feria VI post Dominicam Passionis. Quod si eiusmodi Festum Dolorum cum alio occurrat, cui vi Rubricarum cedere locum debeat, transferatur in primam, post tertiam Septembris, Dominicam, dummodo duplici maiori primario, aut alio de eadem Deipara etiam secundario, aut octava aliqua die non impediatur. Si vero Dominicae omnes post dictam habeantur impeditae, transferatur de more in primam diem liberam iuxta Rubricam ».

Die 23 Aprilis 1895.

Decreta Generalia dierum 18 Septembris 1814 et 19 Augusti 1817, de quibus supra fit mentio, sunt tenoris sequentis ; videlicet :

URBIS ET ORBIS.

Cum in publicis Ecclesiae calamitatibus aucta plurimum fuerit devotio erga BEATISSIMAM VIRGINEM, iuxta Simeonis prophetiam, in anima gladio transfixam, cuius com-

memoratio fit dumtaxat Feria VI post Dominicam Passionis, dum Ecclesia ob sublimia Redemptionis mysteria, quae eo tempore celebrantur, in tristitia versatur et luctu; cumque propterea Apostolica Sedes iampridem indulserit, ut in Ordine Servorum B. MARIAE VIRGINIS iterato idem Festum solemniter perageretur in Dominica III Septembris, quod postmodum extendit ad plurimas Provincias et Dioeceses; hinc Sanctissimus Dominus Noster PIUS VII Pont. Max. pia devotione motus erga BEATISSIMAM VIRGINEM MARIAM dolore transfixam, accedentibus etiam precibus Serenissimi Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis, ac voto Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia uti Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, suae vocis oraculo in audientia Sub-Promotori Fidei sub hac die benigne impertita, praecepit ut in posterum in universa Ecclesia ubique terrarum quotannis, recurrente Dominica III Septembris celebretur Festum DOLORUM B. M. V., extendendo ad omnes tam Seculares quam Regulares, qui ad Horas Canonicas tenentur, Officium et Missam iam concessas Ordini Servorum eiusdem B. M. V. sub ritu dupl. mai. Sed quoniam in ea Dominica III Septembris aliquando occurrit Octava Nativitatis B. M. V. aut Festum S. Matthaei Apostoli; alterutro adveniente casu, mandavit ut Festum Dolorum transferatur in primam ex sequentibus Dominicis, quae non sit impedita iuxta Rubricas: firma nihilominus remanente eiusdem Festi commemoratione, quae fit in Feria VI post Dominicam Passionis.

Die 18 Septembris 1814.

URBIS ET ORBIS.

Studio pietatis incensus in BEATISSIMAM VIRGINEM Doloris gladio transfixam Sanctissimus Dominus Noster PIUS SEPTIMUS Pontifex Maximus, iam inde ab anno 1814 die 18 Septembris benigne praeceperat Festum ipsius tertia Dominica Septembris in universo Catholico Orbe celebrari, prout Ordini Servorum Mariae et quibusdam aliis Locis iampridem concessum fuerat: quoties vero in ea Dominica incideret vel dies octava Nativitatis eiusdem B. V., in qua Festum habetur Sanctissimi ipsius Nominis, vel Festum S. Matthaei Apostoli, quae duo dumtaxat in Calendario Ecclesiae universae eo die impedimento esse possent; decrevit ut ipsum Dolorum Festum in aliam proximiorem Dominicam transferretur non impeditam iuxta Rubricas. Cum autem peculiaria quaedam Festa Dioecesium ac Locorum facile possint quandoque in eadem tertia Dominica Septembris occurrere, vel in proximiori, ad quam Festum Dolorum transferendum foret, nonnulla proposita sunt dubia; nimirum:

I. An simul occurrente Festo Dolorum cum die octava Patroni, Titularis aut Dedicationis Ecclesiae, quae, licet sit ritu dupl. min., ex Rubricarum tamen praescripto praevalet Festo etiam ritus dupl. mai., fieri debeat de eodem Festò Dolorum; vel potius de octava?

II. In casu translationis, si in sequentibus Dominicis, in quarum altera reponendum esset Festum Dolorum, occurrat aliud Festum B. V. M., vel de Mercede, vel Puritatis, vel Maternitatis etc. sub eodem ritu dupl. mai., faciendumne erit de occurrente; an de translato?

III. Si omnes Dominicae usque ad Adventum fuerint impeditae, omittendumne erit eo anno Festum Dolorum; an potius transferendum iuxta Rubricas in primam diem non impeditam post Dominicam tertiam Septembris?

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER horum dubiorum examen commisit Rmo Domino S. R. C. Praefecto, Promotori Fidei, eiusdem S. Congregationi Assessori, eiusdemque Secretario: quamobrem, re mature discussa in conventu habito coram praefato Rmo Praefecto, responsum fuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

« Praeterea, ad amputandas quaestiones, quae ulterius ex non praevisis casibus oriri possent, si Sanctissimo videbitur, moderando Decretum 18 Septembris 1814, declaratum fuit per modum regulae generalis, quod, impedita Dominica tertia Septembris ob occursum Festi ritus dupl. 1 vel 2 classis, vel diei octavae Patroni, Titularis, Dedicationis etc., praefatum Festum Dolorum transferri debeat in proximiorem Dominicam, etiam si incidat cum Festo ritus dupl. min., dummodo non sit dies octava Patroni, Titularis, Dedicationis etc.; quae licet gaudeat ritu dupl. min., nihilominus cum transferri nequeat, ab hac regula excipitur, ut provisum est supra ad primum ».

Et facta per Secretarium relatione, Sanctissimus in omnibus benigne annuendo, praefatas responsiones et declarationes approbavit et confirmavit; et per Decretum Generale publicari mandavit.
Die 19 Augusti 1817.

3852. DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio, Rubricis Pontificalis Romani aliisque Decretis inhaerens, praecipit:

« Ut Episcopus incipiens Ecclesiae consecrationem ter eamdem circumeat, aspergendo interim forinsecus parietes. Si nihilominus ob aliquod loci impedimentum eiusmodi circuitio fieri nequeat, Episcopus se gerat meliori modo quo possit; nihil tamen de reliquis caeremoniis et ritibus praescriptis omittens ».

Atque ita servari mandavit.
Die 23 Aprilis 1895.

3853. DECRETUM.

Sacra Rituum Congregatio declarat:

« Festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta Rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu Sacra Rituum Congregatio iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas ».

Die 23 Aprilis 1895.

3854. DECRETUM

SUPER EXEQUIIS.

Sacra Rituum Congregatio, Ritualis Romani Rubricis pluribusque alias evulgatis Decretis inhaerens, declarat:

I. « Cadavera defunctorum associanda esse cum unica tantum Cruce, quae debet esse illius Ecclesiae ad quam corpus defuncti defertur: dummodo non interveniat Capitulum Ecclesiae Cathedralis, sub qua omnes incedere debent funus associantes ».

II. « Ius et onus inesse semper, etiam praesente Capitulo Cathedralis Ecclesiae, extra hanc tamen, Parocho induendi Stolam et officia omnia persolvendi super cadavere defuncti ad suam pertinentis Ecclesiam, usque dum e loco obitus ingressus fuerit Ecclesiam tumulantem: ad quam, per alias quoque Paroecias libere transeundo (recto tamen tramite, nisi aliud consuetudo ferat) cadaver deferendum est ».

III. « Eumdem Parochum primas habere super omnem Clerum; excepto (si interfuerit) Capitulo Cathedralis Ecclesiae, quod in associatione incedet post ipsum Parochum: excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu dignior Capituli Cathedralis incedat cum Stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat Parochus: et id ipsum servabitur, si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post Parochum incedat ».

IV. « Si defunctus in alia parochiali Ecclesia sit tumulandus, illius uni Ecclesiae Rectori, Stola pariter induto, ius et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere; aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem Parocho excepto, qui, cadavere ad Ecclesiae limen delato, recedat ».

V. « Haec autem omnia servanda Sacra Rituum Congregatio iubet pro quibuscumque Ecclesiis etiam Collegialibus, sive ad Secularem sive ad Regularem Clerum pertinentibus; quacumque in contrarium consuetudine minime obstante ».

Atque ita decrevit et servari mandavit.
Die 23 Aprilis 1895.

3855. MACAONEN.

R̃mus Dominus Ioachimus de Medeiros, Episcopus Macaonensis, Ditionis Lusitanae apud Sinas, maxime cupiens ut sacri ritus in sua Dioecesi iuxta ecclesiasticas praescriptiones ab omnibus serventur, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter petiit; nimirum:

Dubium I. Num Presbyter, qui Missam Conventualem de octava Omnium Sanctorum die 2 Novembris celebrat, possit ex parte uti concessione a Benedicto Papa XIV facta Regno Lusitaniae dicendi tres Missas pro defunctis, alias duas Missas de Requie celebrando?

Dubium II. Num occurrente prima Feria sexta Novembris, commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, liceat Missam votivam celebrare de Sanctissimo Corde Iesu iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis 28 Iunii 1889? Et quatenus Affirmative,

Dubium III. Num eadem die apud Lusitanos liceat celebranti praedictam Missam votivam, duas alias de *Requie* celebrare?

Dubium IV. Utrum Feria V in Coena Domini in Missa Pontificali Presbyter et Diaconi assistentes, Canonicus baculum sustinens (pluviali paratus) et Subdiaconus, si sint Presbyteri, Stolam assumere debeant priusquam de manu Episcopi Communionem accipiant; an potius ad Sacram Synaxim teneantur accedere iisdem tantummodo paramentis, quibus utebantur ab initio Missae?

Dubium V. Utrum Festum SS. Cordis Iesu quod inter Festa secundaria duplicia primae classis in Calendario universali ex Decreto 22 Augusti 1893 a Sacra Rituum Congregatione recensetur, quodque iamdiu apud Lusitanos ut Primarium celebratur sub praecepto in utroque foro, addito etiam ieiunio pervigilii, nunc vi laudati Decreti celebrari debeat ut secundarium; an potius ut primarium in Lusitana Ditione retinendum sit?

Dubium VI. Num consuetudo, qua simplex Sacerdos vel Canonicus Missam solemnem celebrans concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicit, servari possit?

Dubium VII. Utrum Sacerdos qui Festo Nativitatis Domini, vel die secunda Novembris in Lusitania, tres Missas consecutive legit, quin ab Altari recedat, teneatur post unamquamque Missam recitare ter *Ave Maria, Salve Regina* et ceteras Orationes iussu Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII recitandas post Missam privatam; an potius semel tantum post tertiam Missam?

Dubium VIII. Num in Choro ad Psalmum *Venite exultemus*, recitandum in III Nocturno Festi Epiphaniae Domini teneantur omnes, etiam Canonici, stare detectis capitibus, dum praedictus Psalmus cum Antiphona recitatur?

Dubium IX. Num occurrente Festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis Feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto, in locis ubi hoc Festum celebratur sub praecepto audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, transferri debeat ad Feriam secundam post Dominicam in Albis cum praecepto etiam pro populo?

Dubium X. Num Feria VI in Parasceve retineri possit consuetudo in adoratione Crucis, ut ille, qui adorationem peregit, non recedat facta Cruci genuflexione unico genu, sed ter genuflexionem faciendo utroque genu?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente eiusdem Congregationis Secretario, omnibus accurate perpensis, propositis dubiis respondere censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative; iuxta Rubricas ».

Ad III. « Provisum in praecedenti ».

Ad IV. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam ».

Ad V. « Attento speciali privilegio, Festum SS. Cordis Iesu in Regno Lusitaniae est *per accidens* Primarium ».

Ad VI. « Affirmative; iuxta Decreta alias edita ».

Ad VII. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; scilicet: preces praescriptae recitentur tantum in fine ultimae Missae ».

Ad VIII. « Servetur consuetudo ».

Ad IX. « Affirmative; et dentur Decreta Generalia sub diebus 12 Februarii 1690 et 23 Aprilis currentis anni 1895 ».

Ad X. « Post adorationem et osculum sanctae Crucis Celebrans, Ministri, Clerus et populus surgant, genuflectant unico genu et redeant ad propriam sedem ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 10 Maii 1895.

3856. URGELLEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis, de sui R̃mi Episcopi mandato, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humiliter proposuit; nimirum:

I. Quum in Cathedrali Urgellensi non vigeat consuetudo recitandi Officium Defunctorum, diebus a Rubricis designatis; quaeritur: An ibidem adsit obligatio celebrandi Missam pro Defunctis ad tramitem Rubricarum Missalis Romani Tit. V. n. 1?

II. Die prima Octobris celebratur in Hispania Festum Sancti Angeli Custodis sub ritu duplici secundae classis. Iamvero in variis codicibus ponitur ad Vesperas et ad Matutinum Hymnus *Tibi Christe*, desumptus ex Festo Sancti Raphaelis Archangeli, mutata secunda stropha hoc modo:

« Te laudamus venerantes
Omnes coeli principes
Sed praecipue Custodem
Huius regni et populi
Qui, te iubente, a malis
Nos tuetur omnibus; »

In aliis autem codicibus notatur Hymnus: *Custodes hominum.*

Item in nonnullis codicibus assignantur secundae Vesperae Sancti Angeli Regni, sine commemoratione Festi sequentis, nempe Ss. Angelorum Custodum; in codice autem Ratisbonensi et in aliis ponitur commemoratio sequentis. Itaque ad omne discrimen tollendum quaeritur:

1°. An dicendus sit ad Vesperas et Matutinum Hymnus *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, ut supra?

2°. An in secundis Vesperis, prouti in casu, facienda sit commemoratio sequentis?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Quoad primam partem: Legendum esse Hymnum *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, ut sequitur:

« Collaudamus venerantes
Omnes coeli milites
Sed praecipue Custodem
Huius regni et populi,
Qui, Te iubente, a malis
Nos tuetur omnibus ».

Quoad secundam partem: Faciendam esse in II Vesperis Commemorationem Ss. Angelorum Custodum ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Maii 1895.

3857 LETTERA

della sacra Congregazione dei Riti intorno alla celebrazione del decimonono Centenario della Redenzione.

All'Illustrissimo Sig. Conte Giovanni Acquaderni. Bologna.

Illmo Signore.

Per ordine della Santità di Nostro Signore, la Sacra Congregazione de' Riti nella sua adunanza tenuta in Vaticano il 7 corrente, ha preso ad esame, insieme con la Lettera diretta da V. S. all'Emo Cardinale Segretario di Stato il 24 p. p. marzo, l'unitovi Programma per la celebrazione del XIX Centenario della Redenzione, il quale secondo il computo volgare, ricorrerebbe nel 1900.

È cosa del tutto lodevole e meritoria il trarre argomento da ogni occasione per ridestare la pietà ne' Fedeli e per ravvivarne la devozione alla Sede Apostolica; il che certamente si volle dai promotori dell'ideata Festa e dagli Autori del Programma. Ma pur ciò riconoscendo, la Sacra Congregazione dovette incontanente avvedersi come fosse affatto nuovo, inopportuno ed anche poco conveniente lo appropriare

LITTERAE

SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS

Ad Illustrissimum Comitem Ioannem Acquaderni. Bononiam.

De centenaria solemnitate celebranda redemptionis humanae.

Illme Domine.

Iussu SSmi Domini nostri Papae, Patrum Congregatio Sacris Ritibus tuendis praeposita, in conventu die 7 huius eiusdem mensis in Aedibus Vaticanis habito, tum Literas Emo Cardinali, Pontificis primo Scribae ad extranea, die 24 Martii proxime elapsi a te datas, tum etiam his adnexum Programma de celebranda novies decies centenaria Redemptionis nostrae solemnitate, quae iuxta vulgarem computationem seculo millesimo nongentesimo contingeret, diligenter expendenda suscepit.

Profecto laude et praemio apud Deum digna res est, ex qualibet temporum occasione ad excitandam Fidelium pietatem in Deum devotionemque inflammandam erga hanc Apostolicam Sedem argumentum arripere; quod procul dubio excogitatae solemnitatis Promotores et programmatis Auctores animo intendisse dicendi sunt. At vero et id probe agnoscens S. Congregatio, illico tamen animadvertit, omnino novum et

l'uso, oramai invalso e tanto frequentemente adoperato, delle Feste secolari ai principali Misteri della nostra Santa Religione. Non può nè deve per fermo supporsi che sia mestieri di ravvivare la memoria di essi dopo trascorsi 25, 50 o 100 anni.

inopportunum, imo etiam parum conveniens esse, morem qui iam ubique obtinuit, atque adeo frequenter exercetur, solemnitates seculares celebrandi, praecipuis Religionis nostrae Mysteriis aptare. Prorsus existimari nec potest, nec debet, quod elapsis viginti quinque, quinquaginta, aut centum annis, illorum memoriam denuo excitare opus sit.

Chi vuol considerarli al modo delle particolari Festività è tratto, mal suo grado, a far proposte non dissimili da quella che leggesi nel Programma, di erigere, cioè, per ricordo della celebrata secolare solennità un *Altare alla Redenzione,* come se in tutti gli Altari delle nostre Chiese non si adorasse il Crocefisso, che è il segno più visibile dell'umano riscatto, e in tutte le nostre preci non s'invocasse, quale intercessore presso l'Eterno Padre, il Divino Redentore.

Qui haec Mysteria instar peculiarium solemnitatum habere et considerare velit, is ad proponendum consilium vel invitus trahitur, haud dissimile illi quod in Programmate proponitur, erigendi videlicet in perennem huius celebratae solemnitatis memoriam Redemptionis Sanctae Altare perpetuum ; quasi vero in quolibet nostrorum templorum Altari Christus Cruci affixus, quod est omnium maxime visibile humanae Redemptionis signum, non adoretur ; atque in omnibus nostris precibus non invocetur uti apud Deum Patrem intercessor idem noster Redemptor Christus.

A tutto ciò, senza dubbio, non pose mente chi ideò e promosse la centenaria commemorazione ; e neppure ricordò la decisione emessa il 31 Maggio 1884 dalla medesima S. C. dei Riti, in risposta alla domanda di molti illustri Personaggi Ecclesiastici e Laici, che si proponevano di celebrare il centenario della Natività di Maria SSm̃a. Questa decisione fu notificata all'Em̃o Cardinal Haynald con Lettera del 1 Giugno, pubblicata poco dopo da' giornali cattolici.

Id profecto non advertit qui centenariam istam commemorationem excogitavit atque promovit, nec illi in mentem subiit decisio, ab eadem Sacrorum Rituum Congregatione die 31 Maii anno 1884 edita, qua postulationi plerorumque praeclarissimorum virorum, tum ex ecclesiasticis, tum vero etiam ex laicis, respondebat ; qui quidem sibi animo proposuerant centenariam commemorationem Nativitatis Mariae Virginis celebrare (1). Huiusmodi decisio Em̃o Cardinali Haynald per literas datas die 1 Iunii exhibita fuit, ac paulo post ab Ephemeridibus catholicis publicata.

Nel foglio qui annesso V. S. ne troverà la parte che con tanta maggior ragione deve appropriarsi alla domanda ora presentata, la quale non poteva quindi ricevere una risposta diversa da quella data allora, cioè *non expedire.*

In folio hic adnexo partem reperies, Illm̃e Domine, quae potiori admodum iure postulationi per te nuper admotae aptanda est, quae proinde non aliud quam illa responsum expectare poterat, videlicet *non expedire.*

(1) *En lacinia litterarum, quae citantur:*

Consuetudinem autem, quae invaluit, celebrandi sacras centenarias commemorationes, rei praesenti minus congruere deprehensum fuit. Quandoquidem, uti iidem centenarii fautores testantur, expetitum Festum prima vice hoc decimonono seculo foret inducendum, veluti quid novum in Dei Ecclesia, et cunctis retroactis seculis ne cogitatum quidem ab eximia maiorum erga inclytam Dei Genitricem pietate et devotione, aut certe illis inusitatum. Profecto satis congrua theologica atque liturgica ratione inolevisse censendum est, ut secularia solemnia, quae aliis Sanctis cum Christo regnantibus non denegantur, ea de praecipuis sacratissimis Beatae Virginis vitae actis et mysteriis; scilicet de Nativitate, de Annuntiatione, de Assumptione, ac porro de ceteris, non celebrentur. Nam eminentiori veneratione supra ceteros Sanctos colit Ecclesia Coeli Reginam et Dominam Angelorum, cui *in quantum ipsa est Mater Dei... debetur... non qualiscumque dulia, sed hyperdulia* (*S. Thom. 3 part. quaest. 25, art. 5*). Ideoque plusquam centenaria solemni commemoratione, eadem semper cultus praestantia, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes eius mysteriorum solemnitates; cum de cetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus.

Haec pauca, vel leviter tantum adumbrata, satis ostendunt prudentiam Sacrae Congregationis, quae proposito dubio: « An recoli expediat anno proximo 1885 in toto Orbe centenaria commemoratio Nativitatis Beatae Mariae Virginis? » mature expensis omnibus, unanimi suffragio respondit: *non expedire*

Avendo eseguito, nel parteciparle la risoluzione della S. Congregazione, i voleri di Sua Santità, mi è grato ripeterle i sentimenti della mia perfetta stima.

Roma 14 Maggio 1895.

Di V. S.

G. Card. ALOISI-MASELLA,
PREFETTO della S. C. dei Riti.

Dum hanc tibi S. Congregationis Decisionem, SSmi Patris voluntati morem gerens, notam facio, meae erga te amplissimae observantiae testimonium mihi pergratum est tibi etiam atque etiam exhibere.

Romae die 14 Maii 1895.

Tibi addictissimus servus

C. Card. ALOISI-MASELLA,
S. R. C. PRAEFECTUS.

3858. VICARIATUS APOSTOLICI SCINSI MERIDIONALIS.

Rmus P. G. Hofman, Vicarius Apostolicus Scinsi Meridionalis, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione flagitavit; nimirum:

DUBIUM I. Quum in hoc Vicariatu Missionarii diebus Dominicis et Festivis, propter defectum cantorum, Missam tantummodo legant; quaeritur:

1°. Anne haec Missa aequiparari possit Missae parochiali, ita ut simplex Sacerdos in hac Missa quatuor lumina et binos ministros adhibere possit?

2°. Anne preces iussu SSmi Domini nostri Leonis Papae XIII dicendae post Missam privatam, etiam post hanc Missam recitari debeant?

DUBIUM II. Quum idem Vicarius Apostolicus eiusque Missionarii, utpote Alumni Ordinis Fratrum Minorum, ex indulto Apostolico singulis Sabbatis non impeditis Missam de Immaculata Conceptione legant; quaeritur: Anne, quoties Vigilia sive Immaculatae Conceptionis sive Assumptionis B. M. V. incidat in diem Sabbatum, Missa sit legenda de respectiva Vigilia; vel de Immaculata Conceptione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, rescribendum censuit; videlicet:

Ad Dubium I. — Ad 1°. « Affirmative ».

Ad 2°. « Affirmative, quando Missa non celebratur immediate post Divini Officii recitationem ».

Ad Dubium II. « Legenda est Missa de Vigilia; ad tramitem Decreti Ariminen. 22 Iulii 1848 ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 24 Maii 1895.

3859. DECRETUM.

A Rmis locorum Ordinariis non semel postremis hisce annis exquisitum fuit, utrum in Ecclesiis adhiberi liceret lucem electricam, tam ad dissipandas tenebras, quam ad pompam exteriorem augendam. Nuper vero Sacrorum Rituum Congregationis resolutioni propositum fuit dubium:

Utrum lux electrica adhiberi possit in Ecclesiis?

Quare Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum infrascripta die habitis, rescribendum censuerunt:

« Ad cultum, Negative; Ad depellendas autem tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas, Affirmative; cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatralem ».

Atque ita rescripserunt et servari mandarunt.

Die 4 Iunii 1895.

3860. VELITERNEN.

Cathedralis Basilicae Veliternae Caeremoniarum Praefectus, qui iuxta Constitutiones Capitulares curare debet, ut omnia quae ad Caeremonias attinent rite ac recte ab omnibus peragantur, Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione ea, quae sequuntur, humillime exposuit; nimirum:

I In Choro diebus Festis adsunt, praeter Canonicos, Beneficiati et Ven. Seminarii Alumni. In Missa solemni ad *Credo,* omnes Symbolum recitant cum celebrante; simul-

que ad verba *Et incarnatus est* genuflectunt. Absoluta recitatione, omnes sedent. Cum deinde cantatur praedictus versiculus *Et incarnatus est,* Beneficiati et Seminarii Alumni sedentes non faciunt ad eadem verba alteram genuflexionem. Et haec praxis duobus adhinc annis obtinet, vi resolutionis sumptae in Collatione Casuum moralium et liturgicorum, habita die 20 mensis Iulii anni 1893, praeside R̃mo Domino Episcopo Suffraganeo et Vicario Generali, adstantibus Canonicis, Beneficiatis et Seminarii Alumnis, qui disciplinis Theologicis vacant. Inde postulavit:

An servari possit huiusmodi praxis non genuflectendi prout in casu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit:

« Affirmative, iuxta Decretum in Maioricen. 13 Februarii ad secundum; et praxim Basilicarum Urbis ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Iunii 1895.

3861. ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE HOLLANDICAE.

R. P. Albertus a Drunen, Minister Provincialis Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandicae, humiliter Sacram Rituum Congregationem supplicavit pro declaratione infra scriptorum dubiorum; videlicet:

Dubium I. Regulares, qui Calendarium proprium habent et iam celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis, altenenturne celebrare in Regione Hollandica sub ritu Duplici primae classis cum octava Dedicationem Omnium Ecclesiarum Regni, Dominica immediate sequenti octavam Festivitatis Omnium Sanctorum, uti in Gallia et Belgio; vel potius Dedicationem Omnium Ecclesiarum respectivae Dioeceseos, ubi haec Dedicatio alia die, qua recurrit Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, celebratur?

Dubium II. Ex antiquissima consuetudine et ex Apostolicis indultis, prouti etiam ex antiquis et recentioribus Breviariis Ordinis Capuccinorum constat, Fratres Minores eiusdem Ordinis, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, diebus non impeditis, recitant sub ritu semiduplici Officia votiva Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis, et S. Francisci et S. Clarae Assisiensis semel in mense. Nunc quaeritur: Anne huiusmodi privilegium extendatur, sive ad Ferias temporis Passionis et ad Ferias Adventus quae a die 17 usque ad 24 Decembris decurrunt, sive ad Vigilias et ad Quatuor Tempora, quocumque anni tempore occurrentia?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Regulares, in casu, tantummodo celebrent Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, die statuta; et Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si degunt in Civitate Episcopali, sub ritu Duplici secundae classis sine octava ».

Ad II. « Negative in omnibus ».

Et ita declaravit.

Die 22 Iunii 1895.

3862. DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Quod Benedictus XIV diserte docet (Op. de Beat. et Can. Lib. IV, part. II, C. II, n. 5), Missas nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Secularibus sive Regularibus celebrari non posse; Sacrorum Rituum Congregatio iampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus seu Generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium Ecclesias, die pro Festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut Summi Pontifices, in ipso Beatificationis Brevi, indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in praefatis Ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium iudicatum est, cum novae pluresque Missae iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus Ecclesiis, quum Sanctorum, tum Beatorum indultae sint; ne videlicet latae super celebratione Missarum leges aut confusionem aut facilem transgressionem paterentur; nisi et

forte earumdem observantia fere impossibilis fieret.

Quae quidem omnia cum pluries, ac praesertim in una *Romana Dubiorum,* in conventu habito die 23 Augusti 1890, perpensa fuissent; Sacra Rituum Congregatio, dilata resolutione, decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certae normae hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

Omnes et singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani vel S. R. C. Decreta prohibent.

Die 9 Iulii 1895.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 9 mensis Decembris eodem anno.

3863. DECRETUM GENERALE

Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae.

Cum, haud obstantibus Decretis pluribus dudum a S. R. C. emanatis, nondum satis constet apud interpretes quid iuris habeatur circa celebrationem trium Festorum, quae in locis solemniora sunt iuxta Rubricas; eadem S. R. C., praeterita cuncta Decreta hac super materia hucusque vulgata renovans et declarans, decernit:

I. « Festum praecipui Patroni loci vel Dioecesis, si particularis non habeatur, celebrandum esse ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu Duplici primae classis a Seculari cum octava, a Regulari vero sine octava. Quod si plures habeantur in loco Patroni aeque principales, ad singula eorumdem Festa, praefato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur: si vero de eodem Patrono plura sint Festa in loco instituta, unum tantum solemnius, id est natalitium, dicti Regulares recolent, nisi sub utroque praecepto sint observanda; tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur ».

II. « Eodem ritu Duplici primae classis cum octava celebrari debet Festum solemnius Titularis Ecclesiae ab iis omnibus e Clero, quibus eadem Ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis: adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam Titulus Cathedralis Ecclesiae ab universo Clero totius Dioecesis, sine octava tamen a Regulari ».

III. « Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae eodem sub ritu ab omni Clero recolatur, qui ad eamdem Ecclesiam, uti superius dictum est, utpote propriam pertinet. Quod si alicui Dioecesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt sub ritu Duplici primae classis cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cuiuscumque particularis alterius Ecclesiae Dedicationis Festo omisso ».

IV. « Ad Anniversarium autem quod spectat Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, S. R. C. iubet, ut illud celebretur ab universo Clero Seculari Dioecesis sub ritu Duplici primae classis, in Civitate episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem Festum recolent ii tantum ex Clero Regulari, qui in Civitate degunt episcopali, sub ritu Duplici secundae classis sine octava ».

Atque ita servari mandavit.

Die 9 Iulii 1895.

3864. DECRETUM GENERALE

COMMEMORATIONIS OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit:

I, « Matutinum Defunctorum die 2 Novembris iuxta Rubricas recitandum, non so-

lum privatim, sed etiam publice in Choro, anticipari posse die 1 eiusdem mensis post Completorium, in omnibus tam Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesiis, sive praesens sit sive absens Episcopus, prout Caeremoniale Episcoporum innuit (Lib. II, cap. X, n. 1) ».

II. « Quod si die 2 Novembris occurrat dies Dominica, vel alicubi Festum aliquod cum feriatione celebrandum, aut Duplex primae classis, quamvis sine feriatione, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum transferatur in sequentem diem tertiam eiusdem mensis, similiter non impeditam: cuius pridie Matutini recitationem pariter ut supra anticipari Sacra Rituum Congregatio indulget ».

III. « Si vero in aliqua Ecclesia die 3 Novembris, in quam transferenda sit eadem Defunctorum Commemoratio, Festum duplex 2 classis occurrat, hoc Festum transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas. De die vero octava, aut de Festo duplici maiori, minori vel semiduplici occurrentibus, sicut de alio Festo translato, cui in Calendario locus pro eo anno non suppetat, in praefata Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum Officium fiat; sed Missae omnes, sola ubi dicenda est Conventuali excepta, sint de requie ».

IV. « Si autem in solemni hac Defunctorum Commemoratione Expositio SS. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquae sint pro Defunctis, ad Altare expositionis non dicantur et celebrentur in colore violaceo ».

V. « Denique si in eamdem diem incidat alicuius obitus vel depositio, Missa exequialis pro defuncto cantetur, altera tamen non omissa pro omnibus Defunctis iuxta Rubricas; reliquae vero dicantur ut in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ».

Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 9 Iulii 1895.

3865. DECRETUM

FUNCTIONUM EPISCOPALIUM.

Super functionibus, quae ad Episcopum lege vel consuetudine pertinent, in Cathedrali Ecclesia, ipso absente, peragendis, Sacra Rituum Congregatio quamplurima Decreta iam pridem edidit: nunc vero, haec eadem per summa capita resumens, sequentia statuere ac declarare decrevit:

I. – 1. « Missas solemnes, Processiones, divina Officia aliasque similes functiones, quas in Ecclesia Cathedrali faceret Episcopus, si praesens esset, quaeque ad ipsum pertinent; Episcopo impedito, absente vel defuncto, ad Dignitates et Canonicos eiusdem Ecclesiae pertinere successive et non alternatim, id est: prima Dignitas, cuiuscumque sit nominis, Sacrum celebret vel Officium agat, quod Episcopus praesens egisset; et ea impedita vel absente, succedat secunda Dignitas; et secunda impedita, tertia; et omnibus Dignitatibus impeditis vel absentibus, primus Canonicorum id exsequatur; et sic per ordinem successive ».

2. « Nec referre an Dignitates annexam habeant, necne, curam animarum, aut praebendam canonicalem, dummodo praecedentia gaudeant in Choro ».

3. « Easdem functiones ad Archidiaconum super ceteros pertinere, si sit ipse prima Dignitas, dummodo sacerdotali Ordine sit insignitus ».

4. « Neque officere praefato primae Dignitatis iuri pactum contrarium inter partes conventum, etiam ab Episcopo approbatum ».

5. « Neque obstare consuetudinem contrariam qualemcumque ».

6. « Neque ipsum Episcopum et multo minus primam Dignitatem pro suo arbitrio praefata munia aliis demandare posse, quam dignioribus ordine successivo ».

7. « Attamen consuetudinem, si adsit, servandam esse, ut, prima Dignitate impedita, ceterae Dignitates vel Canonici per vices Officia praedicta celebrent, vel etiam Canonicus Hebdomadarius, maxime ubi unica tantum sit Dignitas; quum non eadem praerogativa sit Praelati inferioris atque Episcopi, neque ipsi propterea eodem sint iure censendi ».

8. « Functiones vero praefatas ad Vicarium Generalem, vel Capitularem, qua talem, nullimode pertinere: non obstantibus consuetudine, etiam immemoriali, quae potius dicenda est abusus, neque ipsius Episcopi decreto, nec dispositione contraria facta in Synodo; atque etiamsi Vicarius sit de gremio, nisi huiusmodi functiones sibi pro sua vice et loco, qua Dignitati seu Canonico competant ».

II. « Omnia vero supradicta in Ecclesiis etiam Collegiatis debita proportione ser-

vanda esse: ita quidem ut impedita vel absente prima vel unica Dignitate, Officium ad Canonicum seniorem, non ad Hebdomadarium iure pertineat, nisi consuetudo contraria, uti supra, allegari queat: nunquam vero ad Parochum deputatum vel substitutum ».

III. « Functiones vero Episcopales, modo ut supra, Dignioribus, absente Episcopo, committendas, eas esse quas Episcopus in Cathedrali, si praesens esset, ipse perageret ac celebraret: ut sunt, praeter Officia et Missas pontificaliter ab Episcopo celebrari solitas iuxta Caeremoniale Episcop. Lib. II, Cap. I et XXXIV, Processio SSmi Sacramenti, sive in huius solemnitate vel octava, sive in Oratione XL Horarum; Benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis (dummodo eadem Dignitas solemnem Missam agat), Ablutio pedum Feria V in Coena Domini, Absolutio super Defunctis in Commemoratione Omnium Defunctorum, et alia huiusmodi, tum ex communi iure, tum ex cuiuslibet Ecclesiae consuetudine ».

Haec omnia Sacra Rituum Congregatio servari mandavit, non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Iulii 1895.

3866. DUBIORUM.

Sequentia duo dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi proposita fuerunt; videlicet:

DUBIUM I. Num Canonici, qui in Missa solemni Diaconi et Subdiaconi munere funguntur, adiuvare debeant Celebrantem, dum sacras vestes induit?

DUBIUM II. Quonam in casu die 30 Decembris reponi possit Officium aliquod translatum?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae et re mature perpensa, ita rescribere rata est:

Ad I. « Affirmative; nisi contraria vigeat consuetudo ».

Ad II. « Tunc tantum, quando die 30 Decembris fieri deberet Officium de die infra octavam Nativitatis Domini ».

Atque ita respondit ac declaravit.

Die 9 Iulii 1895.

3867. RHEMEN.

Sacerdos, qui Dioecesi Rhemensi Ordinem Divini Officii rite celebrandi ad usum Cleri eiusdem Dioecesis annuatim edit, dubia sequentia Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit eorumque solutionem postulavit; nimirum:

DUBIUM I. Utrum in concurrentia Officii Votivi Immaculatae Conceptionis B. M. V. aut Festi secundarii ex. gr. Inventionis S. Stephani Protomartyris cum Dominica sequenti, dividantur Vesperae a Capitulo; vel potius sint integrae de Dominica sequenti cum commemoratione praecedentis?

DUBIUM II. An in Festo Pentecostes discooperiendum et inclinandum sit caput in Choro, quum pronuntiantur verba *Spiritus Sancti?*

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad II. « Negative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 19 Iulii 1895.

3868. PLACENTINA IN HISPANIA.

Iosephus, Magister Scholarum Ecclesiae Cathedralis Placentinae in Hispania, iussit ex tela subtilissima, vulgo *Nipis,* nitiditate tenacitateque linum aemulante et aequante (quamvis colore plerumque inferior sit lino accuratissime dealbato), Albas confici. Attente tamen inspecto huius Sacrae Rituum Congregationis Decreto Generali diei 15 Maii 1819, non est ausus eis uti, quia ex lino vel cannabe non essent confectae. Cum vero dicta tela longe pretiosior sit lino, nec materia, ex qua conficitur, ex arboris fructibus, sicut gossypium, proveniat, sed ex ipsius plantae filis, ut linum; et aliunde in laudato huius Congregationis Decreto expresse prohibeatur tantummodo ex gossypio componi; dubitans, num ei liceat praedictis Albis uti, Sacrorum Rituum Congregationi humiliter subiecit sequentium dubiorum solutionem; nimirum:

DUBIUM I. Num ex tela sive panno, vulgo *Nipis,* possint confici Corporalia, Pallae, aut saltem Albae, Amictus et Mappae? Et quatenus Negative,

DUBIUM II. Num uti liceat iis confectis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito etiam voto alterius e scientiarum naturalium peritis, reque mature perpensa, in

Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, rescribendum censuit :

Ad I. « Negative, ad utramque partem ».

Ad II. « Affirmative, tantum quoad Albas, Amictus et Mappas, usquedum consumentur ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 13 Augusti 1895.

3869. COLONIEN.

Rm̃us Vicarius Generalis Archidioecesis Coloniensis, ex parte Monialium S. Benedicti de perpetua Adoratione SSm̃i Sacramenti, in Claustro Beatae Mariae Virginis sub titulo Auxilii Christianorum in Endewich prope Boon (in Borussia Rhenana) degentium, sequentia exponit; videlicet :

A Sacra Rituum Congregatione supradictis Monialibus anno 1845 concessum et postea anno 1872 confirmatum et demum anno 1875 indultum fuit Officium Votivum SSm̃i Sacramenti recitandum sub ritu duplici minori qualibet Feria V (itemque Officium Votivum Reparationis iniuriarum SSm̃o Sacramento illatarum, qualibet prima Feria V cuiuscumque mensis); non occurrente infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Pentecostes; neque in Vigiliis Nativitatis et Epiphaniae Domini; neque in quibusvis duplicibus I aut II classis, eorumque die octava; neque in duplicibus maioribus.

Quaeritur : An Moniales praedictae possint gaudere privilegiis obtentis circa Officia Votiva SSm̃i Sacramenti et Reparationis iniuriarum SSm̃o Sacramento illatarum, etiam post Decretum Generale de Festis Primariis et Secundariis, editum die 27 Iunii 1893, confirmatum a SSm̃o Domino nostro Leone Papa XIII die 2 Iulii eodem anno?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re diligenter perpensa, respondendum censuit?

« Affirmative ». Et ita declaravit. Die 23 Augusti 1895.

3870. LINGONEN.

Rm̃us Dominus Alfonsus Martinus Larue Episcopus Lingonensis humiliter petiit, ut Sacra Rituum Congregatio sequens dubium enodare dignaretur; nimirum :

Anne Officia votiva concurrentia cum aliquo Festo primario eiusdem ritus, et viceversa, dimidient Vesperas?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, reque rite perpensa, respondendum censuit;

« Totum de Festo primario, cum commemoratione Officii votivi ». Et ita rescripsit ac declaravit.

Die 23 Augusti 1895.

3871. GENEVEN.

Rev. Dominus Iosephus Broquet, Vicarius Generalis Dioeceseos Geneven., a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentis dubii solutionem; nimirum :

Utrum occurrentibus secundis Vesperis Officii votivi de Beata Maria Virgine Immaculata cum primis Vesperis Dominicae sequentis, Vesperae fieri debeant a Capitulo de Dominica; vel potius recitandi sint Psalmi de Sabbato?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris atque re rite perpensa, rescribendum censuit :

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita respondit. Die 3 Septembris 1895.

3872. ACERRARUM.

Sacerdos Franciscus Piscitelli Ordinator Calendarii in usum Cleri Dioeceseos Acerrarum, de mandato Rm̃i Domini Ordinarii, insequentium dubiorum declarationem a Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit; nimirum :

Quum ex Decretis Sacrae Rituum Congregationis alias editis de Titulari Ecclesiae, sive consecratae sive tantum benedictae, fieri debeat Officium sub ritu duplici I classis cum octava; quaeritur :

Dubium I. Unde sumendum Officium in Festo S. Felicis Presbyteri Martyris Nolani, quod solemniter celebratur die 14 Ianuarii in sua Ecclesia Titulari; et quid agendum die octava?

Dubium II. An et quomodo transferendum sit Festum SSm̃i Nominis Iesu, quando occurrit cum supradicto Festo Titularis Ecclesiae in Dominica II post Epiphaniam?

Dubium III. In Ecclesia ubi S. Agnes Virgo et Martyr est Titularis, quodnam Of-

ficium erit recitandum die octava, occurrente ea die pro Dioecesi Festo S. Iuliani Episc. Conf. sub ritu semiduplici cum commemoratione S. Agnetis secundo?

Dubium IV. Ubi S. Petrus Apostolus est Titularis, fierine potest Officium cum octava prout reperitur in Breviario Romano a die 29 Iunii ad 6 Iulii?

Dubium V. Festum Titulare Beatae Mariae Virginis Gratiarum quod celebratur die 2 Iulii, estne idem ac Festum Visitationis ipsius Deiparae? Et in casu affirmativo: Quonam Officio per octavam et die octava donatur?

Dubium VI. An Officium octavae S. Marci Evangelistae, in Ecclesia quae hoc titulo decoratur, desumi valeat ex Proprio Basilicae S. Marci de Urbe?

Dubium VII. An ubi concessum est semel in mense Officium Votivum de S. Ianuario Episc. Mart., possit huiusmodi privilegium adhiberi mense Septembri, quum die 19 fiat Festum de eodem Sancto sub ritu duplici primae classis cum octava?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ad proposita dubia rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Officium de S. Felice Presb. Mart. Nolano cum octava desumi poterit (ex speciali indulto) e Proprio Civitatis et Dioeceseos Nolanae ».

Ad II. « Festum SSmi Nominis Iesu, in casu, transferatur ad diem 28 Ianuarii, nisi occurrat Festum altioris ritus, vel aequalis sed primarium; quo in casu praedictum Festum transferatur ad primam diem liberam non impeditam iuxta Rubricas ».

Ad III. « Translato in perpetuum Festo S. Iuliani Episc. Conf. ad primam diem liberam, die 28 Ianuarii fiat Officium de die octava S. Agnetis, iuxta Rubricas: quod ex indulto poterit esse Officium Sacrosanctae Basilicae Lateranensi concessum ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Affirmative, in casu, quoad primam partem; quoad secundam vero, depromi poterit huiusmodi Officium ex Octavario Romano ».

Ad VI. « Affirmative, ex gratia; dummodo ex eadem Ecclesia sumatur Officium diei Festi ».

Ad VII. « Affirmative, quum in Rescripto concessionis non fiat exceptio ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 6 Septembris 1895.

3873. SANCTI IACOBI DE CILE.

Marianus Casanova Archiepiscopus S. Iacobi de Cile Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit per Decretum ab Ipsa editum die 16 Martii 1861, plures usus, ritualibus Ecclesiae legibus adversos, praetextu longaevae consuetudinis retentos, e sua Archidioecesi ac praesertim ab Ecclesia Metropolitana fuisse sublatos. Quum tamen ad Rmum Capitulum Metropolitanum unus Archiepiscopus et duo Episcopi Titulares pertineant; aliquando dubia exoriuntur circa eorum iura ac privilegia. Hinc idem obsequentissimus Archiepiscopus ab eadem Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem efflagitavit; nimirum:

Dubium I. Anne Archiepiscopi uti possint chirothecis quum ad Ecclesiam accedunt vel ab ea recedunt, ante et post Missam pontificalem?

Dubium II. Anne Archiepiscopus Missam celebraturus supra planetam gestare queat Crucem pectoralem?

Dubium III. Anne in aliena Dioecesi Episcopi Suffraganei et Titulares mozzetta uti possint?

Dubium IV. Anne iidem pariter in aliena Dioecesi baculum pastoralem deferre valeant?

Dubium V. Anne adhibere biretum doctorale cum quatuor apicibus, quod sit coloris violacei, cum flosculo et funiculis rubri coloris?

Dubium VI. An Canonici, etsi dignitate episcopali insigniti sunt, debeant associare Archiepiscopum cappa magna indutum ad Metropolitanam Ecclesiam accedentem, sive ut Missam pontificalem celebret, sive ut Missae ab alio celebrandae assistat?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. « Negative; iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta ».

Ad III. « Negative, iuxta Decreta; praesertim in Liburnen. 23 Septembris 1848 ad II ».

Ad IV. « Affirmative, ex permissione Archiepiscopi vel Episcopi Ordinarii loci; et quando tenuerint Ordinationes, consecrationes aliasque functiones, in quibus iuxta

regulas libri pontificalis baculo pastorali uti debent et necesse est, iuxta Caeremoniale Episcoporum (Lib. I, C. 17), et Decretum Bracharen. diei 1 Septembris 1607 ».

Ad V. « Negative, quoad biretum formae doctoralis, iuxta Decretum in Venusina diei 7 Decembris 1844; Affirmative, quoad biretum formae ordinariae ac coloris violacei cum flosculo et funiculis eiusdem coloris, iuxta privilegium a Sanctissimo Domino nostro Leone Papa XIII indistincte omnibus Episcopis concessum ».

Ad VI. « Affirmative; et servetur Decretum Gnesnen. et Posnanien. diei 20 Martii 1869 ad II ».

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 6 Septembris 1895.

3874. MELITEN.

Rm̃i Canonici Cathedralis Ecclesiae Melitensis, consentiente Rm̃o Ordinario, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitarunt; nimirum:

An Sodalibus Ordinis Praedicatorum, dum Crucem in Processionibus deferunt cum aliis Ordinibus Religiosis in Cathedrali Ecclesia, liceat id agere Crucifixi imagine ad sese conversa?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

« Licere ex speciali privilegio, iuxta Bullarium Ordinis Praedicatorum ». Atque ita rescripsit.

Die 30 Novembris 1895.

3875. CONGREGATIONIS

PRESBYTERORUM

SS. SACRAMENTI.

Rm̃us Procurator Generalis Congregationis SS. Sacramenti a Sacra Rituum Congregatione postulavit ut sequentia dubia declarare dignaretur; nimirum:

Dubium I. An in Ecclesia dicata SSm̃o Eucharistiae Sacramento, quando fit Officium de Feria, debeat in Suffragiis fieri commemoratio de SSm̃o Sacramento, omissa commemoratione de Cruce; vel potius commemoratio de Cruce, omissa commemoratione de SSm̃o Eucharistiae Sacramento?

Dubium II. Sacra Rituum Congregatio, benigne indulsit Congregationi SSm̃i Sacramenti ut Feria V, quae prima quolibet mense occurrit, recoli valeat sub ritu duplici maiori Commemoratio solemnis de SSm̃ae Eucharistiae Sacramento, dummodo in eam Feriam non incidat Festum aequalis vel potioris ritus.

Quaeritur 1°. An haec solemnis Commemoratio habeat praecedentiam super Festum secundarium eiusdem ritus, sed non eiusdem dignitatis: cuiusmodi esset Festum B. M. V., tam in occurrentia quam in concurrentia?

2°. Anne in concurrentia eiusmodi solemnis Commemorationis cum Festo secundario eiusdem ritus et eiusdem dignitatis Vesperae esse debeant de SSm̃o Sacramento; vel de sequenti?

Dubium III. An post expositionem privatam SSm̃i Sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito?

Dubium IV. Sacerdos celebrans coram SSm̃o Sacramento patenter exposito, dum in Evangelio dicit *Et verbum caro factum est*, genuflectit aliquantulum versus SSm̃um Sacramentum.

Quaeritur: An debeat versus idem Venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen Iesu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, dubiis mature diligenterque perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem, in casu; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Negative, ad primam quaestionem; Quoad alteram: totum de Festo cum Commemoratione Officii Votivi ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Novembris 1895.

3876. QUEBECEN.

DUBIA DIVERSA.

Rm̃us Dominus Ludovicus Nazarius Begin, Archiepiscopus Cyrenensis et Administrator Dioecesis Quebecensis, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia diluenda humiliter proposuit; nimirum:

Dubium I. An Titulare Festum alicuius Ecclesiae a 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat octavam?

Dubium II. An dies 30 Decembris assignari possit S. Anastasiae Mart. in Ecclesia propria?

Dubium III. Utrum in Ecclesia propria Festum S. Titi celebrandum sit die 4 Ianuarii; an 6 Februarii?

Dubium IV. Quomodo in Ecclesia S. Hadriani Mart. cuius Festum occurrit die octava Septembris, ordinari debeat Officium Nativitatis B. M. V. et dies eius octava, cum dies 9 et 10 Septembris a Festis duplicibus minoribus sint impeditae?

Dubium V. An valide possit Episcopus pro Titulari alicuius novae Ecclesiae designare Festum, quod neque in Martyrologio, neque in Supplemento Dioecesis reperitur?

Dubium VI. Quonam tempore duodecim cerei ardere debeant in Anniversario Ecclesiae consecratae?

Dubium VII. An die octava eiusdem Anniversarii Ecclesiae consecratae cerei pariter accendi debeant; aut possint?

Dubium VIII. An Decretum in Halifaxien. editum die 16 Aprilis 1886 ad 3^{um} iuxta quod dies electionis Episcopi, quoad anniversarium in Dioecesi celebrandum, non ea est qua Bullae datae fuerunt, sed illa qua fuit in Consistorio proclamatus, spectet etiam ad Episcopos per Sacram Congregationem de Propaganda Fide institutos, qui frequenter Bullas receperunt, Dioecesis possessionem acceperunt, imo consecrati fuerunt aliquo tempore ante Consistorium, in quo proclamantur?

Dubium IX. Utrum Lectiones II Nocturni, die octava alicuius Sancti, quae non reperiuntur in Breviario, debeant, deficiente Octavario, sumi de Communi primo loco; an vero de die Festo?

Dubium X. An Solemnitas Sacratissimi Cordis Iesu possit iuxta regulas ceteris Solemnitatibus communes peragi?

Dubium XI. Anne Ordinario liceat, ubi ad fovendam devotionem expedit, quibusdam Titularium Ecclesiarum parochialium Solemnitatibus assignare certas per annum Dominicas, etiam ab ipso die Festo distantes?

Dubium XII. An Solemnitati Annuntiationis B. M. V. iam concessae valeat assignari in perpetuum Dominica II post Pascha, nisi occurrat Festum duplicis primae classis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative; non omissa commemoratione S. Anastasiae in secunda Missa Nativitatis, ratione Stationis ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; iuxta Martyrologium Romanum ».

Ad IV. « Quum die 8 Septembris faciendum sit de S. Hadriano Mart. Ecclesiae Titulo, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate B. M. V. absque integra octava; prout Romae fit in Diaconia S. Hadriani Mart., translato Festo duplici illa die occurrente in primam aliam liberam, iuxta Rubricas ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Per integrum et solum diem, incipiendo a primis Vesperis ».

Ad VII. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VIII. « Affirmative ».

Ad IX. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad X. « Negative; nisi sit Festum de praecepto ».

Ad XI et XII. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 13 Decembris 1895.

3877. ROMANA.

Prior et Adsistentes Archiconfraternitatis Sacratissimi Cordis Iesu erectae in Ecclesia S. Theodori de Urbe Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecerunt; videlicet:

Anne semper ac totum Officium Defunctorum ritu duplici recitetur, omittendus sit in fine Laudum Psalmus *De profundis?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, attentis expositis reque mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuit:

« Negative; iuxta Rubricas Breviarii Romani ac Decreta, praesertim in una Ordinis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae (sub die 9 Maii 1739); ubi haec habentur: « In Officio defunctorum semper « dicendum esse post Vesperas Psalmum « *Lauda anima mea,* et post Laudes Psal- « mum *De profundis,* exceptis diebus Com- « memorationis Omnium Fidelium Defun- « ctorum et depositionis defuncti ». Et ita declaravit ac servari mandavit.

Die 10 Ianuarii 1896.

3878. ALMERIEN.

In Oppido vulgo *Gérgal* Dioeceseos Almeriensis in Hispania mos est, ut Dominica

secunda mensis Septembris, in honorem Beatae Mariae Virginis, vespertinis horis fiat Processio religiosa, in qua Imagines sive Reliquiae ipsius Beatae Virginis, Sancti Iosephi ac aliorum Sanctorum circumferantur, una cum Augustissimo Eucharistiae Sacramento. Hinc Parochus eiusdem Oppidi, dubitans an huiusmodi praxis sit plane conformis Rubricis ac Decretis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Num, extra Festum Corporis Christi eiusque octavam, liceat in honorem Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum in vespertinis Processionibus deferre Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum? et insimul Imagines sive Reliquias ipsius Beatae Virginis ac Sanctorum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature expensis, rescribendum censuit:

Ad Dubium: « Affirmative, de consensu Ordinarii quoad primam partem; Negative, quoad secundam ». Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

3879. ANNECIEN.

Instante Rm̃o Domino Episcopo Anneciensi, ut in universis Paroeciis suae Dioeceseos, de Apostolica venia, permittatur usus sacrorum Oleorum, anno praecedente benedictorum, usque ad Sabbatum ante Pentecosten exclusive, ne eo tempore absint a propriis Paroeciis Rectores vel Vicarii, quorum ministerio Christifideles egent;

Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, iuxta votum Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« Parochus curet, ut Presbyter vel Clericus, si possibile sit in Sacris constitutus, nova Olea Sacra recipiat. Quod si aliquod adhuc extet impedimentum, idem Parochus vel per se vel per alium Sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum Oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: nisi aliquem baptizare debeat; tunc enim ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat ». Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

3880. BISARCHIEN.

Rector Parochialis Ecclesiae loci vulgo *Ozieri*, intra fines Dioeceseos Bisarchien. in Sardinia, de consensu sui Rm̃i Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime postulavit; nimirum:

An in eadem parochiali Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint iuxta antiquum morem, a nonnullis annis interruptum, preces vel Hymni lingua vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cuius Festum agitur?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, atque exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« Affirmative, de consensu Ordinarii quoad Missam privatam; Negative, quoad Missam solemnem sive cantatam; iuxta Ordinationis pro Musica Sacra Articulum septimum et octavum; et iuxta Decretum in una Praefecturae Apostolicae de Madagascar, in responsione ad dubium primum, diei 21 Iunii 1879 ». Atque ita servari mandavit.

Die 31 Ianuarii 1896.

3881. DECRETUM GENERALE

ANNIVERSARII

DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Ad omnes in posterum controversias circa Anniversarium Dedicationis Ecclesiae penitus evellendas, Sacra Rituum Congregatio in Comitiis pro nova Collectione authentica Decretorum evulganda, subsignata die ad Vaticanum habitis, statuit ac declaravit:

I. « Dedicationem Ecclesiae, eiusque proinde Anniversarium, esse Festum Domini ».

II. « Hinc Ecclesiae propriae Anniversarium, iuxta Rubricas solemnius et primarium, aliis quibuscumque locorum Festis, etiam Patroni aut Titularis, esse per se praeferendum, tam in occursu quam in concursu; permitti nihilominus, ut Patroni Festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, ratione feriationis praedicto Anniversario praeferatur ».

III. « Anniversarium vero Dedicationis Ecclesiae non propriae, uti secundarium habendum esse, et si cum aliis quibuscumque Festis occurrat vel concurrat, servandas esse Rubricas et Decretum Generale super primariis et secundariis Festis ».

IV. « Eiusdem autem Dedicationis Ecclesiae, sive propriae sive non propriae,

Anniversario occurrente vel concurrente cum Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, haec semper illi praevalere, personali etiam dignitate posthabita, iuxta Rubricas ».

V. « Quamvis fixa esse debeat illa dies anniversaria Dedicationis Ecclesiae, quae infra annum a consecratione recurrit; nihilominus Episcopo Ecclesiam consecranti ius inhaerere, iuxta Decreta alias edita, aliam diem fixam, vel etiam Dominicam (dummodo in consecrationis actu) seligendi pro illius Anniversario quotannis solemnius celebrando: exceptis duplicibus primae et secundae classis universalis Ecclesiae, nec non quibuscumque Dominicis privilegiatis, et duplicibus primae classis Ecclesiarum particularium ».

Atque ita servari mandavit.

Die 4 Februarii 1896.

3882. MONOPOLITANA.

Ad instantiam Prioris Tertii Ordinis S. Dominici in oppido Fasano, Dioecesis Monopolitanae, canonice erecti, Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis coram Eminentissimo Domino Cardinali, eidem S. Congregationi Praefecto, ad dubium: An ius praecedendi competat Tertiariis S. Dominici; vel Tertiariis S. Francisci, in casu, et in praedicto oppido? respondendum censuit:

« Attentis constitutionibus Gregorii XIII et Urbani VIII, nec non Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 4 Septembris 1733: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 6 Februarii 1896.

3883. DUBIUM.

Quamplures Regulares, ratione suae vocationis et praedicationis, quotannis per Quadragesimam totam, per menses Maii et Octobris et per alia quoque tempora Sacrum peragunt extra suas Ecclesias; eaque de causa obtinuerunt ab Apostolica Sede privilegium celebrandi Missam iuxta Calendarium proprii Ordinis, quando color concordat cum colore Officii Ecclesiae in qua celebrant. Praeterea iidem Regulares habent privilegium, iuxta quod concessio illis per Apostolicam Sedem semel facta, iam amplius non debet revocata censeri, nisi de praedicta concessione fiat mentio specialis vel saltem habeatur clausula revocatoria privilegii, etiam speciali mentione digni.

Hinc quaesitum est: Num Regulares, de quibus in casu, comprehendantur sub Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei 9 Iulii 1895, confirmato a Summo Pontifice die 9 Decembris eodem anno?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario atque audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, respondendum censuit: « Affirmative ». Atque ita declaravit ac rescripsit.

Die 8 Februarii 1896.

3884. CAMBERIEN.

Ab Ecclesiastica Curia Camberiensi Sacrae Rituum Congregationi humillime propositum fuit, pro authentica resolutione, sequens dubium:

An consecrari possit Altare, cuius mensa lapidea, in medio ubi recondendum est vasculum reliquiarum, est perforata ex utraque parte?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita prius Commissionis Liturgicae sententia reque mature perpensa, ad propositum dubium rescribendum censuit:

« In cavitate inferiori sepulcruli iam effossi collocetur altera basis lapidea, ut super ea reponatur capsula reliquiarum ». Atque ita rescripsit.

Die 8 Februarii 1896.

3885. VIGLEVANEN.

Rev. Dominus Iosephus Precerutti, Dioeceseos Viglevanensis, cui munus incumbit ordinandi quotannis Calendarium Dioecesanum, de mandato sui Rmi Ordinarii, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem enixe flagitavit; nimirum:

Dubium I. In Calendario Dioeceseos Viglevanensis non raro occurrunt eadem die duo Festa primaria, vel duo secundaria, eiusdem ritus et classis, sed diversae dignitatis; quorum unum est mobile, alterum affixum diei mensis: quaeritur cuinam Festo in hisce casibus competat praecedentia?

Dubium II. Quid agendum de Festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli

Apost., perpetuo impedito in Calendario Dioecesano, cum ei locus non suppetat?

Dubium III. Ex Litteris Apostolicis in forma Brevis Pii Papae VI, in Dioecesi Viglevanen. et aliis Dioecesibus Pedemontanis, die decimaquinta Ianuarii celebratur Festum Translationis Reliquiarum Sancti Mauritii Martyris, Patroni principalis Pedemontii, sub ritu duplici primae classis cum octava. Quum vero die 22 Septembris agatur Festum Sanctorum Mauritii et Soc. Mart. sub ritu duplici maiori; quaeritur an hoc alterum Festum habendum sit tanquam primarium in casu?

Dubium IV. Anne in Ecclesiis parochialibus nullam habentibus Chori obligationem, et in quibus tamen decantantur Vesperae diebus festivis absque Completorio, ipsae Vesperae in Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis concludendae sint cum Antiphona: *Alma Redemptoris Mater,* vel cum altera: *Ave, Regina Coelorum?*

Dubium V. An servari possit immemorabilis consuetudo, qua in Officiis Defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversariis, semper decantetur primum Nocturnum cum Laudibus recitatis, non omisso cantu Invitatorii: *Venite, exultemus?*

Sacra autem Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. « Ex duobus Festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori: in paritate vero dignitatis, competit Festo diei mensis affixo ».

Ad II. « Festum, de quo agitur, ex communi lege ad instar simplicis perpetuo redigendum foret: verum de speciali gratia, reponatur prima die a duplici minore libera, et Festum semiduplex fiat simplex ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad V. « Serventur Rubricae Ritualis et Breviarii Romani ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.
Die 21 Februarii 1896.

3886. DUBIA

quoad dies infra octavam Festi primarii vel secundarii.

Quidam Sacrarum Caeremoniarum Magistri, quibus Calendaria particularia disponere commissum est, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium dubiorum resolutione humiliter rogarunt; nimirum:

I. An dies infra octavam Festi primarii vel secundarii cedant semiduplici occurrenti?

II. An dies octava sequatur rationem sui Festi primarii vel secundarii?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario et audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Dies infra octavam quamcumque tamquam secundarios habendos esse; et cedere cuicumque semiduplici occurrenti ».

Ad II. « Affirmative; nempe: Diem Octavam esse primariam vel secundariam, prout Festum, ad quod illa pertinet, primarium vel secundarium est ».

Atque ita rescripsit.
Die 21 Februarii 1896.

3887. DUBIUM

QUOAD MISSAM CONVENTUALEM.

Sacra Rituum Congregatio ad Decreta, quibus indulget Missam solemnem vel etiam Missas lectas in aliqua extrinseca festivitate, solet adiicere clausulam: *dummodo non omittatur Missa Conventualis vel Parochialis, Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio.*

Porro nonnulli Ecclesiarum Rectores huiusmodi clausulae declarationem ab eadem Sacra Congregatione humillime rogarunt; et ipsa Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re accurate perpensa, declaravit:

« Obligationem, in casu, quoad Missam Conventualem Officio diei respondentem, adesse pro Ecclesiis in quibus ea die fit Officiatura Choralis; quoad vero Missam Parochialem, eam Officio diei conformem esse debere, quando peragenda sit cum applicatione pro populo ».

Atque ita rescripsit.
Die 21 Februarii 1896.

3888. PLATIEN.

Rm̃us Dominus Marianus Palermo, Episcopus Platien., a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Dubium I. An in accessu Episcopi Ordi-

narii ad Ecclesiam Cathedralem, rei divinae peragendae causa, sive ipse celebraturus sit sive alter, aera turris campanariae pulsari debeant?

Dubium II. Num in casu teneantur Canonici Episcopum cappa vel habitu chorali indutum, comitari et deducere?

Dubium III. An in expositione privata, quando populus benedicitur cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento Pyxide clauso, ipsa Pyxis cooperienda sit velo humerali?

Dubium IV. Utrum, benedicto Coemeterio, censeri debeat benedicta etiam Ecclesia, eidem adnexa, et vice versa?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, dubiis accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad normam Caeremonialis Episcoporum ».

Ad II. « Stetur Caeremoniali et Decretis ».

Ad III. « Affirmative, iuxta Decretum in una Meliten. 23 Februarii 1839, in responsione ad primum ».

Ad IV. « Negative ad utrumque ».

Atque ita rescripsit.

Die 21 Februarii 1896.

3889. DECRETUM.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, referente Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, communia vota Emorum et Rmorum Patrum Sacris tuendis Ritibus praepositorum libenter excipiens, Festum Sancti Thomae Episcopi Cantuariensis et Martyris ad ritum duplicem minorem pro Universa Ecclesia evehere dignatus est; illudque sub praedicto ritu in Calendario universali et in novis editionibus Breviarii Romani deinceps inscribi decrevit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 Februarii 1896.

3890. QUEBECEN.

Rmus Dominus Nazarius Begin, Archiepiscopus Cyrenensis et Administrator Dioecesis Quebecensis, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium dubiorum solutione humiliter rogavit; nempe:

Dubium I. Ex peculiaribus indultis Dioecesi Quebecensi concessis, solemnitas quorundam Festorum de praecepto transfertur in Dominicam proximam sequentem, vel, ea impedita, in Dominicam proximam antecedentem; atque ita, ut in Ecclesiis, ubi fit Officiatura cum cantu, Missa et Vesperae solemnes de hisce Festis, additis Commemorationibus iuxta Rubricas, peragantur; in aliis vero unica Missa lecta celebretur.

Hinc quaeritur: An subsistat die, qua celebratur Officium transferendae vel translatae solemnitatis:

1. Prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis mere privatis et Missam exequialem praesente corpore?

2. Obligatio Parochorum Missam applicandi pro populo?

3. Facultas Episcopo concessa conferendi Ordines Sacros diebus festivis de praecepto?

Dubium II. Utrum eaedem solemnitates celebrari possint in Festis Circumcisionis Domini et SSmae Trinitatis, die octava Epiphaniae, Dominica Passionis et Dominica in Albis, quae Festa quaelibet alia, etiam Duplicia primae classis, excludunt?

Dubium III. An, pluribus occurrentibus solemnitatibus transferendis, una vel altera possit ad libitum omitti vel saltem simplificari per Commemorationem sub unica conclusione, cum Oratione Dominicae primae classis vel Festi, aut solemnitatis ritu, aut privilegio superioris?

Dubium IV. Num in parochiali Ecclesia, cuius titulare Festum ipsa die fuit a populo ex devotione celebratum, solemnitas debeat nihilominus die Dominica peragi?

Dubium V. An indultum speciale (13 Maii 1855) quo solemnitates transferuntur in Dominicam sequentem, eaque impedita, in Dominicam proximam praecedentem, ad hanc solam Dominicam restringatur?

Dubium VI. Num in Ecclesiis ubi ex indulto (13 Martii 1819) solemnitas translata peragitur cum Missa et Vesperis solemnibus, hi qui iisdem Vesperis assistunt, Divini Officii recitationi satisfaciant?

Dubium VII. An idem indultum pro Ecclesiis concessum comprehendat etiam Oratoria tum publica tum privata? et quatenus Negative ad secundam partem, imploratur gratia extensionis ad Oratoria privata Collegiorum, Hospitiorum et aliarum Communitatum, iuxta prudens Ordinarii iudicium in singulis casibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad rela-

tionem Secretarii, omnibus mature perpensis, exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, ita propositis dubiis respondendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative quoad primum; Affirmative, quoad secundum et tertium ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Fiat de solemnitate digniori; et minus digna transferatur in proximiorem Dominicam liberam ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Ad S. Congregationem Concilii ».

Ad VII. « Quoad quaestionem: Indultum comprehendere tantum Oratoria publica; quoad postulatum, Non expedire ».

Atque ita rescripsit.

Die 6 Martii 1896.

3891. ROMANA.

A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi: Utrum intonationes Hymni angelici ac Symboli, necnon singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationum, Praefationis, Orationis Dominicae etc. cum relativis responsionibus ad Chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali; an mutari potius valeant iuxta consuetudinem quarundam Ecclesiarum?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, censuit rescribendum:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam, iuxta Decretum in una De Guadalaxara diei 21 Aprilis 1873 ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 14 Martii 1896.

3892. BASILEEN.

Rev. Dominus E. Iobix, Sacerdos et Moderator Calendarii ad usum Cleri Dioeceseos Basileensis in Helvetia, de mandato sui Rm̃i Ordinarii, sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrorum Rituum Congregationi humillime proposuit; nimirum:

Dubium I. Utrum in Festis Ss. Petri Damiani (*23 Februarii*) et Alfonsi M. de Ligorio (*2 Augusti*) mutandus sit tertius versus in Hymno: *Iste Confessor?*

Dubium II. In Dioecesi Basileensi die 22 Martii sub ritu duplici minori celebratur Festum Beati Nicolai de Flüe, qui obiit die 21 Martii 1487 et huiusmodi Festum, concurrens cum Festo Sancti Benedicti Abbatis, sub ritu duplici maiori recolendo, tantum Commemorationem habet in primis Vesperis. Quod si incidat in Feriam secundam post aliquam Dominicam Quadragesimae vel Dominicam Passionis, et de illo recitandus sit Hymnus: *Iste Confessor* in primis Vesperis, quaeritur: debetne mutari tertius versus in Hymno, et haec mutatio indicari in novis editionibus Proprii Dioecesani, a Sacra Rituum Congregatione die 30 Septembris 1869 approbati?

Dubium III. Calendarium Dioecesanum, a Sacra Rituum Congregatione approbatum, indicat pro Dominica secunda post Pascha Festum Ss. Sigismundi Regis et Soc. Mm. sub ritu duplici minori. Sive ante sive post approbationem Calendarii, praedictum Festum omissum fuit, quotiescumque aliud Festum duplex enunciata Dominica occurrebat; prouti fit hoc anno, quo celebratur Festum Sancti Leonis IX Papae sub ritu duplici secundae classis, Festo Ss. Sigismundi et Soc. penitus omisso. Quaeritur, utrum hac in re bene ordinatum sit Calendarium?

Dubium IV. In Dioecesi Basileensi Festum Sacrarum Reliquiarum peragitur sub ritu duplici maiori, Dominica infra octavam Omnium Sanctorum. Porro quotiescumque littera dominicalis est *D*, saltem pro mense Novembri deest praedicta Dominica. Etenim Festum Omnium Sanctorum celebratur die prima mensis et Dominica sequens est dies octava eiusdem Festi. Quaeritur, utrum hoc in casu omitti debeat Festum Sacrarum Reliquiarum, ut hucusque factum est; an potius ad primam diem liberam, id est diem 19 Decembris transferendum sit?

Dubium V. Ex S. R. C. Decreto diei 9 Iulii 1895, confirmato a Summo Pontifice die 9 Decembris eodem anno, circa celebrationem Missae in Ecclesia aliena, videtur Sacerdos habens Festum duplex primae classis non posse celebrare, nisi more votivo Missam conformem suo Officio, quando ritus alienae Ecclesiae permittit Missas *de Requie* et votivas. Quid agendum in casu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, propositis dubiis rite expensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, iuxta editionem typicam et Martyrologium Romanum ».

Ad II. « Affirmative, ut in Festo Sancti Hyacinthi Conf. die 16 Augusti ».

Ad III. « Affirmative; et Festum Ss. Sigismundi et Soc., quoties impeditur, penitus omittatur ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; nisi obtineatur indultum pro translatione ».

Ad V. « Missa Officio conformis, sive de semiduplici sive de quocumque duplici, et in casu, est Festiva: proinde non est votiva, nec more votivo dicenda ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1896.

3893. DIANEN.

Rev. Dominus Angelus Raphael Covino Canonicus Cathedralis Ecclesiae Dianen. a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem de consensu sui Rmi Ordinarii, humillime efflagitavit; nimirum:

An in Cathedralis Ecclesiae Capitulo, ubi, ex tabulis erectionis, praebendae omnes sunt presbyterales, Canonici teneantur ad munus Diaconi et Subdiaconi in solemnioribus Festis Dominicae Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Ss. Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis B. M. V.; si, Episcopo impedito ad Missam pontificalem peragendam, Missa ab aliqua Dignitate solemniter decantetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative; iuxta Decretum in una Angelopolitana, in responsione ad dub. II et III, diei 17 Augusti 1894 ». Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1896.

3894. ORDINIS

MINORUM DE OBSERVANTIA

S. FRANCISCI.

Hodiernus Praepositus moderandae Provinciae Seraphicae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, votis obsecundans tam ipsius Provinciae Alumnorum, quam Sacerdotum ad celebres Assisienses Ecclesias piae peregrinationis causa undique confluentium, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillimis precibus privilegium efflagitavit, quo in Sacello Portiunculae nec non in altero, olim cubiculo, ubi sanctus Patriarcha obdormivit in Domino, Missam votivam de eodem Sancto Confessore propriam cuilibet Sacerdoti liceat celebrare, etiamsi Officium ritus duplicis occurrat.

Sacra porro Rituum Congregatio: « Vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, petitum Missae votivae privilegium in utroque enuntiato Sacello celebrandae benigne indulsit, exceptis Duplicibus primae et secundae classis Festisque de praecepto servandis, nec non Feriis, Vigiliis, octavisque privilegiatis: servatis Rubricis ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Martii 1896.

3895. NEMAUSEN.

Rmus Dominus Vincentius Michel Canonicus Parochus Cathedralis Ecclesiae Nemausen. a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. An renovandus sit quotannis Cereus paschalis sive ex toto; sive ex parte quae consumata fuit?

Dubium II. Num, loco Cerei paschalis qui manet toto tempore paschali prope Altare maius, adhiberi queat alius Cereus in Sacello laterali, ubi diebus ferialibus a Canonicis praefatae Ecclesiae Cathedralis fit Officiatura sine cantu?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Negative, quoad primam partem; Affirmative, quoad secundam; idest posse et teneri tantum cum pars accendenda non sufficiat pro toto tempore paschali ».

Ad II. « Affirmative, dummodo hic alius Cereus alias fuerit semel benedictus, in eoque infixa sint quinque grana thuris ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Martii 1896.

3896. ROMANA.

Quum die 30 Ianuarii, anno elapso 1895, in conventu Academiae Liturgicae Romanae proposita quaestione super diebus, quibus non licet Missa celebrari in Oratoriis privatis, Academici ac Censores diversimode de ea sensissent, inspectis etiam Decretis ac praxi; hinc Rmus Moderator ipsius Academiae ad Sacram Rituum Congregationem, penes quam eadem quaestio alias agitata fuit, humillime accessit, suo et Academiae

nomine postulans sequentis dubii solutionem ; nimirum :

Quinam vere sint solemniores dies, in quibus pro omnibus, peculiare indultum non habentibus, Missae sunt vetitae in privatis Oratoriis ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae ac re maturo examine perpensa, rescribendum censuit :

« Illi per se sunt solemniores, in casu, qui describuntur in Caeremoniali Episcoporum Libr. II, Cap. XXXIV, § 2, et de praecepto servantur ». Atque ita rescripsit.

Die 10 Aprilis 1896.

3897. BUSCODUCEN.

Rmus Dominus Gulielmus Van de Ven, Episcopus Buscoducensis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit ; nimirum :

Dubium I. An Episcopus ordinaria auctoritate approbare valeat translationem in vernaculam linguam Officii parvi Beatae Mariae Virginis, quod legitur in Breviario Romano ?

Dubium II. An idem Officium ita translatum et approbatum in lucem edi et adhiberi queat a fidelibus, intra fines Dioeceseos Buscoducensis degentibus et praesertim a Congregationibus Religiosis utriusque sexus ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative ; sed tantum pro recitatione privata ».

Atque ita rescripsit.

Die 24 Aprilis 1896.

3898. SENOGALLIEN.

Rector cuiusdam Ecclesiae parochialis intra fines Dioeceseos Senogalliensis, de mandato sui Ordinarii, sequens dubium enodandum Sacrae Rituum Congregationi humillime proposuit ; nimirum :

An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago ? Et quatenus Negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus, ubi viget ?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

« Negative, quoad primam partem ; quoad alteram : Curandum ut eliminetur abusus ».

Atque ita rescripsit.

Die 30 Aprilis 1896.

3899. AMALPHITANA.

Rmus Dominus Henricus de Dominicis, Archiepiscopus Amalphitanus, ad instantiam Ordinatoris Calendarii Archiedioeceseos sibi concreditae, Sacram Rituum Congregationem pro insequentium dubiorum solutione humillime rogavit ; nimirum :

Dubium I. An Officia Votiva, semel in mense concessa, peragi queant infra octavas non privilegiatas ? Et quatenus Negative : An expetendum sit indultum ?

Dubium II. Num omitti possit Officium *ad libitum,* ut recitetur Officium Votivum semel in mense concessum ? Et quatenus Affirmative : Num Officium *ad libitum* omissum transferri valeat in aliam diem ?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, respondendum censuit :

Ad I. « Negative, ad primam partem ; Non expedire ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 8 Maii 1896.

3900. ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA S. FRANCISCI.

Rmus P. Commissarius Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci in Hispania a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem supplicibus votis postulavit ; scilicet :

An per recentiores eiusdem Sacrae Rituum Congregationis praescriptiones et declarationes abrogatum fuerit privilegium Hispanis concessum a s. m. Pio Papa V, per Breve 17 Decembris 1570 *Ad hoc nos, Deus,* quo in iis partibus statuitur et praecipitur, ut Missae solemnes, quae canuntur, iuxta Ecclesiae Toletanae formam in Hispaniarum Regnis ab antiquissimo tempore receptam, decantentur ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commis-

sionis Liturgicae omnibusque accurate expensis, rescribendum censuit:

« Negative; et detur Decretum de Musica sacra, die 7 Iulii 1894 editum ».

Atque ita rescripsit.

Die 8 Maii 1896.

3901. GERUNDEN.

Sacerdos Michael Camos, Confessarius et Cappellanus Monialium Cisterciensium Monasterii de *Chatinis* Civitatis et Dioeceseos Gerundensis, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime flagitavit:

Quum iuxta Rituale Cisterciense, Communio et Extrema Unctio administrandae sint Monialibus infirmis cum Alba et Stola et pro ipsarum Communione afferri debeant in Calice tot Particulae, quot sunt infirmae communicandae, ac demum praeberi ultimae communicatae, aut proiici in ignem, vinum et aquam ablutionis Calicis, quaeritur:

Dubium I. Utrum, quando Sacerdos Secularis administrat praefatis Monialibus Sacramenta, teneatur servare Rituale Cisterciense; an potius uti debeat Rituali Romano?

Dubium II. Si servandum sit Rituale Cisterciense, permittiturne saltem adhiberi superpelliceum loco Albae? et pro Communione loco Calicis, Pixidem cum pluribus Particulis, iuxta Ritum Romanum?

Dubium III. Utrum in translatione cadaverum Monialium e loco superiore Monasterii ad Chorum inferiorem, et in earum exequiis, exclusa Missa Conventuali, servari possit Rituale et Missale Romanum iuxta consuetudinem vigentem?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto alterius ex Consultoribus ipsius Sacrae Congregationis, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Sacerdos Secularis, de quo in casu, debet uti Rituali Romano ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III. « Affirmative, dummodo lex clausurae in eiusmodi translationibus non violetur ».

Atque ita rescripsit.

Die 8 Maii 1896.

3902. VICTORIEN.

IN HISPANIA.

Moniales ab Immaculata Conceptione, vulgo *Concezioniste di Gesù,* in Civitate S. Sebastiani commorantes, intra fines Dioeceseos Victorien. in Hispania, Sacram Rituum Congregationem supplicibus votis rogarunt, ut Festum Immaculatae Beatae Mariae Virginis Conceptionis amodo ab ipsis recoli valeat cum octava privilegiata, quae Clero Seculari totius Hispaniae iampridem concessa est.

Et Sacra Rituum Congregatio « utendo facultatibus sibi specialiter a SSmo Domino nostro Leone Papa XIII tributis, attento praesertim commendationis officio Rmi Domini Episcopi Victorien., benigne precibus annuit, servatis Rubricis ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 15 Maii 1896.

3903. DECRETUM.

Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in Calendariis particularibus, Officiorum duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediantur, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate praestantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut ad iuvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, praesertim iis, quae in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missae lectae de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem SSmo Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere: quae, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per Eminentissimum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum quaestionem, respondendum censuit:

« Si Sanctissimo placuerit: I°. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici 1 vel 2 classis, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; item II°. quibuslibet Ecclesiis

et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis, sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, et exceptis duplicibus primae classis, Dominicis aliisque Festis de praecepto ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per supradictum Eminentissimum Dominum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Iunii eodem anno.

3904. VICENTINA.

Iuxta Calendarium Dioeceseos Vicentinae anno 1894 editum, proposita in menstruis coetibus casuum conscientiae quaestio agitata fuit super benedictione puerperae, cuius proles sine Baptismo decesserit. Sententiis in contraria abeuntibus, Rm̃us Canonicus qui eisdem coetibus praeerat, de legum liturgicarum observantia sollicitus, sequens dubium pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi, de consensu Rm̃i Episcopi Vicentini, humillime proposuit; nimirum :

Utrum, vi Decreti ab ipsa Sacra Rituum Congregatione dati die 12 Septembris 1857 in Molinen. ad XVII, liceat benedictionem mulieris post partum, iuxta Rituale Romanum, impertiri puerperae, cuius proles mortua fuerit sine Baptismo; an vero abstinendum sit ab ea benedictione?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et alterius ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, enuntiato dubio ab Eminentissimo et Rm̃o Domino Cardinali Andrea Steinhuber, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, proposito, respondendum censuit :

« Non esse negandam benedictionem ».

Die 19 Maii 1896.

Hisce vero omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 8 Iunii eodem anno.

3905. BRUNEN.

In relatione status Ecclesiae Brunensis exhibita Sacrae Congregationi Concilii die 26 Februarii 1894 declaratum fuit Praelatos Seculares, Decanum et Archidiaconum Capituli Ecclesiae Cathedralis, nec non Praepositum Capitulo Ecclesiae Collegiatae Nicolsburgensis, ex Apostolico Privilegio, ad instar Abbatum infulatorum, benedictione Abbatiali muniri. Quum vero Abbatialis benedictio, prouti legitur in Pontificali Romano, nonnullis in partibus existimetur minus congrua praelatis Secularibus, qui non habent populum sibi subditum, nec regulam nec alia huiusmodi servanda, ideo Rm̃us Dominus Franciscus Bauer, Episcopus Brunensis, quum suis tum aliorum Episcoporum votis satisfacturus, ab Apostolica Sede humillime postulavit :

Num et quomodo in supradicta benedictione Praelatis Secularibus impertienda, iuxta ritum Pontificalis Romani, aliquae variationes fieri possint?

Porro, exquisito voto unius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris et alterius ex Sacrae Rituum Congregationis Consultoribus, quum Eminentissimus et Rm̃us Dominus Cardinalis Andreas Steinhuber in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, enunciatum dubium super ritu benedicendi Praelatum Secularem discutiendum proposuerit, ipsa Sacra Congregatio, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit :

« Nihil innovetur in Pontificali; sed eadem Sacrorum Rituum Congregatio in singulis casibus respondeat, formulam accommodando casibus ipsis, demptis quae praefatis Secularibus minime convenire noscuntur ».

Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Iunii eodem anno.

3906. URBIS ET ORBIS.

Plures Sacrorum Antistites Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humillimas porrexerunt preces, ut in bonum fidelium atque in dignitatis Episcopalis decus, dispositionem Decreti, die 22 Augusti 1818 editi, super satisfactione praecepti de audienda Missa in Episcopali Sacello, relaxare dignaretur.

Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato ipsius Sanctissimi Domini Nostri, eiusmodi negotium maturo examine perpendens, audito voto Commissionis Liturgicae, ad quaestionem per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, propositam, respondendum censuit :

« Postulandum a Sanctissimo, ut, deinceps Episcopi omnes, sive Dioecesani, sive Titulares, eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Patres Cardinales ; scilicet, ut, non solum Ipsi in propriae habitationis Oratorio, aut super Ara portatili, ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant ; sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19 Maii 1896.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per idem Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, enunciatum Patrum Cardinalium privilegium ad quoscumque Episcopos cum Apostolica Sede communionem habentes extendere dignata est, die 8 Iunii eodem anno.

3907. DECRETUM.

Instantibus nonnullis Rm̃is Episcopis pro resolutione authentica aliquorum dubiorum consecrationem Ecclesiae respicientium, Sacra Rituum Congregatio, suffragia unius et alterius tum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, necnon cl. cuiusdam professoris in Iure Canonico, exquisivit et typis edenda curavit. Hinc Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Franciscus Segna in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, eadem dubia discutienda ita proposuit ; nimirum :

Dubium I. An Ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata ?

Dubium II. Utrum Ecclesia e cuius parietibus vel partim vel integre disiicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco,* ut renovetur, consecrata maneat ; An execrata ?

Dubium III. An Altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus maturo examine perpensis propositis dubiis, respondendum censuit :

Ad I. « Affirmative, nempe valide; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua vel omnia Altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur ».

Ad II. « Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum ».

Ad III. « Negative ; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari ».

Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 8 Iunii eodem anno.

3908. URBIS.

Nonnulli Calendariorum Ordinatores a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem supplicibus votis efflagitarunt ; nimirum :

I. An in Officiis Votivis, inter se concurrentibus, Vesperae dividi semper debeant iuxta peculiarem Rubricam ? vel considerari potius debeat ratio dignitatis iuxta Decretum *Evulgato* diei 14 Augusti 1894 ?

II. An privilegium, quod Rubricae Generales Breviarii tribuunt octavis Festorum Domini et Deiparae, ut nempe illae cedant tantum in concursu duplicibus secundae classis, istae vero solis duplicibus maioribus, intelligendum sit de solis octavis ad Festa primaria pertinentibus ? vel de octavis quibuscumque ?

III. Dies octavi Festorum primariorum Archangelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum, suntne iudicandi digniores in ordine ad praelationem, in concursu cum aliis duplicibus minoribus?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. « Affirmative, quoad primam partem; Negative, quoad secundam ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Maii 1896.

3909. VALVEN.

ET SULMONEN.

Rmus Dominus Tobias Patroni Episcopus Valven. et Sulmonen. timens ne, sub specie pietatis erga defunctos, sensim subrepant abusus decorem Domus Dei temerantes, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime postulavit; nimirum:

An deceat in parietibus Ecclesiae vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, recribendum censuit:

« Negative ». Atque ita rescripsit.

Die 22 Maii 1896.

3910. RUTHENEN.

Eminentissimus et Rmus Dominus Cardinalis Christianus Ernestus Bourret Episcopus Ruthenen. Sacram Rituum Congregationem pro sequentis dubii solutione enixe rogavit; nimirum:

Utrum (post Decretum Generale diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eiusdem anni: *De Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici*), Calendario loci; an vero Calendario Celebrantis respondere debeant Missae, quae celebrantur in Cappellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque maturo examine perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Dummodo agatur de Cappella principali (quae instar Oratorii publici, ad effectum memorati Decreti, habenda est), Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Et ita rescripsit.

Die 22 Maii 1896.

3911. CONGREGATIONIS

CLERICORUM REGULARIUM

SANCTI PAULI BARNABITARUM.

Rmus P. Aloisius Maria Cacciari Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, sequentia dubia circa Festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis vel Festum eiusdem Beatae Virginis sub titulo Matris Divinae Providentiae, nec non circa Officium Votivum S. Pauli, Sacrae Rituum Congregationi enodanda humillime subiecit; nimirum:

Congregatio Clericorum Regularium Barnabitarum, ab anno 1725 per Decretum Capituli Generalis posita est sub speciali tutela B. M. V., proptereaque *ex indulto S. Rituum Congregationis eiusdem anni,* Officium cum Missa propria facere consueverat Patrocinii B. M. V. sub ritu secundae classis, Dominica II Novembris. Nuperrime vero, pro suorum Alumnorum pietate in Almam Deiparam magis magisque fovenda, petiit atque impetravit, ex Rescripto S. R. C. dato die 28 Iulii 1888, eadem Dominica celebrare B. M. V. Festum sub titulo Matris Divinae Providentiae, cum Officio omnino proprio ac Missa propria sub ritu duplici primae classis. Super hoc autem recentiori Rescripto duplex dubium obortum est:

Dubium I. Quum nullum in Rescripto verbum habeatur de illius Festi translatione, quaeritur: An ubi cum ipso aliud Festum perpetuo vel per accidens occurrat eiusdem quidem ritus sed maioris dignitatis aut solemnitatis, Festum B. M. V. Matris Divinae Providentiae transferri valeat in primam insequentem Dominicam non impeditam Officio primae vel secundae classis, si aderit; et si non aderit, in primam diem liberam?

Dubium II. Quum Clerici Regulares Barnabitae Sacra Officia fere peragant iuxta Calendarium Dioecesis in qua degunt quaeritur: An sicubi ex peculiari ratione atque indulto Festum Patrocinii B. M. V. celebretur alia die quam Dominica II Novembris, teneantur et ipsi, vel saltem possint, illud

celebrare, licet Dominica II Novembris celebraturi sint Festum B. M. V. Matris Divinae Providentiae, iuxta indultum toti eorum Congregationi concessum?

DUBIUM III. Congregatio Clericorum Regularium Sancti Pauli ex Decreto Capituli Gen. anno 1892 sanxit ab Alumnis suis fruendum esse indulto dato per Breve Leonis XIII sub die 5 Iulii 1883 de singulis Officiis Votivis pro singulis hebdomadae Feriis recitandis. Quum autem in eodem Brevi expresse statuatur: firmis remanentibus aliis Votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis; eademque Congregatio ab anno 1725 indultum obtinuerit recitandi Officium Votivum S. Pauli Apostoli semel in hebdomada cum certis limitationibus; quaeritur:

An ipsi Congregationi liceat huiusmodi indulto ita abstinere ut aliud cuique Feriae assignatum in Brevi 5 Iulii 1883 praeferre valeat; excepta tamen Feria III, in qua extra Urbem recitare possit Officium Votivum S. Pauli Apostoli, iuxta privatum indultum; in Urbe autem Votivum Ss. Principum Apostolorum Petri et Pauli?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. « Pro gratia translationis Festi Matris Divinae Providentiae, quando sit impedita Dominica secunda Novembris, in primam Dominicam insequentem non impeditam Officio duplici primae vel secundae classis; vel hac impedita, in primam diem liberam iuxta Rubricas ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative; seu posse, manente tamen facultate recitandi Officium Votivum S. Pauli, si quando placeat, in terminis indulti ».

Atque ita rescripsit.

Die 22 Maii 1896.

3912. DUBIUM.

Quaeritur an Decretum generale diei 27 Augusti 1894 vim habeat obligandi quaslibet religiosas Congregationes utriusque sexus.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: An Decretum Generale ab eadem Sacra Rituum Congregatione die 14 Augusti 1894 editum, a Summo Pontifice die 27 eiusdem mensis et anni confirmatum, quo, ad ambiguitatem omnem tollendam et uniformitatem inducendam, methodus in professione et renovatione votorum intra Missam servanda statuitur, vi obligandi polleat penes quaslibet Religiosas utriusque sexus Congregationes?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative; ubi vota nuncupantur vel renovantur intra Missam ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Iunii 1896.

3913. ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM.

Rm̃us P. Vitalis Procurator Generalis Ordinis Praemonstratensium a Sacra Rituum Congregatione supplicibus votis efflagitavit sequentis dubii solutionem; nimirum:

Utrum indultum quo, anno 1884, Festum triumphi Sancti Norberti Pontif. Conf. super haeresi Tanchelini extensum fuit ad totum Ordinem Praemonstratensem, comprehendat etiam Moniales eiusdem Ordinis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, attentis expositis, rescribendum censuit:

« Affirmative, pro gratia ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Iunii 1896.

3914. CUSENTINA.

Rm̃us Dominus Franciscus Piraino, Decanus Capituli Cathedralis Ecclesiae Cusentinae et Vicarius Generalis Rm̃i Archiepiscopi, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium dubiorum solutione humillime deprecatus est; nimirum:

DUBIUM I. Missa Conventualis sine cantu celebrari ne debet praesente Capitulo? vel, eodem absente, celebrari valet? Et quatenus Affirmative ad primam partem,

DUBIUM II. Potestne Capitulum, dum Missa dicitur, parvas Horas recitare?

DUBIUM III. Missa ex legato aut Votiva de Beata Virgine potestne, uti Conventualis, cantari post Tertiam? vel Missa ex legato cani debet post Primam, altera Votiva post Nonam, iuxta Rubricas?

DUBIUM IV. Diebus 7 Februarii, 8 Martii, 4 et 12 Octobris canitur, assistente Capitulo,

Missa Votiva solemnis de Beata Virgine pro gratiarum actione; diebus 5 et 6 Februarii Missa de SSma Trinitate et de Spiritu Sancto; die vero 12 Iunii Missa Votiva de Beata Virgine in memoriam coronationis prodigiosae Imaginis a Pilerio dictae, Civitatis Patronae; denique alia Missa solemnis Votiva de Beata Virgine canitur in duobus novemdialibus duas eiusdem Patronae solemnitates praecedentibus; atque etiam in novem Feriis IV, quae unam praecedunt ex praefatis solemnitatibus. Hae autem Missae, ex antiquo more, canuntur (dictis diebus) ante omnes Horas Canonicas, secus non foret populus frequentior. Quaeritur: Num huiusmodi consuetudo continuari possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et serventur Rubricae ».

Ad IV. « Affirmative; dummodo de singulis Missis, prout in dubio, habeatur indultum ».

Atque ita respondit ac rescripsit.

Die 5 Iunii 1896.

3915. FACULTAS LITANDI UNAM MISSAM DE REQUIE.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad levamen animarum quae in Purgatorio detinentur, Sacrae Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis petentibus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis aliisque Praelatis, quibus Oratorii privati privilegium de iure competit, permitti possit in eodem Oratorio unica Missa privata de Requie, defunctis applicanda, infra hebdomadam, diebus non impeditis a Festo ritus duplicis quod iure translationis polleat, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis necnon a Vigiliis, Feriis Octavisque privilegiatis; et servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 Iunii 1896.

3916. MONTIS ALBANI.

Rmus Dominus Adulphus Fiard Episcopus Montis Albani a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Num prohibitio recitandi aut cantandi in Ecclesiis seu Oratoriis publicis Litanias de quibus agitur in Decreto Sacrae Rituum Congregationis diei 6 Martii 1894, complectatur etiam quamlibet earum recitationem, a pluribus coniunctim in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, absque ministri Ecclesiae *qua talis* interventu factam?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, ad propositum dubium respondendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Iunii 1896.

3917. BISUNTINA.

Rmus Dominus Fulbertus Petit, Archiepiscopus Bisuntinus in Galliis, Sacram Rituum Congregationem pro sequentis dubii solutione humiliter rogavit; nimirum:

Num Moniales Ordinis a Visitatione Beatae Mariae nuncupati, post Decretum datum die 6 Martii 1894 super Litaniis, possint retinere antiquissimam consuetudinem recitandi aut cantandi in Choro, quod habent separatum ab Ecclesia per crates, Litanias S. Francisci Salesii atque alias quae non habentur in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolica Sede approbatis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, respondendum censuit:

« Negative; iuxta Decretum diei 6 Martii 1894 ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Iunii 1896.

3918. DUBIUM.

Per Decretum S. C. Indulgentiarum die 22 Aprilis 1742 editum et in Actis Sacrae Rituum Congregationis exhibitum die 29 Ianuarii 1746, ubicumque Festum S. Aloisii Gonzagae Conf. cum solemnitate fieri contigerit, dies pro eodem Festo, in singulis Ecclesiis et Oratoriis, a Rmis locorum Ordinariis opportune designanda permittitur, cum extensione, ad praedictam diem, In-

dulgentiae plenariae a Christifidelibus in forma Ecclesiae consueta lucrandae; et Officii et Missae propriae de ipso Angelico Iuvene a Clero peragendae.

Hinc a nonnullis ecclesiasticis Curiis postulatum fuit:

Num, iuxta praxim Sacrae Rituum Congregationis, omnes Missae propriae de Sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a Rm̃is Ordinariis, ut in casu, designata?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario reque mature perpensa, rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo non occurrat duplex primae classis aut Dominica privilegiata item primae classis, quoad Missam solemnem; aut etiam duplex secundae classis nec non Dominicae, Feriae, Vigiliae, Octavaeque privilegiatae, quoad Missas lectas; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus; servatis Rubricis ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1896.

3919. ORDINIS

MINORUM CAPUCCINORUM

SANCTI FRANCISCI.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek Calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Ministri Provincialis ac Rm̃i P. Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

Dubium I. An Festum mobile vel immobile, quod de Apostolica venia extra diem suam assignatum fuit vel permissum fuit celebrari ob perpetuum impedimentum, cessante hoc impedimento, diei suae restitui debeat, iuxta Decretum in Neapolitana 18 Octobris 1818, ad 8?

Dubium II. Num in Festis secundariis dignitas personalis attendenda sit in concurrentia, quando eiusmodi Festa quoad ritum et reliqua aequalia sunt?

Dubium III. Quando eadem die duo Festa occurrunt, unum fixum seu immobile et alterum mobile, ceteris paribus, quodnam ex iis transferri debet, si ambo translationis privilegio gaudeant?

Dubium IV. An, occurrente die 16 Ianuarii Festo primario et immobili Ss. Martyrum Ordinis Minorum Berardi et Sociorum cum Festo secundario et mobili eiusdem secundae classis Dominicae II post Epiphaniam affixo, scilicet SS. Nominis Iesu, huic praeferentia debeatur?

Dubium V. An, obtento indulto transferendi particularia Officia Dominicis aut Feriis affixa, si haec accidentaliter vel perpetuo impediantur, transferri valeant ac debeant in primam insequentem diem liberam, tanquam in sedem propriam?

Dubium VI. An indultum fel. rec. Pii Papae VI, diei 30 Augusti 1794 datum et Bullario FF. Min. S. Francisci Capuccinorum, tom. IX, pag. 225, insertum, etiam extendatur ad Festum S. Iacobi de Marchia Conf. ritus duplicis secundae classis?

Dubium VII. An in particularibus Calendariis Ordinis Minorum Capuccinorum prohibitum sit diei 1 Decembris, quae libera est in Calendario universi Ordinis, fixe apponere Officium sua die ob occurrentiam perpetuo impeditum? Et quatenus Negative,

Dubium VIII. An Officium diei 1 Decembris affixum, quod esset ritus inferioris, imo et aequalis sed minoris dignitatis, ab illa die amoveri debeat si translationis privilegio polleat, ut locum suum cedat Festo accidentaliter impedito, sive S. Iacobi de Marchia, sive Omnium Sanctorum Ordinis, sive S. Andreae Apostoli?

Dubium IX. Ubi Festum SS. Cordis Iesu, vel Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis est titulus Ecclesiae, utriusque Festi octava tum quoad Officium tum quoad commemorationem postponendane est octavis Festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli?

Dubium X. Secundae Vesperae Festi primarii ritus duplicis minoris concurrentis cum primis Vesperis diei octavae Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel diei octavae Festi Omnium Sanctorum suntne dimidiandae; vel dicendae de sequenti cum commemoratione praecedentis?

Dubium XI. Num in secundis Vesperis diei octavae Corporis Christi, Vesperae dicendae sint de Festo SS. Cordis Iesu, sine commemoratione praecedentis, in Ecclesia ubi hoc Festum est titulus et proinde primarium per accidens?

Dubium XII. An Commemoratio S. Pauli Apostoli, ubi est impedita, privilegio gaudeat translationis super aliis Officiis duplicis maioris antea translatis, sive primariis, sive secundariis?

Dubium XIII. Quodnam Calendarium se-

qui debeant illi, qui praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo Conventu absunt?

Dubium XIV. An ubi die 18 Augusti Festum agitur alicuius Sanctae Virginis et Martyris cum Missa *Loquebar* aut *Dilexisti*, Secreta et Postcommunio S. Agapiti Mart., in casu commutanda, desumenda sit ex Missa *In virtute*; aut ex alia *Laetabitur*?

Dubium XV. An licitum sit, absque peculiari indulto, ad diem 30 Decembris fixe apponere Officium ritus vel semiduplicis, vel duplicis, vel potioris, per annum ante diem 30 Decembris celebrandum, quod tamen ob occurrentiam perpetuam sua die perpetuo impeditur?

Dubium XVI. Quando plura simul Provinciae vel unius alteriusque Conventus Officia particularia fixe sunt transferenda, utpote sua die perpetuo impedita, quaenam prius transferenda seu assignanda sunt?

Dubium XVII. Ubi unus tantum Sacerdos, quoad Missae celebrationem, addictus sit Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus quarumcumque piarum Communitatum; hic si Secularis teneturne sequi Calendarium Dioecesis in qua extat Oratorium? et si Regularis Calendarium Ordinis, si proprio gaudeat, relinquere? et si aliquando celebrent extranei, hi debentne se conformare Calendario Sacerdotis eiusmodi Oratoriis addicti?

Dubium XVIII. Num in Ecclesiis et Oratoriis Monialium aut Religiosarum quae chorale Officium habent, quilibet Sacerdos Missam Conventualem seu Solemnem celebrans, Officio earumdem conformem semper dicere teneatur?

Dubium XIX. An in casu quo unus dumtaxat Sacerdos apud praefatas Moniales seu Religiosas celebret, possit ipse diebus semiduplicibus vel ferialibus semper seu saltem aliquando, loco Missae diei currenti conformis, celebrare Missam Votivam vel de Requie?

Dubium XX. Utrum idem Sacerdos apud dictas Moniales vel Religiosas Missam Conventualem ante vel post Primam celebrare valeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae ac re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Ceteris paribus, praecedentia competit Festo diei mensis affixo; iuxta Decretum in Viglevanen. diei 21 Februarii 1896, ad primum ».

Ad IV. « Negative; et servetur Decretum Generale diei 27 Iunii 1893, confirmatum a Summo Pontifice die 2 Iulii eiusdem anni ».

Ad V. « Affirmative ».

Ad VI. « Servetur Rubrica specialis Breviarii Ordinis Minorum Capuccinorum, recenter approbati, typisque Salviucci 1894 editi ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Provisum in praecedenti ».

Ad IX. « Affirmative; iuxta Decretum *Urbis* diei 22 Maii 1896, in responsione ad tertium ».

Ad X. « Quoad concursum duplicis minoris cum die octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, servetur Rubrica specialis dicti Breviarii; quoad concursum vero duplicis minoris primarii cum die octava Festi omnium Sanctorum: Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad XI. « Negative; et servetur Decretum *Urbis et Orbis* datum die 23 Iunii 1889 ».

Ad XII. « Negative; et servetur Rubrica Generalis Breviarii Romani, Tit. X De Translatione Festorum, num. 7: uti et Decretum Generale supra primariis et secundariis Festis ».

Ad XIII. « Si in Choro, standum Calendario Coenobii apud quod Religiosi hospitantur; si privatim servandum Calendarium Coenobii a quo discesserunt ».

Ad XIV. « Secreta et Postcommunio sumantur, in casu, e Missa *Laetabitur*, quae in recentioribus editionibus Missalis assignatae sunt pro S. Agapito Mart. ».

Ad XV. « Affirmative; iuxta Rubricas ».

Ad XVI. « Calendarium cuiuscumque Provinciae redigatur super Calendario perpetuo Ordinis; Calendarium vero cuiuscumque Coenobii super Calendario respectivae Provinciae ».

Ad XVII. « Affirmative in omnibus, si Oratoria habenda sint ut publica; secus, Negative ».

Ad XVIII et XIX. « Servandum Decretum Generale diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eodem anno ».

Ad XX. « Missa Conventualis celebranda est Horis a Rubrica statutis ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Iunii 1896.

3920. DECRETUM GENERALE.

Orationum et Sequentiae in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat :

I. « Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus III, VII, XXX et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis ».

II. « In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis ».

III. « Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant ; eodemque ordine quo ibi sunt inscriptae ».

IV. « Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato ».

« Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis, iuxta Rubricas ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Iunii 1896.

3921. DECRETUM.

Quoad plures Missas canendas in eadem Ecclesia, eadem die et de eodem Officio.

Cum per plura particularia Decreta, iam alias edita, Sacra Rituum Congregatio declaravit in eadem Ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem Officio ; in praesenti, ut plurium votis satisfaciat, opportunum ac propemodum necessarium iudicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat :

« Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quae, praeter Conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale Officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Iunii 1896.

3922. DECRETUM GENERALE

DE MISSIS VOTIVIS.

Missae Votivae, vel cum Officio diei et ipso Votivo concordant, vel haud conformiter ad ipsum celebrantur.

Posteriores vero istae, vel solemniter aguntur pro re gravi et publica Ecclesiae causa ; vel privatim, aut saltem ex causa privata celebrantur.

I.

De Missis votivis, quae cum Officio concordant.

Huiusmodi Missae Votivae naturam et ritum Officii, cui adnectuntur, sequuntur, his tamen adnotatis :

Missa de SS. Sacramento in V Feriis sit illa Votiva, quae notatur in fine Missalis, (haud vero ut in ipsa solemnitate Corporis Christi) ac proinde dicatur sine Sequentia.

Orationes dicantur, non ut infra octavam eiusdem solemnitatis, sed tempori congruentes.

Quae omnia servanda sunt in ceteris huiusmodi Missis Votivis.

Symbolum in quibuslibet Missis Votivis huiusmodi, quae scilicet conformiter ad Officium celebrantur, semper omittatur, etiamsi sub ritu Duplici maiori aliquando sint concessae.

II.

De Missa Votiva solemni pro re gravi, et publica Ecclesiae causa.

1. Missa Votiva solemnis pro re gravi et publica Ecclesiae causa illa est, quae Officio per se non respondens, ab Episcopo, vel de eius consensu, pro qualibet vice obtinendo, solemniter celebratur cum interventu Magistratus, aut saltem Cleri et populi; et pro quadam spirituali vel temporali necessitate, quae communitatem ipsam afficiat: v. g. ad petendam pluviam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro Principe infirmo, ac similibus.

2. Missa Votiva solemnis pro re gravi celebrari potest qualibet die, exceptis Dominicis 1 classis, ac Festis duplicibus pariter 1 classis, Feria IV Cinerum, Feriis Hebdomadae Maioris et Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini: in quibus sola commemoratio fieri poterit in Missa solemni de die, per Orationem Missae Votivae post Orationem Festi sub unica conclusione, etsi alia commemoratio deinde vi Rubricarum fieri debeat.

Verum in Ecclesiis, quae ad Missam Conventualem tenentur, Votiva solemnis pro re gravi non celebretur, nisi prius celebrata fuerit Missa Conventualis de Officio occurrente.

3. Missa Votiva huiusmodi ex his desumenda est, quae uti Votivae in Missali designantur. Quod si, occurrente aliqua gravi et urgente necessitate, Missa specialis in Missali deficiat, dicatur Missa *pro quacumque necessitate;* et huius Orationi sub unica conclusione superaddatur Collecta, si quae sit, necessitati relativae propria.

Ceterum in Missis Votivis solemnibus pro re gravi unica dicenda est Oratio, etsi una tantum cantetur Missa, ut accidit in Ecclesiis, ubi onus Missae Conventualis non existit.

In huiusmodi Missis semper dici debent *Gloria in excelsis* et *Credo,* nisi Missa celebretur in paramentis violaceis, iuxta Rubr. Miss. Tit. XVIII, Num. 5, quia tunc non dicitur *Gloria.* Cum vero *Gloria* et *Credo* dicuntur, nunquam ad Orationes genuflectitur.

Praefatio dicatur iuxta Rubr. Miss. Tit. XII, Num. 4: ita quidem ut infra quamcumque octavam etiam privilegiatam, Praefatio dicatur Missae Votivae propria, si habeatur, cum *Communicantes* de octava. Die vero Dominica, Praefatio, si Missa Votiva propriam non habeat, dicatur de Dominica, non de Festo. Item Praefatio dicenda est in cantu solemni et Organa pulsari possunt.

Color vero paramentorum erit iuxta qualitatem Missae, quae celebratur.

III.

De Missis Votivis privatis vel ex privata causa in genere.

1. Dici possunt ut Votivae, Missae omnes quae in fine Missalis sub hac designatione ponuntur, necnon illae quae in corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur, quales inter alias Missa *Miserebitur* de SS. Corde Iesu et Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione.

Missae Votivae dici tantum possunt de quibuscumque Sanctis canonizatis, in Martyrologio Romano descriptis: pro quibus adhibenda est sive Missa propria, si habeatur, sive illa de Communi, ad quam Oratio forte pertineat, sive altera pariter de Communi: desumptis quidem de Communi quae in Missa propria forsitan desunt, vel tempori non conveniunt, omissisque verbis *annua, hodie,* ac similibus, et mutatis *natalitia, solemnitas, festivitas* in *commemoratio, memoria.*

2. Missae Votivae, sive privatae (etiamsi dicantur pro aliqua causa gravi), sive solemnes (nisi pro re gravi), sicut et Missae privatae pro Defunctis, omnino prohibentur in Vigiliis et per octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Feria IV Cinerum, a Dominica Palmarum usque post octavam Paschae, in Vigilia Pentecostes et per octavas Pentecostes et Corporis Christi; necnon in Dominicis per annum et in Festis Duplicibus, etiam non de praecepto, quacumque consuetudine non obstante.

3. Missae Votivae huiusmodi fiant sine *Gloria* et sine *Credo,* etiamsi de Patrono vel Titulari, vel, per speciale indultum, in die Dominica et in Festis Duplicibus, vel etiam intra octavas celebrentur, nisi sint de die infra ipsam octavam; quo in casu celebrandae essent ut in Festo, idest cum *Gloria* et *Credo.*

Orationes dicantur diei et tempori congruentes, etiam in Missa Votiva de SS. Sacramento. Quod si infra octavam Missa Vo-

tiva dicatur, secunda Oratio erit de octava, tertia autem de tempore.

Quoad Praefationem, servetur Rubrica Generalis Tit. XII, Num. 4.

In Missis Votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Ioannis *In principio* iuxta Rubr. Tit. XIII.

IV.

In specie: De Missis Votivis solemnibus ex causa non publica celebratis.

1. Missae Votivae, quantumvis solemnes, quae pro re non gravi et ex causa non publica celebrantur, etiamsi in forma novemdialis vel octidui ante vel post aliquam Solemnitatem agantur, nullimode celebrentur in Dominicis et Festis Duplicibus nisi ex indulto speciali.

Nec Votiva de Spiritu Sancto, vel alia, supradictis diebus licet celebrari, quacumque consuetudine non obstante, ob vestitionem vel professionem Monialium; sed neque ab ipso Episcopo in eligendam Abbatissam Monasterii suae iurisdictionis.

Immo ante Processionem SS. Sacramenti, sive infra sive extra octavam Corporis Christi, vel qualibet tertia Dominica mensis, Missa coram SS. Sacramento cantari solita celebranda est de Dominica seu de Festo Duplici occurrente, cum commemoratione Sacramenti.

Missae Votivae solemnes semper cantentur post Nonam, ad formam Rubricarum.

2. In Ecclesiis quae ad Missam Conventualem tenentur, si Missa Votiva solemnis ex causa non gravi vel ex fundatione celebretur, nunquam omittatur Missa Conventualis de die: tunc vero in Missa Votiva fieri non debet Commemoratio Festi, de quo Missa Conventualis celebrata fuit.

In ceteris vero Ecclesiis, si de Festo currenti prius alia Missa celebrata non fuerit, in Missa Votiva addantur tam Oratio diei quam aliae occurrentes.

Ceterum in Missis Votivis huiusmodi, utcumque solemnibus, nisi pro re gravi et publica Ecclesiae causa, vel vi specialis indulti celebrentur, *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur. Quod servetur etiam in novemdialibus, quibus Sanctorum Festa nonnumquam praeveniuntur, vel in octiduo quod sequitur.

In Missa Votiva de Passione, quae Feriis VI per annum alicubi celebrari solet, colore utendum est violaceo, iuxta Rubricas, nec pulsanda sunt Organa.

3. Missae Votivae ex fundatione vel legato (de quibus iam supra aliquid innuimus) easdem normas ac ceterae Votivae, sequuntur: ita ut legi vel cantari nequeant in Festis Duplicibus aut in diebus, in quibus nec de Duplici fieri possit.

Ideo Sacra Congregatio, auctoritate summi Pontificis, die 5 Augusti 1662 mandavit ne in futurum recipiatur obligatio ad Missas Votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt.

Missae vero Votivae, iam acceptatae et nondum celebratae, dicantur aliis diebus non impeditis; atque in horum defectu, pro Votivis sufficiat applicare valorem Missae currentis quae quidem, si opus sit, fiat cum cantu, aut etiam sine cantu ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda et approbanda.

V.

De Missis Votivis Beatae Mariae Virginis.

1. Missa Votiva de Beata Virgine, sive sit privata sive solemnis, etiam pro re gravi, debet esse una ex Votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum, aliave approbata ut Votiva dicatur, ut Missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et Missa Septem Dolorum. Missae vero propriae de Festivitatibus Beatae Mariae non celebrentur, nisi diebus in quibus dictae solemnitates occurrunt et per earum octavas: quod servetur etiam si huiusmodi Missae ex praescripto et institutione fundatorum petantur; quibus fiet satis celebrando aliquam ex Votivis B. M. V. iuxta temporis occurrentiam.

Contra vero, in Festivitatibus et infra octavas eiusdem Beatae Virginis celebretur Missa Festivitatis aut de die infra octavam, tamquam non Votiva, sed Festiva.

Pariter die quo Officium Votivum de Beata Virgine ex indulto. recitatur, Missa Votiva sumatur quae respondeat Officio.

Immo in Vigilia Assumptionis (similiter et Immaculatae Conceptionis) B.M.V., etiam in implementum oneris, celebretur Missa de Vigilia; quippe qua et universalis Ecclesiae ritui et particulari oneris implemento consulatur.

2. In Missis Votivis de B. M. V., quae celebrantur in Sabbatis per annum et in Sab-

batis Adventus, dicatur Hymnus *Gloria in excelsis,* etiamsi Officium non fiat de ea: nunquam vero dicatur extra Sabbatum, nisi infra octavas eiusdem beatae Virginis; etiamsi talis Missa celebretur ex legato, neque obstante consuetudine etiam immemorabili. Sacerdos vero, qui ex indulto quotidie celebrat Missam Votivam de B. M. V., *Gloria in excelsis* dicat in Sabbato, uti supra, haud vero infra octavas eiusdem Beatae Virginis.

Tres saltem Orationes, iuxta Rubricas, dicantur, etiam in Missis Votivis huiusmodi, quae ex indulto quolibet anni Sabbato cantari solent.

Credo in Missis Votivis B. M. V. semper omittatur, nisi sint de die infra eiusdem Octavas; nequidem iis exceptis, quae sive in Cleri conventibus, sive ex legato, sive quolibet Sabbato ex indulto celebrantur.

In Missis Votivis de B. M. V. color albus semper adhibeatur, non autem caeruleus, nisi ex privilegio.

3. Missae Votivae B. M. V., etiam novemdiales, debent esse ex Votivis ut supra; nunquam vero propriae de Festivitatibus eius, nisi in ipsis Festivitatibus et per octavas earum. Missae huiusmodi, utcumque solemnes, celebrentur sine *Gloria* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: nisi speciale habeatur indultum.

Quae de Missis novemdialibus dicta sunt, eadem fere dicantur de Missa *Rorate* in honorem Beatae Virginis quotidie per Adventum in aliquibus Ecclesiis cantari solita: quae quidem neque in Dominicis aut Festis duplicibus, neque cum unica Oratione et cum *Gloria* et *Credo* celebranda est, nisi peculiare interveniat indultum. Quo quidem obtento, non omittatur Missa Conventualis in Ecclesiis Collegiatis aut Conventualibus, vel Missa occurrentis Festi de praecepto in minoribus Ecclesiis.

VI.

De Missa pro Sponsis.

In celebratione Nuptiarum, extra diem Dominicum, vel alium diem Festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae classis, dicenda est Missa pro Sponso et Sponsa, in fine Missalis post alias Missas Votivas specialiter assignata. In diebus vero Dominicis aliisque diebus Festis de praecepto, necnon diebus Duplicia excludentibus, dicenda est Missa de die cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa, et quidem etiam in Festis primae classis, sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de praecepto, si quae faciendae.

Missa pro Sponsis, et in ea benedictio nuptialis, fieri potest etiam in casu, quo Sponsi infra hanc Missam Sacram Communionem non percipiant.

Eadem Missa, cum sit Votiva privata, semper celebranda est, etiam si fiat in cantu, sine *Gloria in excelsis* et sine *Credo* et cum tribus Orationibus: 1ª scilicet eiusdem Missae Votivae propria, 2ª et 3ª diei occurrentis ut in Rubr. Tit. VII, Num. 3 *De Commemorationibus;* necnon in fine *Benedicamus Domino* et ultimo Evangelio S. Ioannis.

Temporibus vero prohibitis, Nuptiae quidem celebrari possunt de licentia Episcopi, at sine solemnitate, ideoque privatim; et omissis Missa et benedictione. Neque, iisdem temporibus, Commemoratio pro Sponsis fieri potest in Missa occurrente.

Verum ex Decreto Generali S. R. Universalis Inquisitionis dato die 31 Augusti 1881, benedictio nuptialis impertienda est extra tempus feriatum iis coniugibus, qui eam quacumque ex causa non obtinuerint, Missaque pro Sponso et Sponsa simul celebranda, diebus praescriptis ut supra.

Benedictio enim Nuptiarum in Missali posita, si Sponsi eam petierint, (ceterum ad eam non adigendi, bene tamen adhortandi) ab ipsa Missa pro Sponso et Sponsa abstrahi nunquam potest, sed infra eam omnino debet fieri.

Notandum est tamen, quod si mulier est vidua et alias benedicta fuerit, omittenda est tam benedictio Nuptiarum, quam Missa propria pro Sponso et Sponsa.

Non obstantibus Decretis quibuscumque particularibus in contrarium facientibus, quae per hoc Generale Decretum uti revocata ac nullius roboris habenda esse Sacra Rituum Congregatio declarat.

Die 30 Iunii 1896.

3923. PLURIUM DIOECESIUM.

Cum Sacra Rituum Congregatio expetita fuerit a plurium Dioecesium Episcopis num attenta multiplicatione Officiorum quae sub ritu duplici maiori conceduntur, expediat adhuc in dictis Officiis legere Lectiones I Nocturni de Communi Sanctorum, nisi propriae habeantur, pro Scriptura occurrente;

Sacra eadem Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque maturius perpensa, respondendum censuit:

« Praesentibus rerum adiunctis inspectis, Lectiones I Nocturni proprias vel de Communi Sanctorum esse in posterum adhibendas tantum pro Duplicibus I vel II classis; illis tamen Lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus seu etiam minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus vel adiunctis Sacra Rituum Congregatio approbare deinceps censuerit ».

Atque ita declaravit servarique mandavit.

Die 30 Iunii 1896.

3924. STRIGONIEN.

Rev. Dominus Theophilus Klinda, Ordinator Calendarii Strigoniensis, de mandato Emi ac Rmi sui Archiepiscopi ac Primatis Regni Hungarici, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

Dubium I. An tertia Oratio dicenda *ad libitum Sacerdotis* seligi possit ex Missa in Anniversario electionis seu consecrationis Episcopi? Et quatenus Affirmative: Anne haec eadem Oratio, uti Collecta, loco tertiae ad libitum imperari valeat, Ordinario loci aegrotante, aut die natali vel onomastica eiusdem recurrente?

Dubium II. Sacra Rituum Congregatio saepius declaravit Missas proprias de Festivitatibus Beatae Mariae Virginis celebrari non posse tanquam Votivas, nisi earum octavas quas habent. Hinc quaeritur: An Missa SSmi Rosarii B. M. V. eximatur ab hac regula et, mutatis mutandis, celebrari valeat uti Votiva; et mense Octobri etiam extra Sabbatum, ratione cuiusdam solemnitatis, recitari in huiusmodi Missa Votiva possit *Gloria?*

Dubium III. Evulgatum Sacrae Rituum Congregationis Decretum *Urbis et Orbis* diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eodem anno, quo firma ac certa norma pro celebranda Missa in aliena Ecclesia constituta est, patiturne aliquam exceptionem, adeo ut liceat Missam Officio Proprio ritus classici convenientem celebrari aut saltem Symbolum eiusmodi Officio conforme addi, quando in primo et altero casu idem sit color Officii Proprii ac Officii alienae Ecclesiae?

Dubium IV. Commemoratio SSmi Sacramenti facienda in Missa coram SSmo exposito, servatis Rubricis, non excluditur in Festis Domini, iuxta Decreta, dummodo non versetur in eodem Mysterio. Hinc quaeritur: « An praedicta Commemoratio omittenda sit in Festis et infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Circumcisionis et Transfigurationis Domini; itemque in Festis SS. Nominis Iesu, SS. Redemptoris et Passionis Domini, prouti ex Decretis omittitur in Festis SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis? »

Dubium V. Iuxta Rubricas et Decreta Missa Votiva solemnis de Patrono transferendo infra octavam Paschae et Pentecostes, praeter Feriam II et III, celebrari potest, non omissa Conventuali aut Parochiali Missa de die, ubi eam celebrandi adsit obligatio. Hinc quaeritur num talis Missa Votiva solemnis de Patrono transferendo decantari valeat in Dominicis Passionis, in Albis et SSmae Trinitatis?

Dubium VI. Festum classicum particulare v. g. Tutelaris Ecclesiae aut Patroni loci, occurrens diebus infra octavam privilegiatam ac proinde ab Officio occurrente impeditam, potestne eo anno transferri ad primam diem immediate post octavam et impeditam, translato inde Festo alio occurrente, si transferri potest; sin vero, hac vice, simplificato aut omisso?

Dubium VII. Recentiores editiones Proprii Hungariae Symbolum in Missa S. Ladislai Conf. Regis recitandum praescribunt. Hinc quaeritur: An ab editione, quae mox adornabitur, expungenda sit in dicta Missa Rubrica: *Et dicitur Credo?*

Dubium VIII. In Oratione Festi S. Ioannis Eleemosynarii Episc. Conf., non obstante Decreto diei 25 Septembris 1852 in una Venetiarum ad dubium octavum, legitur pronomen: *Eleemosynarii*. Hinc quaeritur num hoc pronomen supprimendum sit in nova editione Proprii Hungariae?

Dubium IX. Quum in plurimis Ecclesiis, die Festo S. Marci Evangelistae, celebretur unica tantum Missa Rogationum; quaeritur:

1°. Utrum ea omnino debeat cantari; an possit esse lecta?

2°. An in ea Missa fieri debeat Commemoratio Festi S. Marci aut Dominicae in Albis, quae proxime futuro anno occurret?

Dubium X. Feria IV Rogationum, quae est Vigilia Ascensionis Domini, in Missa Rogationum, quae unica in eadem Ecclesia celebratur cum commemoratione Festi oc-

currentis, fierine debet etiam commemoratio Vigiliae? necnon lectio Evangelii eiusdem Vigiliae in fine?

Dubium XI. Dominica III Adventus quomodonam concludendi sunt Hymni, et quale dicendum Responsorium breve ad Primam, infra octavam Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto unius ex eiusdem Sacrae Congregationis Consultoribus, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam; et detur Decretum diei 17 Augusti 1709 in Bergomen. in responsione ad dubium II ».

Ad II. « Negative in omnibus; iuxta Decretum in Neapolitana diei 23 Februarii 1884, ad dubium V ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Commemorationem SS̃mi Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solummodo omittendam esse in Festis Passionis, Crucis, SS̃mi Redemptoris, SS̃mi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Negative, sine speciali indulto ».

Ad VII et VIII. « Affirmative ».

Ad IX. « Quoad primam quaestionem: Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; et detur Decretum diei 14 Augusti 1858 in Briocen. ad III. Quoad alteram quaestionem: Affirmative; et detur Decretum diei 29 Maii 1846 in Tuden. ad II ».

Ad X. « Negative, ad utrumque ».

Ad XI. « Hymni concludi debent: *Iesu tibi sit gloria etc.;* et ad Primam dici debet ℣. *Qui natus etc.* iuxta editionem typicam Breviarii Romani ».

Atque ita rescripsit.

Die 3 Iulii 1896.

3925. ORDINIS

MINORUM CAPUCCINORUM

S. FRANCISCI.

R. P. Antonius a Calmpthoutschenhoek, Calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui admodum Rev. P. Provincialis et R̃mi P. Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime rogavit; nimirum:

Dubium I. Utrum Beatorum Officia, ubi sunt indulta, iisdem subiaceant Rubricarum normis super translatione Festorum, quibus Officia Sanctorum?

Dubium II. Si Sedes Apostolica praescribit novum Festum aut Officium celebrandum die sua natalitia, et in aliqua particulari Ecclesia haec dies sit impedita alio Festo aut Officio, quod pariter in die natalitia recolitur, sed novum Festum aut Officium est dignius; quodnam ex iis praeferri debeat?

Dubium III. 1. An sustineri valeat omnia universo Ordini Capuccinorum concessa particularia Officia mobilia Dominicis aut Feriis affixa, quando sua die accidentaliter impediantur, absque speciali indulto transferri posse, servatis Rubricis; quasi recensenda forent inter Officia ex praecepto agenda, utpote verbis non facultativis sed praeceptivis concessa? Et quatenus Affirmative, An idem dicendum sit, si agatur non de Breviario, sed de Calendario a Sancta Sede approbato?

2. In universo Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, die 5 Octobris, ritu duplici celebratur Commemoratio Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis, eademque die in Breviario ipsius Ordinis illa Rubrica de Officii Defunctorum recitatione legitur, quae habetur in Breviario Romano ad diem II Novembris. Hinc quaeritur: Num Fratres Minores Capuccini etiam extra Chorum in recitatione privata teneantur praedicta die 5 Octobris ad recitationem Officii Defunctorum, et quidem sub eadem obligatione gravi, qua idem Officium die II Novembris praecipitur in universa Ecclesia?

3. An non tantum Minores Capuccini, sed etiam alii Regulares proprio Breviario vel Calendario utentes, ad Chorum addicti vel non addicti, si degant in loco ubi iam celebrant Patronum Loci, teneantur insuper celebrare Patronum Provinciae et Regni et Dioecesis?

4. Utrum Minores Capuccini et praedicti Regulares, habitantes in Civitate Bruxellensi in Belgio, debeant ibidem sub ritu duplici primae classis absque octava celebrare una cum Clero Seculari vel Festum S. Gudilae Virg. die 8 Ianuarii, vel tantummodo Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli die 29 Septembris, vel utrumque Festum, quia duo illi Sancti habentur ut Patroni quasi aeque principales Civitatis Bru-

xellensis et Ecclesiae Collegiatae, atque a toto Clero Seculari Bruxellensi sub ritu duplici primae classis cum octava recoluntur?

Dubium IV. Sacra Rituum Congregatio Ordini Minorum Capuccinorum concessit, ut Officia, quae privilegio translationis fruuntur et sunt accidentaliter impedita, nec tamen in dies liberas intra annum reponi possunt, quia huiusmodi dies deficiunt, transferri valeant in dies Festorum semiduplicium, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis, dummodo nulla dies libera omittatur. Hinc quaeritur:

1. An extet aliqua lex statuens ordinem, quo praedictae translationes fieri debeant in semiduplicia?

2. An fieri debeant in proximiora Festa ritus semiduplicis?

3. Num curandum sit, ut quolibet mense una saltem dies libera supersit Festi semiduplicis pro Missis Votivis, vel de Requie pro defunctis?

4. An Festum duplicis minoris, quod transferri potest, uti S. Ecclesiae Doctoris et sua die accidentaliter impeditur, transferri valeat in dies II Novembris et V Octobris, quibus diebus fit solemnis Commemoratio sive Omnium Fidelium Defunctorum, sive Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis Minorum Capuccinorum?

5. Anne quando plura et diversa sunt in Directorio Officia, sua die accidentaliter impedita, transferenda pro Conventibus respectivis, tunc pro hoc illove Conventu, antequam reponantur, liceat nonnulla Festa ritus semiduplicis eum in finem omittere, ut in omnibus Conventibus, quantum fieri potest, eadem die recolantur Officia translata?

Dubium V. 1. Regulares in Belgio et Gallia commorantes, qui die determinata ex Apostolica concessione celebrant, sub ritu duplici primae classis cum octava, Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, debentne, iuxta Decretum Cardinalis Caprara, una cum Clero Seculari die Dominica post octavam Omnium Sanctorum celebrare Dedicationem omnium Ecclesiarum Ditionis sub ritu duplici primae classis cum octava? Et quatenus Affirmative,

2. Quanam die debent praedictum Festum celebrare, si in Dioecesi in qua morantur, haud Dominica immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum, sed alia die celebratur ex Apostolica derogatione facta Decreto Cardinalis Caprara?

3. Regulares praedicti, qui tamen die aliqua determinata non celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, quanam die debent Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ditionis celebrare, si in Dioecesi, in qua morantur, haec Dedicatio alia die celebraretur ac Dominica immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum?

Dubium VI. 1. An Regulares proprio utentes Calendario vel Breviario teneantur in Dioecesibus antiquae Provinciae Ecclesiasticae Mechliniensis, in hodierna Dioecesi Tornacensi et in Archidioecesi Cameracensi se conformare Clero Seculari in iis, quae, quoad celebrationem et translationem Festi Annuntiationis, statuta sunt vel per Concilia Provincialia ab Apostolica Sede approbata, vel per Decreta particularia Sacrae Rituum Congregationis?

2. Utrum iidem Regulares in supradictis Dioecesibus sese conformare Clero Seculari debeant in iis, quae super celebratione et translatione Festi S. Marci, Litaniis Maioribus ac abstinentia a carnibus statuta sunt ex Decretis particularibus, ab ipsa S. Sede approbatis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit:

Ad Dubium I. « Affirmative ».

Ad Dubium II. « Novum, prout dignius, praeferendum; et antiquum transferendum ».

Ad Dubium III. Quoad 1. « Affirmative ad utrumque ».

Quoad 2. « Affirmative ».

Quoad 3. « Affirmative, si liquido constet de concessione Apostolica; iuxta Decretum in una Ordinis Minorum de Observantia diei 20 Martii 1683 ad IV ».

Quoad 4. « Regulares tenentur ad celebranda Patronorum Festa, quae cum feriatione recoluntur ».

Ad Dubium IV. Quoad 1. « Affirmative; retenta lege quod praestantiora Officia, ut aliis praeferantur, in proximioribus diebus reponantur, quamvis in his semiduplicia occurrant; haud obstantibus sedibus liberis postea subsequentibus, in quas alia minus solemnia Officia transferantur ».

Quoad 2. « Provisum in primo ».

Quoad 3. « Affirmative; iuxta Decreta alias edita ».

Quoad 4. « Affirmative ».

Quoad 5. « Negative ».

Ad Dubium V. Quoad 1. « Negative; et

servetur Decretum in una Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandicae diei 22 Iunii 1895 ad I ».

Quoad 2. « Provisum in primo ».

Quoad 3. « Recurrant in casu particulari ».

Ad Dubium VI. Quoad 1. « Servetur Decretum Generale Urbis et Orbis diei 23 Aprilis 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 27 Maii eodem anno, circa Festum Annuntiationis eiusque translationem, sive quoad Festum sive quoad Officium: per illud nihilominus non derogatur particularibus locorum concessionibus ».

Quoad 2. « Relate ad Festum S. Marci Evang. eiusque translationem, servetur Calendarium Ordinis approbatum die 27 Augusti 1893 et Breviarium pariter approbatum die 4 Decembris 1894. Si autem Decreta particularia, de quibus fit mentio, comprehendant ex consuetudine Regulares, ab his serventur: secus, stetur Rubricis ».

Atque ita rescripsit.

Die 10 Iulii 1896.

3926. DECRETO

Circa le norme da seguirsi per impetrare dalla Sacra Congregazione dei Riti la concessione di nuovi Offici e Messe.

1. Le domande debbono riguardare solamente i Santi e Beati iscritti nel Martirologio Romano, ovvero aventi culto per decisione o conferma della Santa Sede. È sempre necessaria una speciale raccomandazione dell' Ordinario della Diocesi; il quale, occorrendo, deve anche allegare il consenso del suo Capitolo Cattedrale.

2. Quanto agli altri Santi o Beati, benchè siano stati onorati, eziandio per lungo tempo, con Officio e Messa propria, è necessario che, secondo le consuete regole, sia provato e confermato dalla Santa Sede il loro culto, prima che possa autorizzarsene l'Ufficio e la Messa.

3. Le domande di Offici propri e di Messe per nuove Feste di Santi, già venerati sotto altro titolo, saranno assai raramente accolte. In ogni caso esse debbono fondarsi sopra ragioni del tutto straordinarie e gravi, essere specialissimamente raccomandate, ed, ove l'argomento ciò richieda, aver l'appoggio di prove storiche ben fondate.

4. Dai Propri o Calendari perpetui Diocesani, che si presentano alla Sacra Congregazione dei Riti per l'approvazione, debbono escludersi quei Santi o Beati, pe' quali non si avverino le condizioni indicate sotto il n. 1, e le nuove Feste, alle quali si riferisce il n. 3, dovendosi trattare particolarmente ogni affare di questa specie.

DECRETUM

Quo ad impetranda nova Sanctorum Officia novasque Missas ab hac Sacra Rituum Congregatione, normae sequendae praescribuntur.

1. Exhibitae nobis petitiones Sanctos Beatosve tantummodo spectare debent in Romano Martyrologio conscriptos, aut publico cultu a Sancta Sede decreto, vel confirmato iamdiu fruentes. At vero semper speciali proprii Episcopi commendatione opus est; qui etiam, si exquiratur, sui Capituli cathedralis consensum allegabit.

2. Ad ceteros Sanctos Beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore publico fuerint cultu honorati, cum Officio et Missa propria, necesse est ut iuxta communes regulas eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittatur.

3. Postulationes ad obtinenda Officia Missasque proprias pro novis eorum Sanctorum sive Beatorum Festis, qui, sub alio quidem titulo, publico iam fuerint cultu donati, raro admodum excipientur. Semper autem eae rationibus omnino peculiaribus ac solidis, specialissimaque commendatione et, si id materia ipsa exposcat, historicis documentis apprime validis fulciantur oportet.

4. Ex Calendariis perpetuis vel Propriis cuiusque Dioeceseos, quae huic Congregationi Sacris Ritibus tuendis praepositae approbanda exhibentur, ii sive Sancti sive Beati expungendi sunt, quibus conditiones in § 1 recensitae desunt; novaque item Festa in § 3 indicata; quum de his singillatim ac serio agendum sit.

5. Qualunque domanda di nuovi Offici e Messe deve essere prima esaminata dalla Commissione Liturgica, quindi discussa con somma accuratezza nel Congresso, al quale presiede l'Emo Card. Prefetto, e se il risultato di tale disquisizione è favorevole, la domanda stessa verrà stampata con tutte le allegazioni e i necessari schiarimenti sul preceduto esame, ed altresì con le annotazioni di Monsignor Promotore della Fede. La Ponenza così preparata sarà proposta da un Cardinale Relatore alla Sacra Congregazione in una Adunanza Ordinaria.

6. Se la Sacra Congregazione approverà la proposta, la sua risoluzione verrà sottomessa al S. Padre; e solo dopo la conferma Pontificia lo schema dell'Officio e della Messa, che sarà stato presentato, verrà, con la cooperazione dell'Innografo della Sacra Congregazione, riveduto ed approvato per cura del Cardinale Ponente e di Monsignor Promotore della Fede.

7. Le estensioni di Offici e di Messe, già concesse a qualche Diocesi o Chiesa particolare, debbono fondarsi sopra speciali ragioni. Esse poi saranno esaminate, come le domande primitive, dalla Commissione Liturgica e dal Congresso; ed, ove questo lo giudichi necessario, saranno proposte nell'Adunanza plenaria della Sacra Congregazione, prima di essere sottoposte all'approvazione Pontificia, la quale è sempre necessaria, ove la primitiva concessione non sia stata fatta *singulis petentibus*.

8. Le modificazioni o giunte agli Offici e alle Messe già concesse saranno esaminate e discusse come le estensioni, delle quali tratta il numero precedente.

13 Luglio 1896.

La Santità di Nostro Signore Leone Papa XIII, nell'udienza del 13 Luglio 1896 accordata al sottoscritto Cardinale Prefetto della Sacra Congregazione de' Riti, avendo presa piena cognizione delle Norme qui sopra notate, si è degnata di approvarle in ciascuna loro parte, e di ordinarne l'esatta osservanza.

GAETANO CARD. ALOISI-MASELLA.

LUIGI TRIPEPI, *Segretario.*

5. Quaelibet novi Officii ac Missae postulatio Curationi Liturgicae prius examinanda subiicietur; dein summa diligentia in conventu, cui Emus Cardinalis Praefectus praesidet, discutienda. Cuius discussionis exitus si postulanti faverit, postulatio exhibita, una cum allegatis et necessariis declarationibus super peracto examine et insuper cum Rmi Promotoris Fidei adnotationibus, typis mandabitur. Documentorum fasciculus ita comparatus, ab uno e Cardinalibus Relatoribus, Sacrae Congregationi in Ordinario Conventu exhibebitur.

6. Si Sacra Congregatio petitioni favens annuat, illius sententia SSmo Patri confirmanda subiicietur; ac tantummodo post Pontificiam confirmationem, Officii et Missae schema, quod exhibitum fuerat, cooperante Hymnographo Sacrae Congregationis, cura Cardinalis Ponentis et Rmi Promotoris Fidei, recognoscetur et approbabitur.

7. Extensiones Officii et Missae, alicui peculiari Ecclesiae vel Dioecesi iam concessae, ad alias Dioeceses Ecclesiasve, specialibus rationibus inniti debent. Eae vero a delectis per Nos viris sacrae Liturgiae expertis et a Congressu supradicto, sicut primitivae postulationes, expendentur: et, si id iste necessarium existimabit, in pleno Sacrae Congregationis Conventu proponentur, antequam Pontifici comprobandae exhibeantur; quae quidem approbatio semper necessaria est, nisi forte primitiva concessio *singulis petentibus* facta fuerit.

8. Immutationes vel additiones, quas in Officiis vel Missis iam concessis fieri contigerit, eaedem examini ac discussioni sicut extensiones, de quibus in § praecedente sermo est, subiicientur.

Die 13 Iulii 1896.

SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia die XIII Iulii MDCCCXCVI Eminentissimo Card. Praefecto Sacrae Rituum Congregationis facta, quum hasce supra expositas normas sedulo perlegisset, easdem singulas approbare dignatus est, atque earum observantiam quam accuratissimam praecipere.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

3927. PARISIEN.

SEU

CONGREGATIONIS FRATRUM

S. VINCENTII A PAULO.

Rm̃us Dominus Alfridus Leclerc, Sacerdos et Praepositus Generalis Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit nonnullis in locis a Sacerdotibus suae Religiosae Congregationis sacras functiones peragi Missasque ut plurimum celebrari in Oratoriis piarum Sororum seu Religiosarum, quae proprium Calendarium non habent. Hinc eidem Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium una cum postulato exhibuit; nimirum:

I. Utrum, in casu, Missae debeant esse conformes Calendario Congregationis Fratrum S. Vincentii a Paulo; an Calendario Dioecesano? Et quatenus Negative ad primam partem,

II. Orator suppliciter efflagitat privilegium, quo omnes Sacerdotes suae Congregationis in dictis Oratoriis Missam celebrare valeant iuxta proprium Calendarium, ut ex identitate Missae cum Officio maior in celebrante pietas foveatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad dubium « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad postulatum « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 17 Iulii 1896.

3928. URBIS

EIUSQUE DISTRICTUS.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis datum die 5 Februarii elapso anno 1895 in una Romana, in responsione ad dubium sextum, statutum fuit, ut quando, die vigesima Septembris, in Laudibus et Missa facienda est commemoratio Vigiliae S. Matthaei Apostoli et Evangelistae et Missa celebratur de Sancto Agapito Pont. et Conf., haec sit *Sacerdotes,* pro altera *Statuit.*

Ad nonnullas vero difficultates praecavendas Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanen. et Almae Urbis Vicarius, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humiliter postulavit, ut deinceps, a Clero ipsius Urbis eiusque Districtus, semper et in quolibet casu, de praefato Sancto Agapito dicantur Lectiones III Nocturni de Communi Conf. Pont. secundo loco, seu de Homilia super Evangelium *Vigilàte,* ac Missa *Sacerdotes.* Occurrente vero Festo ipsius Sancti Pontificis *Quatuor temporibus,* Lectiones I Nocturni sint: *Laudemus.*

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab Eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces: servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 Iulii 1896.

3929. ORDINIS

MINORUM CAPUCCINORUM

S. FRANCISCI.

Viglebani e fundamentis nuper erecta est Ecclesia in honorem Sacrae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, rite benedicta et Hospitio Fratrum Minorum Capuccinorum adnexa. Exortis nonnullis dubiis quoad Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum, R. P. Franciscus M. a Bistagno, Ordinis Minorum Capuccinorum et ipsius Ecclesiae atque Hospitii Superior, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Dubium I. Num in Suffragiis Sanctorum agenda sit commemoratio Sacrae Familiae titularis Ecclesiae tantum benedictae et non consecratae? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Sunt ne derelinquendae Commemorationes de S. Maria et de S. Ioseph? Et quatenus Negative,

Dubium III. Commemoratio S. Familiae debetne praecedere istis Commemorationibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, re accurate perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit:

Ad I et II. « Affirmative ».

Ad III. « Provisum in Praecedenti ».

Atque ita rescripsit.

Die 13 Novembris 1896.

3930. MEDIOLANEN.

In Relatione status Ecclesiae Mediolanensis exhibita S. Congregationi Concilii, die 13 Martii 1896, sub Cap. IX, n. 3, sequens legitur postulatum, quod ad Sacram Rituum Congregationem transmissum fuit: Prope plebem Angleriae ad Verbanum (Lago Maggiore) unica adest Paroecia, nempe Sextum Calendarum, quae Ritu Romano utitur. Inde magna confusio, cum enim sacrae functiones ibi peragantur concurrente viciniori Clero, qui Ritu utitur Ambrosiano, aliquando eae mixtum nonnihil habent de utroque ritu. Porro Clerus eiusdem Paroeciae, idest Parochus, duo Coadiutores et Monialium Ursulinarum Cappellanus, in Ritum Ambrosianum inclinare videtur; populus vero haud quidem unanimiter consentit, quum alii Romanum Ritum retinere, alii vero Ambrosianum amplectere malint (verum illi utpote ecclesiasticae auctoritati obsequentes nullam omnino contra immutationem, quae fieret, difficultatem opponunt). Quaeritur quid agendum in casu?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, attentis expositis ac exquisito voto Commissionis Liturgicae, praedicto postulato rescribendum censuit:

« Servetur Ritus Romanus ». Atque ita rescripsit.

Die 13 Novembris 1896.

3931. S. IOANNIS TERRAE NOVAE.

Rm̃us Dominus Michael Fr. Howley Episcopus Sancti Ioannis Terrae Novae a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter postulavit; nimirum:

An in Ecclesia Cathedrali Sancti Ioannis Terrae Novae, ubi non habetur Capitulum, neque divinum Officium Chorale recitatur aut canitur, servari possit consuetudo celebrandi media nocte Nativitatis Dominicae primam Missam solemnem de eadem Festivitate, haud praemissa divini Officii respondentis recitatione?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, attentis peculiaribus circumstantiis expositis, atque audito voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative, ex indulto seu pro gratia, causa exposita perdurante ». Atque ita rescripsit.

Die 27 Novembris 1896.

3932. ORDINIS SANCTI BENEDICTI CONGREGATIONIS BEURONENSIS.

R. D. Hilarius Walter Ordinis S. Benedicti, de mandato Rm̃i Domini P. Placidi Wolter Archiabbatis Congregationis Benedictinae Beuronensis, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Dubium I. Num Festum SSm̃i Rosarii Beatae Mariae Virginis, Dominica prima Octobris quotannis recolendum, si quando impediatur Festo digniori, privilegio translationis gaudeat, tanquam in sedem propriam, in Dominicam immediate sequentem Festo duplici primae classis non impeditam, in locis ubi Solemnitas SSm̃i Rosarii ab Archiconfraternitate vel Sodalitio eiusdem tituli cum magna pompa et populi concursu celebratur?

Dubium II. Quando Festum SSm̃i Rosarii transferri debet iuxta Rubricas in diem primam subsequentem liberam, potestne ad Ordinem S. Benedicti extendi quod concessum fuit Eremitis Camaldulensibus, ut nempe lectio IX post verba, *Eva spina fuit* dividatur in duas partes? et pro Responsorio XII sumatur: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum * Ecce concipies et paries Filium et vocabis nomen eius Iesum. Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Gloria etc.:* atque ita habeatur lectio XII et Resp. XII pro Breviario Monastico?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; et serventur Rubricae de translatione Festorum ».

Ad II. « Affirmative, pro gratia ». Atque ita rescripsit.

Die 4 Decembris 1896.

3933. ANDEGAVEN.

Ordinator Calendarii Dioecesis Andegavensis, de sui Episcopi mandato, Sacram Rituum Congregationem rogavit pro sequentis dubii solutione:

Utrum responsa super septem dubiis propositis, specialiter super primo, Decreti in Quebecen. diei 6 Martii 1896, quoad Missae celebrationem in Oratoriis mere pri-

vatis et Missam exequialem praesente corpore, Dioeceses Galliae spectent?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, respondendum censuit:

« Affirmative; quia ubi idem indultum, ibi eadem declaratio ». Et ita rescripsit.

Die 4 Decembris 1896.

3934. CALATAYERONEN.

Postulato R̃mi Ordinarii Calatayeronen. die 18 Novembris, hoc vertente anno, Sacrae Rituum Congregationi exhibito, quoad Oratoria ruralia publica in Dioecesi Calatayeronen. erecta absque expressa auctoritate Ordinarii; nempe: An eiusmodi Oratoria ab Episcopo approbari possint?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae et omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo R̃mus Episcopus retineat Ordinariam iurisdictionem super hisce Oratoriis et Christifideles libere ad eadem Oratoria accedere valeant ». Atque ita rescripsit.

Die 4 Decembris 1896.

3935. WESTMONASTERIEN.

Eminentissimus et R̃mus Dominus Cardinalis Erbertus Vaughan, Archiepiscopus Westmonasteriensis sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter postulavit; nimirum:

Dubium I. An et quomodo admittendi sint pueri vel puellae in Processionibus SS̃mi Corporis Christi?

Dubium II. Quemnam locum tenere et ordinem servare debeant in iisdem Processionibus Confraternitates cum respectivis vexillis?

Dubium III. An Ordinarius loci, sive Episcopus sive Cardinalis, possit in Ecclesiis minoribus assistere Missae cantatae aliisque sacris functionibus et verbum Dei praedicare, cum cappa tantum?

Dubium IV. Num idem dicendum sit, quando Sacerdos in functione benedictionem cum Sanctissimo Sacramento populo impertitur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Arbitrio Eminentissimi Ordinarii; iuxta Decretum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia diei 7 Februarii 1874 ».

Ad II. « Eminentissimus et R̃mus Ordinarius loci provideat iuxta Constitutionem Gregorii XIII et Decreta, praesertim in una Beneventana 17 Augusti 1833 ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Item Affirmative; et Eminentissimus ac R̃mus Ordinarius cum cappa assistens ponat incensum in thuribulum et thurificet SS̃mum Sacramentum ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Decembris 1896.

3936. AGRIGENTINA.

Rev. Dominus Carolus M. Vella, Parochus Aragonae in Dioecesi Agrigentina, ut sacri ritus in sua Ecclesia parochiali, iuxta ecclesiasticas praescriptiones, observentur, de consensu sui R̃mi Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. An preces praescriptae post Missam lectam recitandae sint post secundam ex Missis Nativitatis Domini, quando eam immediate sequitur tertia Missa solemnis?

Dubium II. An Rectores singularum Ecclesiarum possint variationes inserere in Calendario Dioecesano pro respectivis Ecclesiis, iuxta Rubricas?

Dubium III. An Sacerdotes obligati ad canendam Missam (vel per se vel per alium) ob impotentiam vel imperitiam cantus praescripti in Missali Romano, censeri possint dispensati ab eo onere?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Affirmative; ex tacita saltem Ordinarii venia ».

Ad III. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Decembris 1896.

3937. URGELLEN.

Ad preces R̃mi Capituli et Beneficiatorum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis ab Eminentissimo et R̃mo Domino Cardinali Salvatore Cassañas y Pages Episcopo Urgellensi commendatas, Sacra Rituum Con-

gregatio, referente ipsius Secretario atque audito voto Commissionis Liturgicae, sequens dubium expendit:

An Beneficiati ipsius Cathedralis Urgellensis, qui Diaconi et Subdiaconi munia exercent, debeant se induere paramentis sacris ad latera mensae in qua Canonicus celebrans Planeta vel pluviali se induit, atque extra scabellum in angusto transitu inter mensam et parietem, facie ad faciem conversa et a Celebrante semoti, iuxta consuetudinem ibi vigentem?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis, proposito dubio rescribendum censuit:

« Negative; et servetur Decretum in una Recineten. diei 16 Martii 1833 ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Decembris 1896.

3938. SENEN.

Rev. Dominus Franciscus Rabissi Sacerdos Archidioeceseos Senensis, de mandato sui Rm̃i Archiepiscopi, a Sacra Rituum Congregatione, antequam Proprium Senense reimprimatur, sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Dubium I. An Breviarium Romanum typis Friderici Pustet Ratisbonae editum habendum sit uti typicum etiam quoad Officia addita in Appendice pro aliquibus locis? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. An Officia Proprii Senensis, nominatim de S. Leonardo a Portu Mauritio Conf. et de Ss. Ursula et Soc. Virg. Martyr. cum praefata editione typica Breviarii Romani et Appendicis concordare debeant?

Dubium III. Ex concessione a s. m. Pio Papa VII Dioecesi ac Provinciae ecclesiasticae Senensi facta, in Vigilia Assumptionis B. M. V. non possunt celebrari Missae votivae privatae vel de Requie, sed omnes dici debent de Vigilia; neque diebus 13 et 14 Augusti potest affigi aliquod Festum novem Lectionum. Attamen Festum S. Alfonsi De Ligorio, Episc. Conf. in Calendario Senensi ab anno 1841 usque ad praesens reperitur assignatum diei 13 praefati mensis. Quaeritur quid agendum?

Dubium IV. Ex particulari indulto Apostolico tota octava Assumptionis B. M. V. ita est privilegiata ut tantum octavam S. Laurentii Mart. et Festum S. Ioachim Conf. Patris B. M. V. admittat. Quaeritur: An in casu Festum S. Rochi Conf. die 16 Augusti celebrari queat?

Dubium V. Officium S. Ioannis a Capistrano Conf. in Proprio Senensi eritne inserendum die 23 Octobris, quando ex speciali privilegio sub ritu duplici celebratur, vel die 28 Martii assignata pro Ecclesia universa?

Dubium VI. Quum in Calendario Senensi dies 23 Aprilis sit libera, poteritne in ea reponi Festum S. Georgii Mart. hucusque affixum diei 24 eiusdem mensis; atque ita ordinari Calendarium? nempe:

die 23 Aprilis S. Georgii Mart. dupl.

die 24 S. Fidelis a Sygmaringa Mart. dupl.

die 25 S. Marci Evang. dupl. 2 classis.

die 26 B. Mariae Virginis de Bono Consilio, dupl. mai.

die 27 Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm. semid. (d. a. ex heri).

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum duxit:

Ad I et II. « Affirmative ».

Ad III. « Servetur Decretum s. m. Pii Papae VII; et Festum S. Alfonsi de Ligorio Episc. Conf. reponatur die prima libera post octavam Assumptionis ».

Ad IV. « Negative ».

Ad V. « Dies propria S. Ioannis a Capistrano Conf. pro Ecclesia universali est dies 28 Martii, qua die celebrandum erit sub ritu duplici ex privilegio iam concesso; atque ita inserendum Festum eiusdem Sancti Confessoris cum Officio et Missa in Proprio Senensi ».

Ad VI. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Decembris 1896.

3939. ROMANA.

Instantibus plerisque Rm̃is Episcopis variarum regionum, qui sacros ritus et caeremonias iuxta ecclesiasticas praescriptiones ac laudabiles consuetudines in suis Dioecesibus observari satagunt, quaestio super Altari quod communiter dicitur *Sepulcrum*, alias agitata, Sacrae Rituum Congregationi sub duplici sequenti dubio reproposita fuit; nimirum:

I. Utrum in Altari, in quo, Feria V et VI Maioris Hebdomadae, publicae adorationi exponitur et asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini; an institutio eiusdem Augustissimi Sacramenti?

II. Utrum liceat ad exornandum praedictum Altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, aliaque huiusmodi?

Sacra porro Rituum Congregatio, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, ad relationem Eminentissimi et Rmi Domini Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti, exquisitis trium Rmorum Consultorum suffragiis scripto exaratis, attenta quoque antiqua et praesenti Ecclesiae disciplina, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Utrumque ».

Ad II. « Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tolerare: caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur ».

Atque ita rescripsit, contrariis quibuscumque Decretis abrogatis.

Die 15 Decembris 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per supradictum Rmum Dom. Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, iisdem die, mense et anno.

3940. BITURICEN.

SEU

CONGREGATIONIS

MISSIONARIORUM

SANCTISSIMI CORDIS IESU.

Rmus P. Iulius Chevalier, Superior Generalis Missionariorum SSmi Cordis Iesu, Auxelloduni Bituricen. Dioecesis, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit quae sequuntur:

Vestitus alumnorum Societatis, ab anno 1874 usitatus et iuxta Constitutiones adhibendus, constat 1°. Veste talari consueta. 2°. Cingulo nigri coloris. 3°. Imagine SS. Cordis Iesu cum verbis: Ametur ubique terrarum Cor Iesu SSmum. 4°. Tandem, pallio talari – vulgo *mantello* – pariter nigri coloris et ex lana confecto.

Porro, cum nonnulli ex alumnis, praesertim ex illis qui in regionibus, ubi adsunt Dissidentes, vivunt, non sine gravi difficultate dicto habitu uti possint, quaesitum est a Sacra Congr. Episc. et Reg. an his in locis habitus dimitti possit. Sacra vero Congregatio respondit: « *Habitum posse dimitti in his regionibus, extra domum, dum perdurarent rationes adductae; sed intra domum et in Ecclesia pro functionibus peragendis, standum esse Constitutionibus* ».

Iamvero, quum inter Superiores Congregationis orta sit diversitas circa interpretationem verborum: « *et in Ecclesia pro functionibus peragendis* »; orator humillime petit solutionem sequentis dubii:

An scilicet alumni Congregationis, loco superpellicei quo, iuxta S. Liturgiae regulas, utuntur ordinarie Clerici, possint uti pallio supra descripto in hisce casibus, de quibus Constitutiones silent:

I. Ad tradendum fidelibus verbum divinum ex pulpito vel saltem, uti aliquando mos est, ante Altare, vel ex mensa Communionis?

II. Ad S. Communionem recipiendam ab his qui ad S. Presbyteratum adhuc promoti non sunt.

III. Ad assistendum Missae solemni in Choro, ita ut ita vestiti incensari possint; vel si Negative, saltem extra Chorum tempore eiusdem Missae solemnis?

IV. Ad assistendum in Choro vel extra Chorum benedictioni SSmi; necnon ad adorandum SSmum solemniter expositum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « A Fratribus laicis, Affirmative; a Clericis, Negative ».

Ad III. « Negative ad utrumque ».

Ad IV. « Affirmative; dummodo Altari non inserviant, aut adorationi SSmi Sacramenti in presbyterio non vacent ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Decembris 1896.

3941. CUSENTINA.

Rmus Dominus F. Piraino Decanus Capituli Cathedralis Ecclesiae Cusentinae et Vicarius Generalis Rmi Archiepiscopi Sacrae Rituum Congregationi cum aliis dubiis etiam sequens pro solutione humillime exposuit; nimirum:

Diebus 7 Februarii, 8 Martii, 4 et 12 Octobris in Cathedrali Ecclesia Cusentina canitur, assistente Capitulo, Missa votiva solemnis de Beata Maria Virgine pro gratia-

rum actione; et diebus 5 et 6 Februarii Missa SSmae Trinitatis et Spiritus Sancti; die vero 12 Iunii Missa votiva de ipsa Beata Virgine in memoriam coronationis Imaginis prodigiosae Beatae Virginis a Pilerio dictae, Civitatis Patronae; denique alia Missa votiva solemnis item de Beata Virgine in novemdialibus duobus, duas ipsius Patronae solemnitates praecedentibus, atque etiam in novem feriis quartis quae unam praecedunt ex praefatis solemnitatibus. Haec autem Missa ex antiquo more, canitur dictis diebus ante omnes Horas Canonicas: secus, non foret populus frequentior. Hinc idem orator ab ipsa Sacra Congregatione postulavit: An eiusmodi consuetudo continuari possit? Et Sacra eadem Congregatio die 5 Iunii labentis anni rescripsit: Affirmative; dummodo de singulis, prout in dubio, habeatur indultum.

Quum vero praedictus orator iteratis precibus a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, quoad omnes memoratas Missas votivas, efflagitaverit indultum;

Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum,

« Attentis expositis, benigne annuit pro gratia, iuxta preces; atque etiam ut Missae supradictae celebrentur cum *Gloria* et *Credo;* dummodo in Praefatione Missae votivae de Beata Maria Virgine dicatur: *Et te in veneratione;* atque serventur de cetero Rubricae ». Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Decembris 1896.

3942. VERAE CRUCIS.

Rev. Dominus Mutius Canonicus Arriaga, Dioecesis Verae Crucis in Mexico, de mandato sui Rmi Ordinarii a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii declarationem supplex imploravit; nimirum:

An iuxta mentem Decreti Sacrae Rituum Congregationis in Pacen. die 24 Ianuarii 1890, prohibeatur etiam, expleta Missa privata, deponere in ipso Altari paramenta diei, sumere Stolam nigri coloris et recitare Responsorium pro defunctis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 18 Decembris 1896.

3943. BELLEVILLEN.

In Dioecesi Bellevillensi extat Ecclesia parochialis dicata *Sanctae Infantiae Iesu;* et Sacerdos eidem Ecclesiae adscriptus, de mandato sui Rmi Episcopi, a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; videlicet:

Dubium I. Quandonam Festum Titularis Ecclesiae suae sit celebrandum?

Dubium II. Quodnam Officium cum Missa sit dicendum in hoc Festo?

Dubium III. An et quomodo facienda sit istius Titularis commemoratio in fine Laudum et Vesperarum inter Commemorationes communes seu Suffragia Sanctorum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Die 25 Decembris ».

Ad II. « Officium et Missa de Nativitate Domini ».

Ad III. « Quoad primam partem, Affirmative; Quoad secundam, Ad Laudes dicatur: *Gloria in excelsis Deo etc.* nempe Antiphona ad *Benedictus* in Laudibus Officii de Nativitate Domini; in Vesperis autem dicatur Antiphona ad *Magnificat* in II Vesperis eiusdem Nativitatis, omissis *Hodie* ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Decembris 1896.

3944. ROMANA.

Nonnulli Ecclesiarum Rectores, super legitima interpretatione Decreti *Aucto* editi die 19 Maii atque approbati a Summo Pontifice die 8 Iunii anno nuper elapso 1896, circa Missas privatas de Requie, die et pro die obitus indultas, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia resolvenda humiliter proposuerunt; videlicet:

Dubium I. Privilegium circa Missas lectas de Requie, ex praefato Decreto concessum Sacellis sepulcreti, favetne sive Ecclesiae vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti; sive aliis Ecclesiis vel Cappellis, extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit?

Dubium II. Quaenam distantia intercedere debet inter Altare et cadavera quae in Coemeteriis vel Ecclesiis sepulta sunt?

Dubium III. Missae privatae de Requie, quae sub expressis conditionibus celebrari possunt praesente cadavere, licitaene erunt

in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis sive publicis sive privatis?

Dubium IV. Huiusmodi Missae privatae de Requie celebrarine poterunt sine applicatione pro Defuncto, cuius cadaver est vel censetur praesens?

Dubium V. Eaedem pariter Missae possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen Festa duplicia I classis excludunt, uti ex. gr. Feria IV Cinerum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Cadavera ab Altari tribus cubitis distare debere: et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis; atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere ».

Ad III. « Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens; sed, si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exequiali ».

Ad IV et V. « Negative ».

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit.

Die 12 Ianuarii 1897.

3945. MEXICANA.

Rm̃us Dominus Prosperus Maria Alarcon hodiernus Archiepiscopus Mexicanus Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit ea quae sequuntur.

Antiquissima consuetudo, quae Mexici viget penes Tertiarios et Confratres B. M. V. de Monte Carmelo, recitandi idiomate hispano Officium parvum B. M. V. hodie quamdam patitur contradictionem. Exstat quidem super hac re responsio authentica Sacrae Rituum Congregationis in una SSm̃ae Conceptionis de Cile, qua exposita consuetudo toleranda declaratur. Etenim dubitatur an memoratum Decretum etiam ad Mexicanam Ditionem extendi possit. Quocirca alii dicunt non posse extendi ad Mexicanam Ditionem, cum non sit Decretum Generale; alii contendunt evidenter posse, quia adsunt identicae circumstantiae et allegant verba cl. Cavalieri: « habent Sacrae Rituum Congregationis Decreta, ut licet ad particularium instantias quaesita ea sint, ad normam et exemplum pro iisdem et similibus casibus in Ecclesia universali deserviant etc. ».

Ad omnem ambiguitatem tollendam, idem Rm̃us Archiepiscopus Mexicanus a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem efflagitavit; nimirum:

Dubium I. An in casu, responsio edita pro Republica de Cile, rite ad Rempublicam Mexicanam extendi possit ac valeat? Et quatenus Negative,

Dubium II. An possit pro Ditione Mexicana obtineri speciale indultum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae attentisque peculiaribus circumstantiis, respondere censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Atque ita rescripsit.

Die 15 Ianuarii 1897.

3946. ILLERDEN.

Rm̃us Dominus Iosephus Meseguer y Costa Episcopus Illerdensis, in relatione de statu suae Dioeceseos ac visitatione sacrorum liminum, Apostolicae Sedis humillime exposuit in sua Civitate Illerdensi vigere consuetudinem pulsandi Campanas pro funeribus defunctorum, etiam quando locum habent in Festis solemnioribus. Quum vero huiusmodi consuetudini obstent Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, idem Rm̃us orator ab eadem Sacra Congregatione sequentis dubii solutionem efflagitavit; nimirum:

An in casu, praedicta consuetudo tolerari saltem possit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative; et serventur Decreta, praesertim illud in una Corduben. diei 27 Ianuarii 1883 ad primum ». Atque ita rescripsit.

Die 15 Ianuarii 1897.

3947. VALVEN.

ET

SULMONEN.

Quum in Ecclesiis vel Oratoriis publicis Dioeceseos Valven. et Sulmonen. nonnulla extent Altaria ex pluribus lapidibus firmiter coementatis efformata et consecrata, ne eadem cum gravi incommodo innoventur, Rm̃us Dominus Tobias Patroni Episcopus

utriusque Dioeceseos a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII Apostolicam dispensationem efflagitavit, qua, non obstante enunciato defectu, in Altaribus eiusmodi sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari possit.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, ad relationem Secretarii exquisitoque voto Commissionis Liturgicae,

« De speciali gratia indulsit, ut in illis tantum ex praedictis Altaribus Sacrum celebrari valeat, quae ex pluribus lapidibus firmiter coementatis efformata et consecrata fuerint ante Decretum diei 19 Maii anni nuper elapsi 1896 (in responsione ad dubium III) ab ipsa Sacra Rituum Congregatione editum, atque die 8 Iunii eiusdem anni a SS. Domino nostro confirmatum ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Februarii 1897.

3948. MEDIOLANEN.

Quum iuxta liturgicas constitutiones in Archidioecesi Mediolanensi vigentes, Quadragesima decurrente, Sanctorum quorumcumque Festivitates celebrari nequeant et Officium de tempore cum respectiva Missa peragatur, Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V. ad diem 12 Decembris et Festum Annuntiationis ipsius Deiparae ad Dominicam ante Nativitatem Domini amandata sunt. Haec vero Festa solemniora, quae in universa Ecclesia diebus XIX et XXV mensis Martii semper quadragesimalibus sub duplici praecepto recoluntur, nulla speciali ac liturgica prece, eo tempore, sive in Breviario sive in Missali Ambrosiano donantur. Quin imo si alterutrum incidat in Feriam VI aliturgicam, Sacerdotes ab offerendo, fideles ab audiendo Sacrum, non sine animi moerore, in Ecclesia Ambrosiana se abstinent.

Quapropter iam ab anno 1886 in votis erat quamplurium e Clero et populo Mediolanensi Sanctam Sedem adire ad impetrandam pro enunciatis Festis ac diebus Apostolicam dispensationem a severioribus, haud tamen primaevis, Liturgiae Ambrosianae praescriptionibus. Quae vota magis in dies aucta, gravibus rationum momentis suffragiisque virorum rei liturgicae apprime peritorum communita, Eminentissimus et R̃mus Dominus Cardinalis Andreas Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, praehabito R̃mi Capituli Metropolitani consensu, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII una cum supplici libello humillime porrexit, ad supradictam dispensationem obtinendam, ad modum Ecclesiae Romanae omnium Ecclesiarum Matris ac Magistrae, exhibitis quoque Officio et Missa utriusque Festi, more solemnitatis Dominicae et stylo quadragesimali ipsi Liturgiae Ambrosianae consono exaratis.

Placuit autem eidem Sanctissimo Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere, quae exquisito voto Commissionis Liturgicae et audito R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, omnibusque mature perpensis, in Conventu subsignata die ad Vaticanum habito, ad relationem Eminentissimi et R̃mi Domini Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefecti, proposito dubio:

Utrum in Liturgia Ambrosiana, prouti fit in Romana, celebrari in posterum valeant Festa S. Ioseph Sponsi B. M. V. et Annuntiationis ipsius Deiparae diebus XIX et XXV Martii, etiam Feriis sextis Quadragesimae occurrentibus, adhibitis iisdem Officiis et Missis iam revisis, quae huic praeiacent Decreto, atque servatis Rubricis? Respondendum censuit:

« Affirmative in omnibus, si Sanctissimo placuerit ».

Die 23 Februarii 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum Eminentissimum et R̃mum Dominum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit, iisdem die mense et anno.

3949. CASTRIMARIS

STABIAE.

Sacra Rituum Congregatio, die 2 Maii 1878, concessit ut, quoties Festum Patrocinii S. Catelli, praecipui Patroni Civitatis Castrimaris Stabiae, Dominicae secundae mensis Maii assignatum, occurrit cum Festo Patrocinii S. Ioseph Sponsi B. M. V., in Cathedrali Ecclesia cantari valeat Missa solemnis propria de ipsius S. Catelli Patrocinio, expleta in Choro recitatione Horae Nonae. Quum autem haec Missa ab Episcopo celebranda sit pontificali ritu, hodiernus eiusdem Episcopi sacrarum Caeremoniarum Ma-

gister sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuit; nimirum:

Dubium I. An Hora Tertia vel Nona decantanda sit, dum Episcopus paratur ad celebrandum?

Dubium II. An Hora in casu canenda concordari debeat cum Officio diei currentis; vel cum Missa de Patrocinio S. Catelli?

Dubium III. An haec Missa uti Votiva Solemnis habenda sit, omissa quacumque commemoratione et collecta; et, in casu Affirmativo, Praefatio dici debeat de communi vel de tempore?

Dubium IV. An eadem regula servanda sit, quando in aliqua Ecclesia agitur de Sancto die non propria, sed de eodem, ob speciale privilegium, canitur et legitur Missa ut in Festo?

Dubium V. An collecta pro Episcopo die anniversaria suae electionis et consecrationis dici debeat tantum in Missa; vel etiam in omnibus sacris functionibus?

Dubium VI. An tolerari possit usus canendi Passionem in Maiori Hebdomada, adhibita Stola latiori, vulgo *Stolone*, super Stola?

Dubium VII. Anne, quando post Missam datur populo benedictio SSmi Sacramenti cum Ostensorio, interposito cantu Litaniarum et *Tantum ergo*, color pluvialis debeat esse albus; vel conveniens colori Missae?

Dubium VIII. Sacerdos post Missam de Requie potestne aperire tabernaculum et, dicto *Tantum ergo*, populum cum SSmo Sacramento benedicere adhibito super Planeta coloris nigri velo humerali albo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Hora Nona ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Dicatur Missa de S. Catello cum unica Oratione et Praefatione de tempore ».

Ad IV. « Serventur peculiare indultum et Decreta ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad VI. « Negative ».

Ad VII. « Servetur Decretum in Taggen. diei 9 Iulii 1678 ad dubium 6 ».

Ad VIII. « Negative ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 12 Martii 1897.

3950. CAESARAUGUSTANA.

Rev. D. Eustachius Gil Gomez, Beneficiatus et sacrarum Caeremoniarum Magister Metropolitanae Ecclesiae Caesaraugustanae in Hispania, de mandato sui Rmi Domini Archiepiscopi, Sacrae Rituum Congregationi humillime exposuit ea quae sequuntur:

In omnibus Ecclesiis Hispanicae Ditionis adhibentur ab immemorabili Officia Hebdomadae Sanctae et Paschatis, a respectivis Ordinariis approbata, habentia latino idiomate omnia quae recitari et decantari debent ex Breviario ac Missali Romano; Rubricam vero lingua vulgari, et quidem non ad verbum desumptam, sed quandoque, claritatis gratia, addita expositione iuxta probatos Auctores.

Hanc normam secutus orator disposuit Officium Hebdomadae Maioris et Paschatis continens ad litteram lingua latina Textum Sacrum, id est, omnia quae in Breviario et Missali habentur pro recitatione et cantu in tota praefata Hebdomada Maiori; Rubricam vero, quum ea multis in locis non adeo explicita sit ut tollat omne dubium, ne multiplici interpretationi sit obnoxia, illustravit commentariis depromptis ex alio Officio Maioris Hebdomadae a Sacra Rituum Congregatione approbato die XXIV Iulii anno MDCCCLXXXVIII, nec non ex probatis Auctoribus; sed eiusmodi Rubrica eiusque commentaria vernacula lingua conscripta sunt, ut moris est in Hispania.

Dum liber sic dispositus et a Rmo Domino Archiepiscopo approbatus typis tradendus erat, recepta fuit Constitutio Apostolica SS. Domini Nostri Leonis Papae XIII de prohibitione et censura librorum; hinc quaeritur:

Dubium I. – 1. An non obstante quod praescribitur Capite VII Tituli I praedictae Constitutionis, liceat oratori memoratum librum edere prout iacet? Et quatenus Negative,

2. An, attentis rationibus superius expositis, et ad vitanda damna oratori obventura propter sumptus iam factos, saltem pro gratia ei liceat? Et si Negative,

3. An sufficiat apponere Rubricam integram lingua latina ut invenitur in Breviario et Missali, et ad calcem eiusdem commentaria Hispanico sermone, approbante Rmo Domino Archiepiscopo Dioecesano? Et si etiam Negative,

4. An liceat addere eiusmodi commentaria latino idiomate cum approbatione ut supra?

Dubium II. Additionale.

Anno MDCCCLXXXXIII idem orator, prius consulta Sacra Rituum Congregatione, edidit librum qui inscribitur: Officium Maioris Hebdomadae pro Parochis Sacras functiones peragentibus sine Ministris sacris iuxta Missale, Breviarium et Memoriale Rituum Summi Pontificis Benedicti XIII; in quo suis locis respectivis, praeter Textum Sacrum Missalis et Breviarii, interponitur quod praenotatum Memoriale praescribit, sed hoc in lingua vernacula iuxta consuetudinem immemorabilem in Hispania vigentem.

Huiusmodi librum ab Ordinario approbatum et ab omnibus fere Episcopis commendatum, Clerus ita libenter excepit ut editio consumpta iam fuerit. Attamen orator nullo modo ausus est talem librum denuo typis evulgare, nisi prius ab ipsa Sacra Rituum Congregatione hoc alterum dubium resolutum fuerit; videlicet:

An post memoratam Constitutionem Apostolicam, eiusdem libri editionem orator iterare possit eadem forma qua prima facta fuit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative in omnibus ».

Ad II. (Dubium additionale). « Item Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Martii 1897.

3951. BAREN.

In oppido *Triggiano* Archidioecesis Barensis, exorta controversia inter Confraternitatem SSmi Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci circa praecedentiam in Processionibus, eaque delata ad Curiam Archiepiscopalem Barensem, Rmus Archiepiscopus die 29 Octobris 1896 sententiam protulit pro Sodalitio Tertii Ordinis. Verum ab hac sententia se gravatam sentiens praefata Confraternitas, ad Sacrorum Rituum Congregationem rite appellavit. Quae appellationem accipiens ac statutis terminis peremptoriis utrique parti ad suas deducendas rationes iisque expletis, in Conventu Ordinario Rotali, subsignata die habito coram Eminentissimo et Rmo Domino Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Causae Ponente, proposito ac discusso dubio: An sententia Archiepiscopi Barensis in casu sit confirmanda; rationibus omnibus in Causa deductis accurate expensis, rescribendum censuit: « Affirmative, seu esse confirmandam ». Atque ita rescripsit et sententiam Archiepiscopi Barensis in casu confirmavit.

Die 27 Martii 1897.

3952. BAMBERGEN.

Rev. Dominus Theodorus Geiger, Rector Seminarii Archiepiscopalis Bambergensis, cuius muneris est instituere Clericos in sacris Ecclesiae Ritibus, de consensu sui Rmi Archiepiscopi, Sacrae Rituum Congregationi quaedam dubia super celebratione Festi Titularis Ecclesiae, pro opportuna solutione, humiliter proposuit cum sequentibus declarationibus; nimirum:

Pleraeque Parochiae Archidioecesis Bambergensis ex variis et dissitis oppidulis seu pagis efformantur, quorum pluribus annexae sunt propriae Ecclesiae, dictae filiales et subditae quidem iurisdictioni Parochi, ab Ecclesia vero parochiali independentes, quum habeant suas proprias facultates fundatas sub separata et propria administratione. In his filialibus Ecclesiis iure proprio fit, unaquaque, vel, (si duae sint, quarum unus idemque Sacerdos curam exerceat) altera quaque Dominica et Festiva die, per coadiutorem Parochi ad hoc munus ab Ordinario deputatum divini verbi praedicatio cum Missa solemni, attamen sine onere applicandi pro populo; administrantur omnia Sacramenta etiam Baptismus, Communio paschalis, Viaticum, extrema Unctio; celebrantur exequiae fidelium defunctorum in annexo caemeterio sepeliendorum; ideoque eiusmodi Ecclesiae sunt quasiparochiales; immo nonnullae ex his antiquo tempore erant vere parochiales.

Itaque ad inserviendum his Ecclesiis filialibus, Parocho additus est ab Ordinario Sacellanus seu Coadiutor, cui perpetuo commissa est tota cura animarum ad hanc Ecclesiam nomine Parochi peragenda: sive resideat apud Ecclesiam filialem tamquam verus Ecclesiae Rector, sive in aedibus Parochi habitet et quotidie vel pluries per hebdomadam excurrat ad officium suum implendum; ita ut Parochus nunquam in Ecclesia filiali et nunquam in parochiali Sacellanus, saltem ex obligatione, officiis sacerdotalibus fungantur.

Viget autem consuetudo qua hi Parochi Titularem Ecclesiae suae parochialis tantum, non simul ac filialis; Sacellani vero,

saltem si apud Ecclesiam filialem perpetuo resident, filialis tantum Ecclesiae, cui soli inserviunt, non simul ac parochialis, Titularem celebrent cum Officio et octava et cum commemoratione in Suffragiis per annum. Quum autem quidam aliter sentiant; quaeritur:

I. Teneturne Parochus, qui in Ecclesia filiali nunquam officiis fungitur, quia soli Coadiutori suo ad hoc deputato id onus incumbit, etiam Titularem filialis Ecclesiae cum octava et in Suffragiis per annum celebrare; an Ecclesiae suae parochialis tantum?

II. Debetne Sacellanus Ecclesiae filialis, si nunquam in parochiali Ecclesia officiis ex obligatione fungitur, Titularem Ecclesiae parochialis celebrare cum octava et in Suffragiis per annum?

III. Teneturne idem Sacellanus, cui soli competit tota cura filialis Ecclesiae populique ad eam pertinentis, celebrare Titularem eiusdem Ecclesiae filialis cum octava et in Suffragiis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, inhaerendo Decretis hac super re editis, omnibusque accurate expensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam quaestionem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 29 Martii 1897.

3953. IACEN.

Rm̃us D. Ioseph Lopez Mendoza y Garcia, hodiernus Episcopus Iacen., a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit; nimirum:

An servari possit consuetudo etiam immemorialis, qua associatio a Capitulo et Canonicis praestanda Episcopo divina pontificaliter celebraturo vel divinis adstare volenti, cappa magna induto, fiat tantum in accessu a Palatio Episcopali ad Ecclesiam, non vero in reditu?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

« Serventur Rubricae Caeremonialis Episcoporum et Decreta, peculiariter in una Beneventana diei 5 Septembris 1648 ad 5, non obstante contraria et immemorabili consuetudine, quae abusus reputanda est ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Maii 1897.

3954. PARISIEN.

Anno 1894, die 20 Iunii, ab Em̃o et Rm̃o Domino Cardinali Archiepiscopo Parisiensi Sacrae Rituum Congregationi propositum fuit dubium super consecratione novae Parisiensis Ecclesiae nomine S. Francisci Xaverii Deo dicatae, et Altaris maioris cuius mensa lapidea ex tribus partibus fractis constabat, etsi adeo coementatis ut nulla divisio appareret?

Et Sacra Rituum Congregatio, die 23 Iulii 1894 rescripsit: « Quoad expositum casum, acquiescat ».

Quum autem idem Em̃us et Rm̃us Archiepiscopus per litteras die 28 elapsi mensis Aprilis datas novum dubium Sacrae ipsi Congregationi exposuerit; nimirum:

Utrum praedictum Rescriptum intelligendum sit eo sensu quod Altare portatile Altari fixo superpositum remanere debeat; an potius, eo remoto, de Apostolica auctoritate enunciatus defectus consecrationis supradicti Altaris fixi sanetur?

Et Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, ad relationem Secretarii et exquisito voto Commissionis Liturgicae, dubio super interpretatione praecedentis Rescripti respondendum censuit:

« In casu, Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; sanato de Apostolica venia enunciato defectu consecrationis ». Atque ita rescripsit, praecedens responsum confirmando et declarando.

Die 14 Maii 1897.

3955. SOCIETATIS IESU.

Rev. Henricus Massara Superior Domus Religiosae inde ab anno 1884 Patavii erectae, ubi autumnali tempore Clerus, praesertim e provincia ecclesiastica Veneta, spiritualibus exercitiis operam dat, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis Sacerdotes aliive ecclesiastici viri, sive Seculares sint sive Regulares et etiam Beneficiati, qui sub directione Sodalium e Societate Iesu exercitia spiritualia ubicum-

que peragunt, si simul, id est, in communi, Horas Canonicas recitant, possunt sequi Officium loci in quo peraguntur exercitia, ex speciali Pii Papae IX concessione extendentis ad alia loca facultatem iampridem pro Urbe indultam. Hinc quaeritur:

Utrum iuxta hoc Decretum, Clerus qui exercitia spiritualia in praefata Domo peragit sub directione Sacerdotum Sodalium Societatis Iesu inibi habitantium, sequi valeat Calendarium Dioeceseos Patavinae, prouti hucusque factum est; vel potius uti possit tantum Calendario Domus Religiosae, scilicet ipsius Societatis Iesu?

Et Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, referente Secretario, omnibus rite perpensis, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ». Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 21 Maii 1897.

3956. BRIOCEN.

Rm̃us Vicarius Generalis Dioeceseos Briocensis in Gallia Sacrae Rituum Congregationi infrascriptum dubium super Sequentia dicenda in Missis Defunctorum pro solutione ac declaratione humillime exposuit; nimirum:

Decreto Generali 30 Iunii 1896 Sacra Rituum Congregatio declaravit: « Quod ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis vel recitari posse vel omitti ad libitum celebrantis iuxta Rubricas ». Quum vero huiusmodi declaratio diverso modo intelligatur, quia nonnulli existimant Sequentiam esse dicendam in quibusvis Missis Defunctorum quae cum cantu fiunt; alii vero putant illam non esse dicendam nisi in Missis quae diebus privilegiatis sive cantantur, sive leguntur; hinc quaeritur:

Quonam sensu dicta verba intelligi debeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, proposito dubio respondendum censuit:

« Decreti verba accipienda esse uti sonant, videlicet: Sequentiam dicendam esse semper in Missis Defunctorum, quandocumque hae fiant in cantu, atque etiam in Missis lectis quae sunt de diebus privilegiatis, hoc est, diebus obitus, III, VII, XXX et anniversario; in reliquis autem ad libitum ».

Et ita rescripsit atque iterum declaravit.

Die 21 Maii 1897.

3957. AGENNEN.

Rm̃us Dominus Episcopus Agennensis a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem enixe postulavit; nimirum:

Dubium I. – 1°. Num Missae privatae de Requie die vel pro die obitus seu depositionis, de quibus agitur in Decreto *Aucto* Sacrae Rituum Congregationis diei 19 Maii 1896, confirmato a Summo Pontifice die 8 Iunii eodem anno, dici valeant cadavere tantum moraliter praesente sed physice absente, licet insepulto vel sepulto non ultra biduum?

2°. Num esse possint omnes de Requie, praeter Missam exequialem et aliam Officii diei conformem, si hanc celebrandi adsit onus?

3°. Num denique legi valeant in qualibet Ecclesia vel Oratorio sive publico sive privato?

Dubium II. Num Parochi Missae Sacrificium pro populo celebrare debeant non solum in Festo primario principalis Patroni propriae Parochiae; sed etiam in Festo primario Patroni praecipui totius Dioeceseos?

Dubium III. Num Missa parochialis, etiam non cantata, rationem habeat Missae conventualis, ita ut in ea supprimi debeant tum commemoratio simplicis tum preces post Missam?

Dubium IV. Num die secunda Ianuarii Vesperae esse debeant de sequenti cum commemoratione praecedentis, ut fit die quinta Iulii?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Quoad 1, 2 et 3 quaestionem: Affirmative; dummodo serventur clausulae et conditiones expressae in supradicto Decreto *Aucto*, et in una Romana diei 12 Ianuarii 1897 ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem; et etiam ad secundam, si hoc alterum Festum celebretur cum feriatione, saltem de iure ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Servetur, in casu, Rubrica specialis Breviarii Romani, iuxta Decreta alias edita ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 28 Maii 1897.

3958. DIOECESIUM ITALIAE.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis peculiaribus adiunctis, de speciali gratia ad beneplacitum S. Sedis valitura, benigne indulsit, ut Rmi Episcopi Italicae Regionis, qui dimissa propria Dioecesi ad aliam sive residentialem sive titularem transferuntur atque Apostolicam administrationem temporaneam prioris Dioeceseos retinent, ibidem, durante tantum eiusmodi administratione, omnibus honorificentiis, privilegiis, indultis ac facultatibus frui valeant, quae iisdem, uti propriis Episcopis Ordinariis, competebant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 25 Iunii 1897.

3959. ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA SANCTI FRANCISCI.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis declaratur et constituitur Beatissima Virgo Lauretana totius Piceni Regionis Patrona praecipua, atque Translationis ipsius Domus Festum praecipitur celebrandum in universo Piceno sub ritu duplici primae classis cum octava. Quum autem non idem sentiant quoad hoc Calendaristae Piceni, idcirco Director Calendarii Provinciae Observantiae Picenae, de consensu sui R. P. Ministri Provincialis, humillime postulavit a Sacra Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum ; videlicet :

Dubium I. An etiam Regulares omnes in Piceno commorantes teneantur celebrare Festum Translationis Sanctae Domus Lauretanae sub ritu duplici primae classis cum octava?

Dubium II. An idem Festum recoli debeat ibidem cum feriatione?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. « Affirmative ; sed sine octava ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 2 Iulii 1897.

3960. ROMANA.

Coetus Presbyterorum Secularium S. Pauli Apostoli in Urbe Summo Pontifici Pio Papae VII humiliter significarunt in multis Templis iustis de causis non eodem, quem Ecclesia constituit, die Festum SS. Cordis Iesu celebrari consuevisse ; quapropter ab Eo suppliciter petiverunt, ut veniam daret, qua Missae SS. Cordis Iesu propriae eo die celebrari possent, quo Festum ageretur : simulque concederet Indulgentiam Plenariam omnibus Christifidelibus, qui confessi et Sacra Communione refecti, pias precationes in Templum, ubi Festum celebratur, ad mentem Summi Pontificis D. O. M. fuderint ; quibus postulationibus Sanctitas Sua ita satisfecit :

« Ex audientia SSmi, Die 7 Iulii 1815, SSmus benigne annuit pro gratia in omnibus et in perpetuum, de licentia tamen Ordinariorum respective locorum quoad translationem diei Festi : contrariis non obstantibus. P. F. Card. Galeffi ».

Eiusmodi Rescripto Secretariae supplicum libellorum Sacrae Rituum Congregationi nuper exhibito, Moderator Primariae Congregationis SSmi Cordis Iesu penes Ecclesiam de Pace in Urbe ab ipsa Sacra Congregatione humiliter postulavit :

Utrum, iuxta praxim eiusdem Sacrae Congregationis, omnes Missae propriae de SS. Corde Iesu celebrari valeant in solemnitate translata ipsius SS. Cordis et qualibet die a Rmis Ordinariis locorum in casu designata?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

« Firmiter manente Festo SS. Cordis Iesu affixo Feriae VI post octavam Corporis Christi quotannis recolendo cum Officio et Missa propriis iuxta Rubricas et Decreta, eiusdem Festi externam solemnitatem, ad tramitem Rescripti supra relati, in aliam diem a Rmis Ordinariis locorum designatam posse in unoquoque anno transferri, etiam cum privilegio celebrationis Missae propriae de ipsomet SS. Corde Iesu: hoc autem privilegium iuxta praxim Sacrorum Rituum Congregationis excludi, quoad Missam Solemnem, a duplicibus primae classis et a Dominicis privilegiatis item primae classis ; et quoad Missas lectas, etiam a duplicibus secundae classis, necnon a Dominicis, Feriis, Vigiliis octavisque privilegiatis;

atque ea sub lege illud adhiberi posse, ut nunquam omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit obligatio; et serventur Rubricae ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Iulii 1897.

3961. DUBIUM.

Postulato Sacrae Rituum Congregationi exhibito: Utrum in Processionibus cum SSmo Sacramento Confraternitatum Sodales semper nudo omnino capite procedere debeant?

Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

« Affirmative, ad tramitem Ritualis Romani, Caeremonialis Episcoporum et Decretorum, praesertim in una Toletana diei 31 Augusti 1872 ad II ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Iulii 1897.

3962. NICOTEREN.

ET

TROPIEN.

Rmus Dominus Dominicus Taccone-Gallucci, hodiernus Episcopus Nicoteren. et Tropien., Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exponens opportunam dubiorum solutionem et facultatem postulavit; nimirum:

Ante annum 1880 in Cathedrali Ecclesia Tropien., quae superiori seculo fuerat consecrata, innovationes factae sunt, nempe: Altare maius marmoreum, quod retro habebat Chorum seu Sedes Canonicorum et Mansionariorum, dimotum fuit et postremo parieti innixum, manentibus ante illud sedibus choralibus; quare nova indiget consecratione. Insuper parietum et fornicum crusta, vulgo *intonaco,* tota simul disiecta fuit, atque partim denuo confecta et depicta, partim vero marmoreis tabulis subrogata. Plura quoque Altaria marmorea habent in medio mensae lapidem quadrum in forma Altaris portatilis caemento firmatum. Hinc quaeritur:

I. An Ecclesia Cathedralis Tropien. execrata sit, quia tota simul crusta disiecta fuit? Et quatenus Negative,

II. Quum eadem Ecclesia ob diuturnam opificum mansionem sit reconcilianda, ipse Episcopus Tropien. petit facultatem delegandi Sacerdotem ad eiusmodi reconciliationem seu benedictionem.

III. Quum supradicta Altaria cum lapidibus quadris in medio, consecrata fuerint ad modum Altarium fixorum, quorum mensa unico lapide constat, stipiti lapideo ex utraque parte adhaerens; idem Episcopus postulat, quatenus opus sit, sanationem quoad praeteritum tempus et dispensationem quoad futurum, ut in iisdem Altaribus, etiam in posterum, Sacrum fieri valeat, prouti hucusque factum fuit.

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; iuxta Decretum diei 19 Maii 1896 ad II, a Summo Pontifice confirmatum die 8 Iunii eiusdem anni ».

Ad II. « Pro gratia ».

Ad III. « Pro gratia, quatenus opus sit tum sanationis tum dispensationis ad effectum de quo agitur. Curet tamen Episcopus ut Altaribus portatilibus fixa substituantur ».

Atque ita rescripsit et de Apostolica Auctoritate petitas facultates concessit.

Die 9 Augusti 1897.

3963. RUTHENEN.

Rmus Dominus Ernestus Ricard Vicarius Capitularis Dioeceseos Ruthenen. a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Num ex Decreto Generali Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum diei 30 Iunii 1896, etiam in Missa cantata quae in Dioecesi Ruthenensi, ex Ordinarii mandato, quater in anno celebrari solet, una tantum Oratio dicenda sit cum Sequentia?

Dubium II. Mos est in eadem Dioecesi Ruthenensi ut, de licentia Ordinarii, aliquot post obitum diebus, *servitium* vulgo dictum *novendiale* celebretur cum novem Missis eadem die vel diebus successivis, non impediente ritu, et tempore opportuno etiam extra tertium, septimum aut trigesimum diem. Item in more est ut Missa semel in hebdomada vel in mense cum cantu celebretur pro defunctis Paroeciae cum magno fidelium concursu. Quaeritur: An in praedictis Missis dici possit unica Oratio; et in casu, quaenam ex quatuor Missis dici debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad rela-

tionem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative; ad instar Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ».

Ad II. « Negative; sed plures dicantur Orationes, ut in Missa quotidiana, quae in casu accipienda est ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Augusti 1897.

3964. DE TRUXILLO.

Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit solvendum; videlicet:

An servari possit mos in aliquam Ecclesiam, etiam Cathedralem, invectus, ut mulieres ac puellae intra vel extra ambitum Chori canant in Missis solemnibus, praesertim diebus per annum solemnioribus?

Et Sacra Rituum Congregatio ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« Invectam consuetudinem utpote Apostolicis et Ecclesiasticis praescriptionibus absonam, tamquam abusum esse prudenter et quamprimum eliminandam, cooperante Capitulo seu Clero ipsius Ecclesiae curae et auctoritati Rm̃i sui Ordinarii ». Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 17 Septembris 1897.

3965. AUGUSTODUNEN.

Em̃us et Rm̃us Dominus Cardinalis Adulphus Ludovicus Albertus Perraud Episcopus Augustodunensis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit; nimirum:

Dubium I. Mos perantiquus praevaluit apud Clerum et fideles Dioeceseos Augustodunensis flectendi genua in Missa, dum cantantur in Symbolo verba: *Et homo factus est*. Hinc quaeritur: An eiusmodi consuetudo retineri possit?

Dubium II. Mos etiam invaluit in eadem Dioecesi ut, ad benedictionem SSm̃i Sacramenti, celebrans et assistentes surgant dum cantantur Antiphonae de Beata Maria Virgine vel aliae preces quae praecedunt *Tantum ergo;* quaeritur: An etiam haec consuetudo servari valeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito quoque voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Consuetudo antiqua, de qua in casu, servari potest ».

Ad II. « Dum preces dicuntur ad benedictionem, exposito SSm̃o Sacramento, officium faciens et Ministri assistentes manere debent genuflexi, excepto Hymno ambrosiano, in quo stant, iuxta Rubricas et praxim ». Atque ita rescripsit.

Die 17 Septembris 1897.

3966. ORDINIS

MINORUM DE OBSERVANTIA

S. FRANCISCI.

Rm̃us P. Commissarius Generalis Fratrum Minorum Observantium Provinciae Calabriae Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

In Conventu Fratrum Minorum Franciscalium de Observantia prope Petiliam Policastri ex Provincia Calabriae, abhinc tribus seculis una colitur Spina Coronae D. N. I. C. sanguine conspersa et quondam a Rm̃o Archiepiscopo S. Severinae, in cuius Dioecesi situm est oppidum, iuridice recognita et approbata. Haec autem S. Reliquia cum exponitur fidelium venerationi, super tabernaculum collocari solet, in quo SSm̃um Sacramentum asservatur et ante ipsam transeuntes utrumque flectunt genu; et ipsi Sacerdotes ante eam expositam celebrantes omnia peragunt, quae ante SSm̃um Sacramentum expositum fieri solent. Idem vero Rm̃us P. Commissarius Generalis in sua canonica visitatione haec omnia nonnisi SSm̃ae Eucharistiae ratus convenire ex ecclesiastica institutione, iussit ab his abstineri et omnia peragi ad tramitem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis. Quod aegre ferentibus quibusdam, ut efficacius, in casu, omnis abusus eliminetur et debitus honor Sacrae Spinae D. N. I. C. tribuatur, praedictus orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit:

I. Utrum praefati usus approbari; an saltem tolerari possint? Et quatenus Negative,

II. Quis sit legitimus cultus eidem Sacrae Spinae tribuendus:

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, attentis expositis, utrique postulato rescribendum censuit:

« Negative; et stetur Decretis, praesertim in Tridentina diei 12 Martii 1836, in

responsione ad dubium primum; aliisque respicientibus cultum exhibendum ac praescriptum pro Reliquiis vivificae Crucis aliorumque instrumentorum Passionis Dominicae ».

Atque ita rescripsit.

Die 17 Septembris 1897.

3967. TARRACONEN.

Rm̃us Dominus Thomas Costa y Fornaguera Archiepiscopus Tarraconensis Sacrae Rituum Congregationi humiliter sequentia exposuit; nimirum:

I. Quod ex Decreto diei 2 Maii 1867 permulta Sanctorum Festa pro Ecclesiis Regni Hispanici suppressa fuere, quae inter, etiam Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae; sub conditione ut respective insequenti Dominica, post Nonam in Choro, necnon Missam Conventualem de Officio diei, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Missa solemnis more votivo de suppresso Festo antecedente canenda sit.

II. Quod in universa Tarraconensi Archidioecesi dies 24 Iunii, hoc est Festum S. Ioannis Baptistae, unanimi Cleri populique consensu publice sub duplici ecclesiastico praecepto observatur; atque est festivitas popularis, quae summa religione celebratur.

III. Quod in Ecclesiis Metropolitana et Collegiatis eiusdem Archidioeceseos, Dominica diem 24 Iunii proxime insequenti, quando post Nonam decantatur Missa solemnis de S. Ioanne, huic Missae fideles adstare non solent.

Hinc idem Rm̃us orator ab ipsa Sacra Congregatione postulavit:

Num eiusmodi Missa de Nativitate S. Ioannis canenda sit insequenti Dominica?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; et servetur Decretum in Quebecen. diei 6 Martii 1896 ad IV ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Novembris 1897.

3968. BAREN.

Per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis, datum die 27 Martii, hoc labente anno, confirmata fuit sententia Archiepiscopi Barensis in controversia de praecedentia inter Confraternitatem SSm̃i Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci in oppido *Triggiano* nuncupato. Quum vero praedicta Confraternitas novam postulasset atque obtinuisset revisionem et examen praedictae sententiae, eadem Sacra Congregatio in altero conventu ordinario Rotali, subsignata die, ad Vaticanum habito coram Em̃o et Rm̃o Cardinali Domino Lucido M. Parocchi Episcopo Portuensi et S. Rufinae, loco et vice Em̃i et Rm̃i Card. Domini Caietani Aloisi Masella, causae Ponentis, iterum maturo examine perpensis omnibus ab utraque parte contendente deductis ac sententia supradicta una cum Rescripto eam confirmante, ad propositum dubium: An sit standum vel recedendum a decisis? respondendum censuit:

« Standum in decisis; et praecedentiam in casu spectare ad Tertium Ordinem ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Novembris 1897.

3969. URBIS ET ORBIS.

Ad humillimas preces Rm̃i P. Aloisii Cacciari, Procuratoris Generalis et Postulatoris Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ab Eminentissimo et Rm̃o Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, concedere dignatus est, ut, translato in diem VII Iulii, vel, hac impedita, in primam diem subsequentem liberam, iuxta Rubricas, Festo assignato Ss. Cyrilli et Methodii PP. CC., alterum Festum natalitium S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, cum Officio de Comm. Conf. non Pont. et Lectionibus I Nocturni de Scriptura occurrente, II et III Nocturni, Oratione ac Missa propriis, iam approbatis et concessis praedictae Religiosae Congregationi, die V Iulii ab universa Ecclesia, sub ritu duplici minori, post annum 1898, singulis annis recolatur. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster supradictum Officium cum Missa de S. Antonio M. Zaccaria, sub praedicto ritu, in Calendario universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inscribi mandavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Decembris 1897.

3970. MONASTERIEN.

Rm̃us Dominus Hermannus Dingelstad, Episcopus Monasteriensis, Sacrae Rituum

Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

Litteris Apostolicis Leonis Papae XII, diei 11 Decembris 1828, inter cetera indultum est, quod in Dioecesibus Metropolitanae Provinciae Coloniensis Festum principalioris Patroni cuiuscumque Ecclesiae, nisi incidat in Dominicam, celebrandum sit Dominica proxime sequenti; Festum vero S. Laurentii, ubi fuerit Patronus, celebretur Dominica diem decimam Augusti praecedenti. Quae quidem ordinatio in Dioecesi Monasteriensi ita in praxim deducta est, ut Festum Patroni pro foro et Choro, quoad Officium et Missam in Dominicam proxime sequentem tanquam diem propriam transferatur, et ita hucusque servatum est; ex qua praxi sequitur, quod dies, cui in universali Ecclesia Festum Patroni assignatum est, tamquam feria habeatur, ac proinde applicatio Missae pro populo etiam omittatur. Quum vero plura Sacrae Rituum Congregationis Decreta pro Gallia et Belgio, non solum semper supponant, verum etiam explicite dicant Festum Patroni pro Choro quoad Officium et Missam ea ipsa die, cui pro universali Ecclesia assignatum est, celebrandum et solam extrinsecam solemnitatem in Dominicam proxime sequentem vel praecedentem transferendam aut translatam esse; dubium exortum est an supradicta praxis de iure subsistat ac tuto servari possit. Quapropter idem Rm̃us orator ab ipsa Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem flagitavit; scilicet:

Dubium I. Utrum in Monasteriensi Dioecesi Festum Patroni principalioris cuiusque Ecclesiae pro foro et Choro transferri possit in Dominicam proxime sequentem vel praecedentem; an vero sola solemnitas extrinseca sit transferenda, nihil immutando quoad Officium et Missam in Choro? Et quatenus Affirmative ad secundam partem,

Dubium II. Num obligatio applicandi Missam pro populo die propria S. Patroni adhuc perduret? Et quatenus Affirmative,

Dubium III. Quid faciendum pro praeteritis huius Missae pro populo applicationis omissionibus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative, iuxta Decreta; praesertim in una Quebecensi die 6 Martii 1896, in responsione ad quaestionem secundam dubii primi ».

Ad III. « Ad S. Congregationem Concilii ». Atque ita rescripsit.

Die 7 Ianuarii 1898.

3971. MONASTERIEN.

Rm̃us Dominus Hermannus Dingelstald, Episcopus Monasteriensis Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit sequentia:

In Dioecesi Monasteriensi per plus quam ter centum annos *Festum Patroni cuiuscumque Ecclesiae parochialis* erat Festum de praecepto cum feriatione populi ad eam pertinentis. Postea vero Episcopus Monasteriensis Gasparus Maximilianus per edictum anni 1829 *Festum Patroni Ecclesiae parochialis* Dominica sequenti cum Officio et Solemnitate celebrandum praescripsit, innixus dispositionibus Litterarum Apostolicarum Pii VI, diei 19 Aprilis 1788 pro Orientalibus et Leonis XII diei 12 Decembris 1828 pro Occidentalibus provinciis Regni Borussici. Verba Pontificia haec sunt: « Retineatur « nempe et celebretur festivus dies unius « tantum principalioris Patroni. Sed si ali« cubi plures Patronos aeque principales ha« beri contigerit, diligenter inquirendum « est, quinam ex dictis principalioribus Pa« tronis potiorem cultum ac venerationem in « ea Civitate vel oppido vel pago habeat; et « eius tantum festivitatis praeceptum desi« gnandum est. Dies autem Festivitatis Pa« troni cuiusque loci non ea imposterum « sit quae propria dicitur, sed Dominica « dies, quae propriam diem proxime sub« sequetur, in eamque Festum *cum Officio* « *et Missa* cadere nec non et praeceptum « intelligatur ».

Cum autem dubium moveretur, an memoratum edictum Episcopi Gaspari Maximiliani anni 1829 de iure subsisteret ac tuto servari posset, illius Successor Ioannes Georgius Episcopus die 28 Novembris 1863 Sacrae Rituum Congregationi adnexas preces porrexit, quae tamen citata verba Pii VI et Leonis XII haud referebant. Et Sacra Rituum Congregatio, ad primum dubium in precibus expositum, praehabito Sanctitatis Suae oraculo, respondendum censuit: Affirmative ad secundam partem; ac proinde in die occurrentiae Parochi aliique Sacerdotes curam animarum habentes tenentur ad applicationem Missae pro populo. Omissionibus vero, quae hucusque locum habue-

runt, SSmus Dominus pro sua benignitate suppleri posse indulsit, dummodo ab iisdem Parochis aliisque, ut supra, curam animarum habentibus, unica tantum Missa, quacumque die, applicetur pro populo.

Hoc Decretum in praxim deductum est, ac proinde Festum Patroni Ecclesiae parochialis impraesentiarum celebratur die ipsius propria et Parochi eodem die applicant Missam pro populo; solemnitas vero externa recolitur in insequenti Dominica cum unica Missa solemni de Patrono, servatis Rubricis.

Quae cum ita sint, idem Rmus Episcopus orator Sacram Rituum Congregationem supplex efflagitavit, ut rem valde implexam per solutionem insequentium dubiorum decernere vellet:

Dubium I. An Patronus Ecclesiae parochialis, ex eo quod eius Festum de praecepto cum feriatione post Bullam Urbani VIII anni 1630 celebrandum fuit, ipse legitime habendus sit tamquam verus Patronus loci, etiam absque electione a Clero, Magistratu et Populo facta; ideoque ad eum pertineant quaecumque circa Patronos in Ecclesiasticis Constitutionibus et Pontificiis Decretis praecipiuntur, quemadmodum a Sacra Rituum Congregatione in una Paderbonen. diei 4 Februarii 1871 resolutum est?

Dubium II. An per memoratum Decretum Sacrae Rituum Congregationis pro hac Dioecesi, derogatum sit supra recensitae dispositioni Summorum Pontificum Pii VI et Leonis XII relate ad Festum Patroni, ita ut tuto servari possit usus hodiedum in Dioecesi vigens, celebrandi nempe Officium Patroni in die propria et transferendi solummodo externam solemnitatem in Dominicam sequentem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature et accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Provisum in secundo ».

Ad II. « Servetur usus vigens ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Ianuarii 1898.

3972. URGELLEN. SEU MONIALIUM CLARISSARUM.

M. Emmanuela Balalls, Abbatissa Conventus Monialium Clarissarum, Civitatis Balagarii, Urgellensis Dioecesis in Hispania, una cum omnibus eiusdem Communitatis Monialibus, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur, humillime exposuit; nimirum:

In Ecclesia Conventus, in qua iam per sex et amplius secula Officium Divinum persolvitur, Missa conventualis celebratur, ceteraeque functiones Communitatis peraguntur; sacra Domini Nostri Iesu Christi Imago magna fidelium veneratione colitur sub invocatione, vulgo *Santo Cristo de Balaguer*.

Conventus proprium Cappellanum habet, cui incumbit et confessiones audire, et Missam Conventualem celebrare, omniaque alia officia peragere, quae ad Conventum attinent.

Est et alius Sacerdos ab Ordinario loci destinatus, cui specialiter commissa est SSmi Crucifixi custodia et eiusdem redituum administratio.

Ex hisce expositis clare patet eadem in Ecclesia coexistere duas entitates distinctas, Conventum nempe Monialium et SSmi Crucifixi Administrationem.

Quum vero non semel, praeteritis temporibus, ad iura Communitatis servanda, Oraculum Apostolicae Sedis expostulatum fuerit et etiam in praesenti hora se obtulerit occasio ob quaestiones exortas inter ipsam Religiosam Communitatem et praedictum SSmi Crucifixi Administratorem, eadem Abbatissa una cum suis Monialibus ab ipsa Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit: nempe:

Dubium I. Utrum ius benedicendi candelas in Festo Purificationis B. M. Virginis, Cineres Feria IV Cinerum et Ramos Dominica Palmarum competat Communitati ac proinde proprio Confessario seu Cappellano; an praefato SSmi Crucifixi Administratori?

Dubium II. Utrum in Sacro Triduo Maioris Hebdomadae, cuius Officium a Monialibus fieri potest et debet, celebrari ipsum debeat per Confessarium seu Cappellanum Conventus; vel per supradictum Administratorem?

Dubium III. Utrum liceat in Altari Maiori Missa celebrari, dum in Choro a Communitate Horae Canonicae persolvuntur, ut fieri solet?

Dubium IV. Utrum Administrator SSmi Crucifixi aliique Sacerdotes Missas celebrantes in Ecclesia enuntiati Conventus sese conformare teneantur Calendario Monialium, iuxta Decretum Sacrae Rituum

Congregationis diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eiusdem anni; an sequi queant Calendarium Dioecesanum, uti hucusque consueverunt, non obstante praelaudato Decreto?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, attentis Decretis omnibusque a partibus in medium prolatis, necnon relationibus Rmi Ordinarii Urgellensis et Procuratoris Generalis Ordinis Minorum pro Regno Hispanico; rescribendum censuit:

Ad I et II. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Si Altare maius non prospiciat Chorum, Affirmative; secus Negative; et consuetudo abolenda ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Ianuarii 1898.

3973. COLONIEN.

Emus et Rmus Dominus Cardinalis Philippus Krementz Archiepiscopus Colonien. Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quae sequuntur:

In oppido et districtu Essendiensi huius Archidioecesis Coloniensis, usque ad annum 1803 dominio temporali Abbatissae Essendiensis subiecto, Festum Ss. Cosmae et Damiani Martyrum tamquam Patronorum principatus Essendiensis quotannis sub ritu duplici primae classis cum octava solemniter celebrabatur. Postquam vero Essendiense oppidum cum districtu suo Regno Borussico fuit incorporatum, in oppido quidem Essendiensi Festum Ss. Cosmae et Damiani tamquam Patronorum loci hodiedum sub ritu duplici primae classis cum octava fuit celebratum; sed non item in districtu Essendiensi, in quo inde a viginti circiter annis dicti Sancti Martyres ut Patroni non amplius fuerunt honorati. Videbatur enim dubium an, principatu Essendiensi sublato, Ss. Cosmas et Damianus qui eius erant Patroni, retineri deberent ut pagi Patroni sub ritu duplici primae classis cum octava.

Quum vero Parochi oppidi et districtus Essendiensis valde exoptent ut Sancti Patroni, quorum sub tutela oppidum et territorium Essendiense in fide permansit stabile, antiquo potiantur cultu, idem Emus Archiepiscopus orator, eorum votis unanimibus obsecundans, ab ipsa Sacra Congregatione sequentem declarationem atque indultum efflagitavit; nempe:

Dubium I. An, in casu, Ss. Cosmas et Damianus Martyres deinceps colendi sint ut Patroni pagi Essendiensis qui constat ex Parochiis in territorio pristini principatus Abbatiae Essendiensis erectis, videlicet: ex Parochia ad S. Ioannem Baptistam Essendiae, ex Parochia ad S. Gertrudem Virginem Essendiae, ex Parochiis Altendorf, Altenessen, Caternberg, Frohnhausen, Rellinghausen, Rüttenscheidt, Steele, Stoppenberg, Ueberruhr, Bergeborbeck, Borbeck, Frintrop et Parochia ad S. Mariam in Oberhausen? Et quatenus Affirmative,

Dubium II. Quum vi indulti Leonis Papae XII diei 2 Decembris 1828 in provincia Coloniensi festivitas Patroni cuiusque loci, nisi venerit in ipsa Dominica, cum Officio et Missa translata sit in Dominicam proxime sequentem, Festum Ss. Cosmae et Damiani saepe celebrandum foret Dominica prima Octobris, qua solemnitas sacratissimi Rosarii peragenda est. Verum, ne id occurrat, idem Emus Archiepiscopus expetivit, ut indultum, simile illi quod Leo PP. XII universae provinciae pro Festo S. Laurentii concessit, pago Essendiae elargiatur pro festivitate Ss. Cosmae et Damiani; nempe ut cum Officio et Missa sub ritu duplici primae classis cum octava valeat semper peragi ultima Dominica Septembris.

Et Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, attentis expositis ac peculiaribus adiunctis; rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Item Affirmative, pro gratia ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Ianuarii 1898.

3974. DUBIUM SEU GALLIARUM.

In plurimis Galliae Ecclesiis atque Oratoriis usus invaluit postremis hisce temporibus sacram Hostiam, quae in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia, eamque in Tabernaculo reponendi absque ulla capsula, seu custodia.

Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: An eiusmodi praxis licita sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae ac re mature perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative ; dummodo sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa atque crystalla non tangat, iuxta Decreta alias edita ». Atque ita rescripsit.

Die 14 Ianuarii 1898.

3975. PARISIEN.

Rev. Dominus Augustinus Dauby, Sacerdos et Moderator pii Instituti a Sancto Nicolao nuncupati, in Civitate Parisiensi, de mandato sui Rm̃i Ordinarii, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Dubium I. Quoad genuflexiones faciendas a ministro Missae privatae, quae iusta de causa et praevia licentia celebretur in Altari expositionis SSm̃i Sacramenti, quaeritur:

1. Minister, qui transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii et genuflectit in plano ante medium Altaris, debetne etiam genuflectere in accessu ad cornu Altaris et recessu?

2. Quando idem minister ad offertorium et purificationem ascendit ad Altare et descendit, ubinam genuflectere debet?

Dubium II. Rubricae Missalis de Ritu servando in celebratione Missae Tit. V, n. 6, praescribunt: Si in Altari fuerit tabernaculum SSm̃i Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris. Hinc quaeritur: Utrum etiam in Missa privata debeat Sacerdos genuflectere:

1. Quando, defectu ministri, ipse transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, et vicissim;

2. Quando in Maiori Hebdomada transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii ad legendam Passionem?

Dubium III. Rituale Romanum Tit. Ordo ministrandi Sacram Communionem, haec habet: Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit: *O sacrum convivium etc.*, ℣. *Domine exaudi etc. Et clamor etc., Dominus vobiscum etc.;* hinc quaeritur:

1. Utrum istae preces convenienter dicantur, iunctis manibus antequam cooperiatur Pyxis et digiti abluantur?

2. Utrum Sacerdos duas genuflexiones facere debeat, unam statim ac deposuit Pyxidem super Altari et antequam eam cooperiat; alteram priusquam, reposita in tabernaculo Pyxide, ipsius tabernaculi ostiolum claudat?

Dubium IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, ad benedictionem impertiendam cum SSm̃o Sacramento ipse celebrans accipit Ostensorium super Altari positum; sed receptum est, ut Diaconus accipiat Ostensorium et porrigat celebranti, qui post benedictionem Diacono tradit super Altari collocandum. Hinc quaeritur: Num liceat in hac duplici Ostensorii traditione ritum servare, qui praescribitur pro Feria V in Coena Domini et in Festo SS. Corporis Christi ante et post Processionem SSm̃i Sacramenti?

Dubium V. Licetne aliquid canere lingua vernacula

1. In Missa solemni, dum sacra Communio distribuitur per notabile tempus?

2. In solemni Processione SSm̃i Sacramenti, alternatim cum Hymnis liturgicis?

Dubium VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum in solemni Officio ad IX Lectionem et in Laudibus Hebdomadarius et Assistentes pluviali sunt induti. Hinc quaeritur:

1. Num idem fieri possit a principio Matutini?

2. Num lectori septimae Lectionis Evangelii Homiliae duo Acolythi cum cereis accensis assistere possint, durante Lectione Evangelii?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Quoad primam quaestionem: Unicam genuflexionem esse faciendam in plano ante medium Altaris; quoad alteram quaestionem: Tam ante ascensionem ad Altare, quam post descensionem de eodem, in plano genuflexionem esse faciendam ».

Ad II. « Negative, ad utrumque ».

Ad III. « Quoad primam partem: Negative; et preces dicendae sunt infra ablutionem et extersionem digitorum. Quoad alteram partem: Affirmative; iuxta Decretum in Romana diei 23 Decembris 1862 et praxim Basilicarum Urbis ».

Ad IV. « Aut servatur ritus a Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. 32, § 27 praescriptus; aut, iuxta praxim Romanam, Diaconus Ostensorium celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante ».

Ad V. « Negative ad utrumque ».

Ad VI. « Si non adsit legitima consuetudo, Negative ad utrumque; et servetur Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. VI, § 16 ».

Atque ita rescripsit.

Die 14 Ianuarii 1898.

3976. BELLUNEN.

ET

FELTREN.

R̃mus Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunensis et Feltrensis, qui per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis, mense Novembri anno elapso 1897, obtinuit facultatem consecrandi, sive per se sive per Sacerdotem Apostolicae Sedis nomine a se delegatum, quaedam Altaria, adhibendo breviorem ritum ac formulam, iuxta instructionem ad ipsum transmissam ab eadem Sacra Congregatione, sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit; nimirum:

Dubium I. An aqua, cum qua fit malta seu coementum ad firmandam tabulam seu lapidem super sepulcrum reliquiarum, benedici valeat cum formula inserta in Rituali Romano?

Dubium II. An ipsum coementum benedicendum sit?

Dubium III. An supradicta benedictio tum aquae tum coementi, necnon facultas consecrandi Altaria, in quibus lapis sepulcri ob omissum coementum movetur, Apostolicae Sedis nomine delegari possit simplici Sacerdoti, vi obtenti Rescripti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative; sed in benedictione eiusmodi aquae adhibenda est formula, quae habetur in ipso Pontificali Romano ».

Ad II. « Affirmative; iuxta Pontificale Romanum ».

Ad III. « Affirmative; quoad utramque partem ».

Atque ita rescripsit.

Die 21 Ianuarii 1898.

3977. BUGELLEN.

In Actis synodalibus Dioeceseos Bugellensis pag. 3 legitur: Missa etiam in pauperum funeribus, praesente cadavere, si fieri potest, cani debet: legatur autem, si cani nequit, diebus per Decreta Sacrae Rituum Congregationis permissis.

Hinc ab ipsa Sacra Congregatione expetitum fuit: Utrum concessio facta die 4 Aprilis 1878 Ecclesiis vel Oratoriis publicis praedictae Dioeceseos celebrandi biduo in qualibet Hebdomada, exclusis duplicibus primae et secundae classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis octavisque privilegiatis, Missam cantatam de Requie extendatur etiam ad Missam de Requie sine cantu, seu lectam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

« Negative; nisi agatur de Missa die obitus seu depositionis pro paupere defuncto ». Atque ita rescripsit.

Die 28 Ianuarii 1898.

3978. BELLUNEN.

ET

FELTREN.

R̃mus Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren., pastorali visitatione dioecesana peracta, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit; nimirum:

Dubium I. Num tolerari possit quod in parte posteriori Altaris maioris Ecclesiae Cathedralis Feltrensis, sub gradu candelabrorum non tamen sub mensa, in quodam armario custodiantur libri chorales?

Dubium II. Num permitti possit ut sub sacrario praedictae Ecclesiae Cathedralis, in quo extat Altare portatile, habeantur cubicula pro habitatione aeditui laici suaeque familiae?

Dubium III. Quum dubium ortum sit an Ecclesia S. Rochi, antea consecrata et deinceps ampliata, fuerit post ampliationem benedicta; quaeritur num eiusmodi benedictio, quae fidelibus saltem admirationem moveret, omitti possit?

Dubium IV. Num possit tolerari antiqua consuetudo erigendi Altare portatile in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, quibusdam occurrentibus solemnitatibus et confluente ingenti populi frequentia?

Dubium V. Num, extante dubio de privilegio, tolerari possint in domibus privatis

fenestrae, quae introspiciunt adiunctam Ecclesiam vel Oratorium publicum, quaeque non absque gravi familiarum moerore et cum magna difficultate claudi possent?

Dubium VI. Num in Ecclesiis consecratis et non tantum benedictis, ubi nullus extat Altare fixum consecratum vel, si aliquod extabat, hoc per defectum substantialem uti execratum habetur, remanere queant Altaria tantum portatilia?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I, II, III, IV et V. « Rmus orator acquiescat ».

Ad VI. « Quam primum fieri possit, consecretur Altare fixum, praesertim Altare maius, in forma consueta, iuxta Pontificale Romanum ».

« Si vero Altare fixum consecratum fuit, sed per aliquem defectum substantialem amisit consecrationem; tunc, dummodo omnes adsint conditiones requisitae ad novam consecrationem Altaris, haec perfici poterit *ex gratia* per ritum ac formulam brevem, ad tramitem Instructionis ab ipsa Sacra Rituum Congregatione apposite tradendae ».

Atque ita rescripsit.

Die 4 Februarii 1898.

3979. NEOPORTEN. ET MENEVEN.

Rmus Dominus Cuthbertus Hedley, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Neoporten. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

In Anglia nec dari Paroecias strictim dictas, nec Beneficia quibus adnexum sit onus Divini Officii recitandi; verum Ecclesiis singulis addictos esse unum vel plures Sacerdotes, qui ibidem residentes munia quasi parochialia in Territorio sive (ut aiunt) in Districtu Missionario ipsius Ecclesiae ratione muneris exercent.

Rectores Ecclesiarum alios esse ad nutum Episcopi amovibiles, alios vero nonnisi praevio Processu Canonico vel Resignatione sponte oblata et accepta: universos autem Vicarios sive Sacerdotes Assistentes esse ad nutum Ordinarii amovibiles.

Ecclesias per Angliam perpaucas esse consecratas, ceteras benedictas sub invocatione Sancti Titularis: nonnunquam vero fideles (deficiente Aede Sacra) congregari ad Missam audiendam Sacramentaque suscipienda in Schola vel alia Aula congrua pro publico Oratorio ab Ordinario designata.

Quare idem Rmus Episcopus, apprime cupiens cuncta quae cultum divinum respiciunt in sua Dioecesi ad tramitem Decretorum Sacrae Rituum Congregationis disponere, insequentium dubiorum solutionem enixe postulavit; nempe:

Dubium I. An apud Anglos in Ecclesiis Cleri Secularis Calendarium Dioecesanum a laudata Sacra Rituum Congregatione approbatum et singulis annis iussu Ordinarii editum, additis Festis Ss. Titularium, Dedicationis atque aliis (si quae fuerint) a Sancta Sede concessis, censeatur Calendarium uniuscuiusque Ecclesiae, cui proinde quivis Celebrans in Sacro faciendo atque Sacerdotes Ecclesiae, etiam in Officio Divino recitando, se conformare debeant?

Dubium II. An liceat Regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius Ecclesiae Secularium, Sacras Functiones iuxta ordinem Calendarii propriae Religiosae Congregationis peragere, relicto Calendario Dioecesano, cui populus iam assuetus fuerit?

Dubium III. An Regularis Ecclesiae Seculari aliquando ad tempus sive ad beneplacitum Episcopi (Superiore Religioso assentiente) praepositus, atque privatim recitans Horas Canonicas, ahdibito iuxta Decreta a Sacra Rituum Congregatione Calendario proprii Ordinis, teneatur nihilominus ad Officium Sancti Titularis Ecclesiae Secularis praedictae et quidem sub ritu duplicis primae classis cum octava?

Dubium IV. Item, an, commissa absque tempore praefinito administratione Ecclesiae Regularis Sacerdoti Seculari, huic liceat, amoto Calendario Regularium, quo hactenus usus fuerit Clerus illius Ecclesiae, ordinare Missas et Officia publica iuxta Calendarium Dioecesanum?

Dubium V. Quid decernendum de Calendario illorum Districtuum (sive sint de iure Cleri Secularis sive de iure Cleri Regularis) ubi, Ecclesia nondum aedificata, populus ad Sacra adunetur in aedificiis, nonnisi transitorie ad cultum destinatis?

Dubium VI. Cum saepenumero eveniat (vi privilegii a Sancta Sede concessi) Canonicos Ecclesiae Cathedralis praepositos esse, cum cura animarum et onere resi-

dentiae, Ecclesiis dissitis nec a Cathedrali dependentibus; quaeritur utrum a Canonico Rectore huiusmodi Officium divinum sit persolvendum iuxta Calendarium Cathedralis; an potius iuxta Calendarium Ecclesiae, cui hac ratione et stabili modo, sive etiam vita perdurante, ipse fuerit adscriptus?

Dubium VII. An Sacerdotes Assistentes sive Vicarii teneantur in recitatione privata divini Officii se conformare Calendario Ecclesiae, cui sunt addicti?

Dubium VIII. An liberum sit Canonico Rectori, quamdiu hoc munere fungitur, statuere pro arbitrio Calendarium Cathedralis pro Calendario Ecclesiae et Districtus Missionarii, sive quasi Paroeciae, cui ut supra praeest, ne scilicet Missa ab Officio discrepet?

Dubium IX. Utrum Officium Vesperarum Dominicis Festisque diebus publice decantari solitum, ordinandum sit iuxta Calendarium Ecclesiae, in qua persolvitur; an potius concordandum cum Officio privatim recitando a Rectore Ecclesiae, partes, ut plurimum, Hebdomadarii agente?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Calendarium Dioecesanum adhibendum ».

Ad VI. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad VII. « Affirmative ».

Ad VIII. « Negative ».

Ad IX. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 4 Februarii 1898.

3980. CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.

Rev. P. Petrus Blerot e Congregatione SSmi Redemptoris et Director generalis Archiconfraternitatis a Sancta Familia nuncupatae, quae Leodii in Belgio anno 1844 canonice erecta, titulo Archiconfraternitatis anno 1847 ab Apostolica Sede decorata fuit, a Sacra Rituum Congregatione, de expresso consensu plurium Reverendissimorum Antistitum, sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum:

Num, attentis Decretis a Sacra Rituum Congregatione editis relate ad recitationem Litaniarum, continuari possit consuetudo, qua sodales praedictae Archiconfraternitatis in congressibus, ad quos in Ecclesiis et Oratoriis publicis, etiam ianuis clausis, ipsi soli admittuntur, et extra functiones liturgicas, non privatim sed communiter recitant quasdam Litanias, gesta et exempla Sanctae Familiae, a qua nomen habent, referentes et a plerisque Reverendissimis Ordinariis approbatas?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, dubio proposito respondendum censuit:

« Serventur Decreta, non obstante consuetudine ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 11 Februarii 1898.

3981. DUBIA.

Praeter tres Litanias pro usu publico in universali Ecclesia approbata, h. e., Litanias Sanctorum, Litanias B. M. V. et Litanias SSmi Nominis Iesu, peculiares quaedam Litaniae habentur ex. gr. de Purissimo Corde B. M. V. aliaeque ab uno vel altero Rmo Ordinario pro usu tantum privato approbatae, quae idcirco neque in Breviario neque in Rituali Romano continentur.

Quaeritur I. Num eiusmodi peculiares Litaniae ita strictim prohibeantur, ut Monialibus sive Religiosis Institutis non liceat illas privatim canere vel recitare ad instar precum oralium? Et quatenus Negative,

II. Num iisdem Religiosis Familiis illas liceat canere vel recitare communiter in Choro, aut respectivo Oratorio?

III. Item num peculiares eiusmodi Litanias liceat fidelibus in publica Ecclesia sive privatim, sive communiter, cantare vel recitare ad modum quarumcumque precum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus in casu perpensis, ita rescribendum censuit; videlicet:

Ad I. « Negative, h. e., ita strictim non sunt prohibitae, ut singulis privatim eas non liceat cantare, vel recitare ».

Ad II. « Negative; h. e., ita strictim prohibeantur, ut communiter in Choro publico vel publico Oratorio illas Litanias cantare vel recitare minime liceat ».

Ad III. « Ad primam partem, h. e.

privatim, Affirmative; ad secundam vero, h. e. *communiter,* Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 11 Februarii 1898.

3982. SANCTI IACOBI DE CILE.

R̃mus Dominus Marianus Iacobus Casanova Archiepiscopus Sancti Iacobi de Cile a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit:

Quum in Archidioecesi Sancti Iacobi de Cile aliquando contingat ut, mortuis Episcopis aliisque praeclaris Sacerdotibus, cor eorum extrahatur et honorifice servetur in domo vel pio loco ab ipsis fundatis vel praedilectis; atque conservatio ita fiat ut claudatur cor in ampulla vitrea, in visibili loco et inter flores ordinarie collocata; quaeritur: Potestne haec praxis continuari?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, re accurate perpensa, proposito dubio rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo descripta conservatio cordis non fiat in loco sacro ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Februarii 1898.

3983. AGENNEN.

R̃mus Dominus Episcopus Agennensis in Galliis a Sacrorum Rituum Congregatione humillime sequentis dubii solutionem expetivit; nimirum:

Utrum, tempore paschali, in qualibet benedictione SS̃mi Sacramenti addendum sit *Alleluia* ad ℣. *Panem de coelo etc.;* an tantum in illis benedictionibus quae impertiuntur in corformitate Instructionis Clementinae pro Precibus XL Horarum editae?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, ad propositum dubium rescribendum censuit:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Martii 1898.

3984. CAPUANA.

Metropolitanae Ecclesiae Capuanae Canonici, qui Pontificalium usu ad instar Abbatum necnon maioribus insignibus gaudent, quum Feria V Maioris Hebdomadae ab Episcopo Auxiliari, vel non proprio, Sacram Communionem accipiunt, manum ei minime osculantur, nec assistentiam praebent eidem conficienti Olea sacra, vel sacras Ordinationes habenti, vel alias solemnes functiones stricte episcopales loco Archiepiscopi proprii exequenti; eo quod aiunt hanc esse Capuani Capituli consuetudinem.

Hinc a Sacra Rituum Congregatione postulata fuit sequentium dubiorum resolutio, nimirum:

Dubium I. Tenenturne supradicti Canonici osculari manum Episcopo Auxiliari vel non proprio, dum ab eo sacram Communionem accipiunt in Missa Feriae V Maioris Hebdomadae?

Dubium II. Tenenturne assistere eidem conficienti Olea sacra, sacras Ordinationes habenti, vel alias solemnes functiones stricte episcopales pro Archiepiscopo proprio exequenti?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis dubiis respondendum censuit:

« Affirmative in omnibus ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Martii 1898.

3985. DUBIUM.

Quum iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 9 Iulii 1895 confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eiusdem anni omnes Sacerdotes sive Seculares sive Regulares Missas in aliena Ecclesia vel alieno Oratorio publico celebrantes omnino se conformare debeant dictae Ecclesiae vel Oratorio, ab eadem Sacra Congregatione postulatum fuit:

Utrum Sacerdotes alienae Dioecesis obligentur etiam ad dicendam Orationem praescriptam ab Episcopo loci, ubi celebrant; an potius sint liberi ab hac Oratione imperata?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ». Atque ita rescripsit.

Die 5 Martii 1898.

3986. MEXICANA.

R̃mus Dominus Prosper Iosephus Maria Alarcon Archiepiscopus Mexicanus a Sacra

Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

Quum in Mexicana Archidioecesi ex benigna concessione Pii Papae VI diei 5 Martii anni 1776 Octava Solemnitatis Corporis Christi eodem gaudeat privilegio, quo Octava Epiphaniae Domini; et ex altera apostolica concessione Gregorii Papae XVI, per Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide diei 20 Februarii anni 1831, Festum SSmae Trinitatis sub ritu duplici primae classis cum octava celebretur; quaeritur:

An, attentis supradictis concessionibus RR. PP. Pii VI et Gregorii XVI, in Archidioecesi Mexicana cessare debeat Octava SSmae Trinitatis, adveniente Festo cum Octava SSmi Corporis Christi?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 5 Martii 1898.

3987. DUBIUM

quoad varios modos asservandi in Tabernaculo sacram Pixidem.

Visis et expensis variis modis asservandi et claudendi in Tabernaculo Sacram Pixidem cum SSmo Eucharistiae Sacramento, a Sacerdote Salvatore Barbara ad maiorem securitatem et custodiam excogitatis et Sacrorum Rituum Congregationi pro speciali adprobatione exhibitis; eadem Sacra Congregatio, in particulari Coetu habito hac ipsa die, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« Finem inventoris esse laudandum; negotium vero, in casu et ad effectum de quo agitur, spectare ad locorum Ordinarios ». Atque ita rescripsit.

Die 18 Martii 1898.

3988. MELITEN.

Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Melitensis, anno superiore, ex benignitate SS. Domini Nostri Leonis Papae XIII, fuerunt renuntiati Protonotarii Apostolici *ad instar*. Quum nonnulla sint exorta dubia tum quoad iuramentum et professionem Fidei praescripta in Constitutione s. m. Pii Papae IX quae incipit *Apostolicae Sedis officium,* tum quoad privilegia, quibus, uti tales, gaudent; hinc Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro solutione proposita fuerunt; nimirum:

Dubium I. An debeant omnes iuramentum et Fidei professionem emittere, ad tramitem praelaudatae Constitutionis? Et quatenus Affirmative, penes quem?

Dubium II. An quum titulus Protonotariatus Apostolici *ad instar* toti Corpori sit collatus, praefati Dignitates et Canonici functiones celebrantes extra Cathedralem et absente Capitulo, peragere possint pontificalia?

Dubium III. An ipsi indulto gaudeant Oratorii privati?

Dubium IV. An titulum retineat Canonicus, qui resignavit praebendam Canonicalem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, propositis dubiis respondendum censuit:

« Servetur Constitutio s. m. Pii Papae IX, quae incipit *Apostolicae Sedis,* data IV Calendas Septembris anno 1872, praesertim ad Num. XXIII ». Atque ita rescripsit.

Die 18 Martii 1898.

3989. MEXICANA.

Rmus Archiepiscopus Mexicanus ad componendam quamdam controversiam inter nonnullos Sacerdotes suae Archidioecesis exortam, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter postulavit; nimirum:

An in Archidioecesi Mexicana, Dominica infra octavam privilegiatam SS. Corporis Christi, dicenda sit Praefatio de SSma Trinitate, prouti ex benigna concessione Gregorii Papae XVI tum Festi de SS. Trinitate cum octava, tum Praefationis de eodem Mysterio recitandae supradicta Dominica infra octavam Corporis Christi, quamvis concessio facta fuerit absque ulla mentione, sive in supplici libello sive in rescripto, concessionis de altero privilegio anteriori a Pio Papa VI eidem Archidioecesi collato super octava SS. Corporis Christi privilegiata ad instar octavae Epiphaniae?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative, iuxta Decretum in una Mexicana diei 5 Martii 1898 ». Atque ita rescripsit.

Die 26 Martii 1898.

3990. ORDINIS FRATRUM MINORUM.

Rm̃us P. Aloisius Lauer, Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, etiam nomine sui Definitorii Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia humiliter exposuit:

SSm̃us Dominus Noster Leo XIII, per Bullam *Felicitate quadam*, diei 4 Octobris 1897, Ordinem Minorum ad primaevam suam unitatem revocans, nomina Observantium, Reformatorum, Excalceatorum sive Alcantarenorum et Recollectorum extincta voluit, atque mandavit supradictum Ordinem *Ordinem Fratrum Minorum* appellandum sine ullo apposito. In Lectionibus vero secundi Nocturni Breviarii nostri Romano - Seraphici, quando Festum agitur Sancti vel Beati Ordinis, quasi ubique istarum Familiarum fit mentio hisce vel similibus verbis: *nomen dedit Ordini Minorum quos Observantes* vel *Reformatos*, vel *Excalceatos*, vel *Strictioris*, vel *Regularis Observantiae* vocant.

Hinc idem Rm̃us orator ab eadem Sacra Congregatione expostulavit:

An in nova editione Breviarii nostri mox facienda Lectiones secundi Nocturni quoad has appellationes sint mutandae, ita ut nulla Familiarum extinctarum, sed Ordinis nostri tantummodo fiat mentio?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus accurate expensis, proposito dubio respondendum censuit:

« Affirmative; et Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII hanc Sacri Consilii resolutionem ab eodem Secretario relatam, ratam habuit, confirmavit atque servari mandavit ».

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Martii 1898.

3991. NULLIUS MONTIS CASSINI.

In Abbatia Montis Cassini, Nullius, cui nuper adiuncta est, sub titulo Praepositurae, perantiqua Atinensis Dioecesis, in Canone Missae ad verba: *et Antistite nostro N.* nomen Abbatis Ordinarii exprimitur ex antiqua traditione orali et scripta, nunquam interrupta et pluribus argumentis suffulta. Hinc, ut eiusmodi consuetudo a communi iure difformis, speciali saltem Apostolico Privilegio confirmaretur in decus et dignitatem perinsignis Sedis Abbatialis, hodiernus Abbas Montis Cassini et Atinae Praepositus, per supplicem libellum Sacrorum Rituum Congregationi exhibitum, praemissis omnibus, quae ad rem et in casu opportuna et utilia fore existimabat, Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII pro se et successoribus suis enixe rogavit, ut de speciali indulto Apostolico nomen Abbatis Ordinarii Montis Cassini et Atinae Praepositi, in Canone Missae exprimi valeat, confirmata consuetudine per tot secula ad haec usque tempora vigente.

Quum vero, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio omnia accurate expenderet, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae typis edito una cum supradicto supplici libello, ad dubium, per Em̃um et Rm̃um Dominum Cardinalem Hieronymum Gotti Causae Relatorem, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, ita propositum:

An Sacerdotes utriusque Cleri, qui sunt sub iurisdictione Abbatis Montis Cassini, possint in Canone Missae nominare ipsum Abbatem, ut iam a longissimo tempore faciunt?

Respondendum censuit: « Affirmative, retentis verbis: *Antistite nostro*, etiam a Clero Regulari, et facto verbo cum Sanctissimo ».

Die 26 Aprilis 1898.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per Eminentissimum et Rm̃um Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 29 iisdem mense et anno.

3992. NULLIUS NONANTULANAE.

Extat in Abbatia Nonantulana, Nullius Dioecesis, Provinciae Ravennatensis, vetus consuetudo ut Sacerdotes in Canone Missae

ad verba: *Et Antistite nostro,* nomen adiiciant Archiepiscopi Mutinensis, qui Abbatiae eiusdem Abbas Commendatarius est, atque Episcopus vicinior, a quo pariter Nonantulani Clerici sacros Ordines suscipiunt.

Exorto dubio de legitimitate huius consuetudinis, Rm̃us Dominus Antonius C. Monaci Vicarius Generalis ipsius Abbatiae a Sacra Rituum Congregatione necessariam et opportunam declarationem humiliter postulavit.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae etiam typis cuso, atque attentis peculiaribus adiunctis, super dubio ab Em̃o et Rm̃o Domino Card. Hieronymo Gotti huius Causae Relatore, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, ita proposito:

An Sacerdotes Nonantulanae Abbatiae, Provinciae Ravennatensis, possint nominare Archiepiscopum Mutinensem in Canone Missae ut hactenus fecerunt?

Rescribendum censuit: « Non esse inquietandos ».

Die 26 Aprilis 1898.

Quam resolutionem, ab Eminentissimo et Rm̃o Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatam, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII ratam habuit et confirmavit, die 29 iisdem mense et anno.

3993. BELLUNEN.

ET

FELTREN.

Rm̃us Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit; nimirum:

Dubium I. Quo ritu ipse Episcopus recitabit Officia Sanctorum Patronorum principalium vel aliorum Sanctorum unius vel alterius suae Dioeceseos?

Dubium II. Ab anno 1888 in Calendariis approbatis Bellunen. et Feltren. Festum S. Ioannis Damasceni Conf. affixum fuit diei trigesimae Maii. Ex quo vero idem Festum extensum est ad universam Ecclesiam, addito titulo Doctoris, recolendum die 27 Martii, in hanc eandem diem repositum fuit etiam pro Dioecesibus praedictis. Hinc quaeritur: An eiusmodi repositio rata haberi et continuari valeat, sanato, quatenus opus sit, quocumque defectu?

Dubium III. Quum dedicatio Ecclesiae Cathedralis Bellunensis celebretur Dominica II post Pascha, eius dies octava occurrens cum Festo Patrocinii S. Ioseph Conf. Sponsi Beatae Mariae Virginis sub ritu duplici secundae classis recolendo, ad ritum simplicem redacta fuit; quaeritur: An recte?

Dubium IV. Ex pluribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis, singuli Litaniarum Maiorum versus in Rogationibus integre repetendi sunt tantum in Processione. Quum vero quidam autument repetitionem locum habere pro his solummodo versibus qui canuntur in Processione extra Ecclesiam, non vero pro aliis qui in Ecclesia persolvendi manent; quaeritur: An eiusmodi interpretatio Decretorum admittenda sit?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Rm̃us Episcopus recitet Officia, de quibus in casu, sub ritu quo recoluntur in Dioecesi in qua actu moratur ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Negative; iuxta Decreta, praesertim in una Senen. 30 Iunii 1883 ad IV ».

Atque ita rescripsit.

Die 28 Maii 1898.

3994. PLOCEN.

Relatum fuit Sacrae Rituum Congregationi morem extare in Dioecesi Plocensi atque in nonnullis aliis Poloniae Dioecesibus, quo in Missis cum cantu sine Ministris Diacono et Subdiacono, organarii qui et cantores sunt, solum responsa celebranti, uti *Amen, Et cum Spiritu tuo,* exequuntur latino sermone; et dum alia, uti *Introitus* et *Kyrie,* omittunt, reliquo Missae tempore varias cantilenas vernaculas devotionem foventes et non semper Missae consonas cum Organi sonitu cantant.

Hinc expostulatum fuit ab ipsa Sacra Congregatione:

I. Num praedictus usus cantilenarum approbari vel saltem tolerari possit?

II. Num in Missis cantatis sine Ministris Sacris, organarii et Chorus debeant semper exequi cantu vel voce intelligibili cum Organo omnes partes ex Graduali Romano?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Obstant Decreta; praesertim in una Bisarchien. 31 Ianuarii 1896 ».

Ad II. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 25 Iunii 1898.

3995. VICARIATUS APOSTOLICI SE-CIUENSIS SEPT.-OCCIDENTALIS.

R̃mus Dominus Iulianus Maria Dunard, Episcopus titularis Calaën. et Vicarius Apostolicus Se-Ciuensis Sept.-Occidentalis, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII humillime exposuit in suo Vicariatu ex vetusta consuetudine adhiberi Amictus, Albas, Tobaleas Altarium necnon corporalia et pallas tela quadam confectas, quae vulgo *Hiapou* nuncupatur. Quamvis autem ob paupertatem missionariorum et ob deficientiam telae ex lino compositae Apostolica Sedes aliquando indulserit pro sacris supellectilibus telam bombycinam seu ex gossypio; usus tamen invaluit alterius telae *Hiapou,* quae ex planta a peritis historiae naturalis *Urtica nivea* et in lingua sinensi *Ho-ma* appellata et ad familiam lini pertinente, provenit. Quare idem R̃mus orator ipsum SS̃mum Dominum Nostrum enixe rogavit ut usus praedictae telae, cuius exemplum subiecit, pro sacris supellectilibus, in suo Vicariatu Apostolico continuari legitime possit.

Sanctitas porro Sua, referente Em̃o ac R̃mo Domino Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, attentis peculiaribus expositis adiunctis iisque perdurantibus, de speciali gratia benigne precibus annuit, dispensando a lege et usu telae lineae adhibendae in casu et ad effectum de quo agitur; atque consuetudinem vigentem in memorato Vicariatu Apostolico ratam habendo et in posterum permittendo; servatis de cetero servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1898.

3996. MASSILIEN.

R̃mus Dominus Ioannes Robert Episcopus Massilien. Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII demisse subiecit quasdam Litanias Sacratissimi Cordis Iesu, Clero et populo Massiliensi apprime charas atque iucundas, praesertim ex eo quod iisdem tribuatur Massiliam anno 1720 liberationem pestis a divina bonitate impetravisse. Hinc ipse R̃mus orator humillime expetivit, ut eaedem Litaniae et Apostolica Auctoritate approbari et in sua Massiliensi Dioecesi publice recitari valeant.

De mandato Sanctissimi Domini Nostri, Sacra Rituum Congregatio Litanias praedictas examinandas suscepit, et exquisito voto Em̃i ac R̃mi Domini Cardinalis Adulphi Ludovici Perraud Episcopi Augustodunensis, qui antea de hac re ardens suae Dioecesis studium aperuerat et R. P. D. Ioannis Baptistae Lugari sanctae Fidei Promotoris, omnibusque accurate perpensis, easdem Litanias, prout in superiori extant exemplari (1), a se revisas atque sex invocationibus auctas ex aliis de Sacratissimo Corde Iesu Litaniis quae circumferebantur desumptis, ut numerus triginta trium invocationum in memoriam et honorem vitae temporalis divini Redemptoris impleretur, probari posse censuit.

Sanctitas porro sua, referente Eminentissimo ac R̃mo Domino Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto, Rescriptum Sacri Consilii ratum habens, hasce Litanias probavit, easque de speciali gratia indulsit tum Dioecesibus Massiliensi et Augustodunensi, tum universo Ordini Visitationis B. M. V., ut in Ecclesiis et Oratoriis publice recitari ac decantari queant.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1898.

3997. BASILEEN. ET LUCANEN.

R̃mus Dominus Leonardus Haas Episcopus Basileen. et Lucanen. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum:

(1) Harum Litaniarum exemplar invenies infra post Decretum Urbis et Orbis diei 2 Aprilis 1899 sub num. 4017.

In quibusdam locis Dioeceseos Basileensis et Luganensis extat inveterata a seculis consuetudo circumferendi in Processionibus theophoricis, praesertim die Festo SS. Corporis Christi, statuas vel reliquias Sanctorum ad maiorem solemnitatem. Quum vero haec consuetudo minime respondeat ritui Romano, praefatus Episcopus die 12 Iunii anno elapso monitum ad Clerum Dioecesanum direxit huius tenoris: Meminerint RR. Parochi prohibitum esse Decretis Sacrae Rituum Congregationis ne instrumenta Passionis Domini, vel Reliquiae vel statuae Sanctorum circumferantur in Processionibus SS. Sacramenti, quia totus cultus in iisdem ad Venerabile Sacramentum dirigi debet.

Quum vero nonnulli Parochi, et praesertim Capitulum Canonicorum Collegiatae Ecclesiae ad S. Leodegarium Lucernae, exoptent ut antiqua consuetudo continuari possit, saltem ex Apostolica dispensatione; idem Episcopus, praedictis votis expositis, solutionem sequentis dubii ab ipsa Sacra Congregatione efflagitavit; nimirum:

Utrum in Festo SS. Corporis Christi eiusque octava, quando fit Processio cum SS. Eucharistiae Sacramento et in aliis Processionibus theophoricis, liceat deferre imagines Beatae Mariae Virginis ac Sanctorum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa, proposito dubio respondendum censuit:

« Negative; et serventur Decreta, praesertim in una Veneta diei 17 Iunii 1684 et in altera Almerien. diei 31 Ianuarii 1896 ».

Atque ita rescripsit.

Die 1 Iulii 1898.

3998. NEOPORTEN. ET MENEVEN.

Rm̃us Dominus Ioannes Cutbertus Hedley Episcopus Neoporten. et Meneven. a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

Functiones Sabbati Sancti aut Vigiliae Pentecostes peragente Presbytero, si adsunt baptizandi sive infantes, sive permittente Episcopo adulti, cathecumenorum exorcismi persolvi ne possunt:

Ante aut interim dum leguntur Prophetiae? Vel ab ipso Celebrante post Prophetias, priusquam ingrediatur Baptisterium? Vel post Fontis benedictionem ab ipso Celebrante qui e Baptisterio egrediatur ad hoc praestandum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositis dubiis rescribendum censuit:

« Affirmative in omnibus ». Atque ita rescripsit.

Die 23 Iulii 1898.

3999. DECRETUM SEU LITTERAE

Sacrae Rituum Congregationis ad Archiepiscopos, Episcopos et Ordinarios Provinciarum Goritien, Iadren. et Zagabrien. de usu linguae Slavicae in sacra liturgia.

Quae praecipue observanda sunt vel cavenda, circa usum palaeoslavici idiomatis in sacra liturgia, Sacra haec Congregatio iam edixit die 13 Februarii 1892; atque iis opportune significavit Slavorum Meridionalium Episcopis, qui Ecclesiis praesunt, ubi eiusmodi praxis invaluit. Quum vero, hac super re, Apostolicae Sedi nova proposita sint dubia, SSm̃us Dominus Noster Leo div. prov. Papa XIII, pro sua erga Slavos paterna sollicitudine, ad praedictas normas enucleandas et firmandas, omnemque removendam perplexitatem, grave hoc negotium peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium examini submitti iussit.

Re igitur in omnibus mature perpensa, attentisque Summorum Pontificum Constitutionibus et Decretis, praesertim Innocentii IV, qui Episcopis Senien., anno 1248, et Veglen., anno 1252, slavica utendi lingua concessit *licentiam, in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur praemissa, dummodo ex ipsius varietate litterae sententia non laedatur;* item Urbani VIII, cuius iussu anno 1631 libri liturgici glagolitice editi sunt, *ad usum Ecclesiarum, ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, nisi maluerint latino;* nec non Benedicti XIV, qui novam ipsorum librorum editionem, anno 1754, authenticam declaravit, pro iis, *qui ritum slavo-latinum profitentur;* ac demum Pii VI, qui anno 1791 Breviarium eius auspiciis denuo impressum recognovit; iidem Eminentissimi Patres eas

quae sequuntur regulas statuerunt illasque Sanctitas Sua ratas habuit, adprobavit et in posterum ab omnibus inviolate servari mandavit:

I. « Usus palaeoslavicae linguae in sacra liturgia considerari et haberi debet velut *reale* privilegium certis inhaerens Ecclesiis, minime vero ad instar privilegii *personalis*, quod nonnullis Sacerdotibus competat ».

« Episcoporum igitur officii munus erit in unaquaque Dioecesi quam primum conficere indicem seu catalogum Ecclesiarum omnium et singularum, quas certo constet, in praesens ea concessione rite potiri ».

« Ad dubia porro amovenda, asserti privilegii probatio desumatur ex documentis ac testimoniis, quae in tuto ponant et probe demonstrent illud invaluisse et reapse vigere triginta saltem abhinc annis; quod temporis spatium in re praesenti tamquam sufficiens habetur ex indulgentia speciali Sanctae Sedis ».

« Si quae deinceps controversiae aut difficultates in eiusmodi probationum negotio oriantur, illas Episcopi Sacrae Rituum Congregationi subiiciant, rerum adiuncta explicate et distincte exponendo, pro singulorum casuum solutione ».

II. « Praedicto Ecclesiarum privilegiatarum indice semel confecto et publicato, nulli prorsus licebit, in aliis Ecclesiis, quacumque ratione vel quovis praetextu, linguam palaeoslavicam in sacram liturgiam inducere: si quid vero secus aut contra contigerit attentari, istiusmodi ausus severa coercitione reprimantur ».

III. « In Ecclesiis, quae supra memorato gaudent privilegio, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione. Libri ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et adprobati: alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti ».

IV. « Ubicumque populus Sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in Ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius fidelibus exclusive permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum exarati ».

V. « In praefatis Ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in Sacramentorum et Sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et probatum ».

VI. « Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique Dioecesi necessarii Sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate ».

VII. « Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare Clericos, qui latinis, vel qui palaeoslavicis Ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat Ecclesiae necessitas ».

VIII. « Si quis Sacerdos, addictus Ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat Ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica; attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua ».

« Idem vicissim dicatur de Sacerdote, palaeoslavici idiomatis Ecclesiae adscripto, cui forte latinae Ecclesiae deservire contigerit ».

IX. « Licebit pariter Sacerdotibus latini eloquii Ecclesiae inscriptis, in aliena Ecclesia, quae privilegio linguae palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate ».

« Vicissim Sacerdotes, linguae palaeoslavicae Ecclesiis addicti, eodem idiomate Sacrum privatim facere poterunt in Ecclesiis ubi latina lingua adhibetur ».

X. « Ubi usus invaluit in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorumdem cantum latino Ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit, dummodo adhibeatur lingua palaeoslavica. In Missis autem parochialibus fas erit, post Evangelii recitationem, illud perlegere vulgari idiomate, ad pastoralem fidelium instructionem ».

XI. « Si forte in Paroeciis, quae linguam habent palaeoslavicam, aliquis e fidelibus prolem renuat sacro sistere fonti, nisi Rituali latino Baptismus conferatur; vel si qui Matrimonium recusent celebrare, nisi latina lingua sacer absolvatur ritus, Parochus opportune illos instruat moneatque; et si adhuc in propria sententia persistant, Baptismum aut benedictionem nuptialem privatim latina lingua ministret ».

« Vicissim agatur, in Paroecia latinae linguae, si quis slavico idiomate ritus praedictos omnino peragi similiter exigat ».

XII. « In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus, quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen Generalibus Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis ».

XIII. « Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et Hymnorum, quibus populus indulget in propria Ecclesia: ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt Dioecesim vel Paroeciam in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem ».

XIV. « Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, ad usum tantummodo privatum Christifidelium, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati ».

Datum Romae, ex Secreteria Sacrorum Rituum Congregationis, die 5 Augusti, anno 1898.

4000. MEXICANA.

Rm̃us Dominus Prosper Iosephus M. Alarcon Archiepiscopus Mexicanus Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum :

I. Ex antiquissimo usu in plerisque Ecclesiis huius Dioeceseos loco Conopei apponitur ad ostium Tabernaculi, in quo SSm̃a Eucharistia asservatur, tabula quandoque ex metallo, quandoque ex tela acu picta, vel etiam ex moderni temporis charta dicta oleographica, in qua apparent symbola: SSm̃a Eucharistia vel SSm̃um Nomen Iesu aut alia huiusmodi, imo aliquando imago Beatae Mariae Virginis.

II. In usu pariter antiquissimo, loco antipendii, quod totam anteriorem partem Altaris tegat, penes aliquas Ecclesias est parvum antipendium vulgo *Palia,* circa dimidium metri habens ex quavis parte, quod suspenditur in medio Altaris.

III. Tandem loco tintinnabuli pro Sacrosancto Missae Sacrificio nonnullae Ecclesiae novissime coeperunt adhibere quoddam cymbalum dictum *Indorum Orientalium,* quod est ad modum magni catini semipendentis ab hasta lignea, et percussum ab Acolytho sonum elicit.

Hinc idem Rm̃us Archiepiscopus ab ipsa Sacra Congregatione enixe postulavit: An tolerari possit in casu usus tum praedictae tabulae ad ostium tabernaculi loco conopei; tum enunciati parvi antipendii; tum demum supradescripti cymbali Indorum Orientalium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

« Negative ad omnia; seu non convenire ». Atque ita rescripsit.

Die 10 Septembris 1898.

4001. DUBIUM

quoad Missam solemnem in Ecclesiis Suffraganeorum, assistente Metropolitano.

Em̃us et Rm̃us Dominus Card. Herbertus Vaughan Archiepiscopus Westmonasteriensis sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum :

I. Utrum Metropolitano, sive Cardinalitia dignitate insignito sive non, conveniat assistere cum mitra et pluviali Missae solemni in Ecclesia alicuius Suffraganei, sive ab Ordinario, sive ab alio, ipso praesente, celebrandae. Et in casu affirmativo, utrum habeat usum baculi et Presbyteri assistentis, et ea alia omnia, quae conveniunt Ordinario, mitra et pluviali parato, Missae solemni in propria Dioecesi assistenti?

II. Utrum Metropolitanus, sive Cardinalis sive non, in Dioecesi Suffraganei cum cappa assistens Missae solemni ab Ordinario vel ab alio, ipso praesente, celebratae, adhibere valeat praeter Ministros assistentes etiam Presbyterum assistentem?

III. Utrum in dictis circumstantiis Metropolitanus habere possit usum libri et scotulae ad legendum Introitum etc.?

IV. Praesente Metropolitano, sive Cardinali sive non, cappa induto simul cum Ordinario loci Missae solemni a Canonico vel Sacerdote simplici celebratae, cuinam spectare debeant benedictiones thuris, ministrorum etc.?

V. Utrum Episcopis, sive Suffraganeis sive non, Missae solemni in aliqua Cathedrali vel alia Ecclesia in provincia, praesente Metropolitano, assistentibus, conveniat usus mozzettae supra rochettum mantelletta coopertum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commis-

sionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; ad alteram partem, quoad usum baculi pastoralis observetur Caeremoniale Episcoporum praesertim in Lib. I, Cap. XVII, § 5; quoad Presbyterum assistentem, detur Decretum S. Congregationis Caeremonialis diei 16 Decembris 1837 ».

Ad II. « Provisum in primo ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Ad Metropolitanum ».

Ad V. « Dentur Decreta in Rheginen. 17 Martii 1663, ad 2; — Mediolanen. 16 Martii 1833, ad 1 et 2; — et Liburnen. 23 Septembris 1848, ad 2 ».

Atque ita rescripsit.

Die 13 Septembris 1898.

4002. HYDRUNTINA.

Quum nuper in Metropolitana Hydruntina Archidiaconus, qui est prima et unica dignitas, evectus fuerit ad Episcopatum titularem Irenopolitanum Rm̃us Dominus Caietanus Caporali eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit; nimirum:

Dubium I. An pontificanti Archiepiscopo inservire debeat in munere Archidiaconi praedictus Episcopus titularis, ad Thronum, Altare, librum, thurificationem, porrectionem aspersorii et pacis?

Dubium II. Quaenam partes in sacris ordinationibus ab eodem Episcopo titulari et Archidiacono explendae sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. « Serventur Decreta in Mechlinien. diei 24 Februarii 1680 et in Mediolanen. diei 16 Martii 1833 ».

Atque ita rescripsit.

Die 12 Novembris 1898.

4003. CARCASSONEN.

Vicarius Generalis Rm̃i Domini Episcopi Carcassonensis a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter postulavit; nimirum:

QUAESTIO PRIMA.

Quum per Decretum Card. Caprara, datum anno 1802, dies apud populum in Gallia feriandi (praeter dies Dominicos) assignati fuerunt tantum Ascensio Domini, Assumptio Beatae Mariae Virginis, Festum Omnium Sanctorum et Nativitas Domini Nostri Iesu Christi, ne Festorum Epiphaniae Domini, Corporis Christi, Ss. Apostolorum Petri et Pauli ac Patroni loci memoria apud populum omnino aboleri videretur; idem Card. Caprara, indulto anni 1805, sanxit illorum solemnitatem in Dominicam sequentem transferri debere. Hoc postea indultum est a Sacra Rituum Congregatione pro Festo Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, assignata eius solemnitate Dominicae II Adventus.

Nunc autem iuxta Decreta Sacrae Rituum Congregationis licet Missam exequialem, praesente cadavere, canere illa die infra hebdomadam, qua celebratur Officium Festorum Epiphaniae Domini, Corporis Christi, Ss. Apostolorum Petri et Pauli atque Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, non autem Dominica in quam solemnitas transfertur; hinc quaeritur:

I. Utrum, etiam quum agitur de Patrono loci, Missa exequialis prohibeatur tantum in Dominica solemnitatis translatae; an vero die quoque infra hebdomadam qua celebratur Officium?

II. Num praedicta Decreta applicanda sint et intelligantur etiam de Festis suppressis, quorum solemnitas non transfertur in Dominicam sequentem; scilicet Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Titularis Ecclesiae, quibus adiungi debent Festa Annuntiationis Beatae Mariae Virginis et S. Iosephi eius Sponsi, quae ad ritum dupl. 1 classis elevata fuerint? Et quatenus Negative,

III. Postulatur a S. R. C. ut hanc aequalitatem stabilire velit, decernendo scilicet ut Missa exequialis, praesente cadavere, cani possit etiam in Festis Annuntiationis B. M. V., S. Ioseph, S. Ioannis Baptistae et Titularis Ecclesiae propriae, quando incidunt in dies infra hebdomadas et celebrantur sine concursu populi?

QUAESTIO SECUNDA.

Ss. Martyres Nazarius et Celsus sunt Titulares Ecclesiae Cathedralis et multarum aliarum Ecclesiarum; necnon Patroni totius Dioecesis. Hinc fit ut eorum commemoratio facienda sit in Suffragiis, Antiphonis, ℣℣. et Oratione desumptis ex Proprio Carcassonensi a Sacra Rituum Congregatione approbato.

Quum autem Oratio diei sit sequens: « Largiente te, Domine, Beatorum Nazarii « et Celsi *natalitium* nobis effulsit: con- « cede quaesumus; ut sicut *hodierna pas-* « *sionis gloria* illis magnificentiam tribuit « sempiternam, ita nobis munimen opere- « tur perpetuum. Per Dominum etc. » — Mos est apud Presbyteros, eius loco, recitare in Suffragiis Orationem ex Breviario Romano desumptam; nempe: « Sanctorum « tuorum nos, Domine, Nazarii et Celsi « confessio beata communiat: et fragilitati « nostrae subsidium dignanter exoret. Per « Dominum etc. ». — Sed quando, iuxta Calendarium, agendum est sub ritu semiduplici de Ss. Innocentio et Victore, pro quibus haec ipsa Oratio, mutatis nominibus, usurpanda est; difficultas exurgit, quum eadem Oratio ex Rubricarum praecepto repeti nequeat; hinc quaeritur:

I. An pro commemoratione Ss. Nazarii et Celsi in Suffragiis Sanctorum facienda, recte et opportune sumatur praedicta Oratio *Sanctorum tuorum nos, Domine, etc.?*

II. Quaenam Oratio usurpanda sit pro commemoratione Ss. Nazarii et Celsi ad Suffragia communia in Festo Ss. Innocentii et Victoris?

QUAESTIO TERTIA.

Quando Officium Votivum de Passione concurrit cum Votivo de Immaculata Conceptione, Doxologia ad Completorium dicendane est Passionis *Sit laus Patri etc.;* an vero Immaculatae Conceptionis *Iesu tibi sit gloria etc.?*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Quoad primam quaestionem:

Ad I. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Provisum in II; et non expedire ».

Quoad quaestionem alteram:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Sumatur alia Oratio *Deus qui nos annua etc.,* mutato verbo *solemnitate* cum altero *commemoratione* ».

Quoad quaestionem tertiam:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 16 Novembris 1898.

4004. AUGUSTAE TAURINORUM.

Quo religio et pietas erga Beatissimam Virginem Mariam pacis nostrae apud Deum sequestram et coelestium thesaurorum administram, aeque ac spes in materni eius Cordis amore et bonitate magis magisque foveatur atque succrescat, complures Sacrorum Antistites, in Italia, praeeuntibus Eñis Cardinalibus Archiepiscopo Mediolanensi et Episcopo Anconitano, una cum Rñio Archiepiscopo Taurinensi, nuperrime Augustae Taurinorum in unum collecti, non tam privata devotione quam publica fidelium utilitate permoti, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime efflagitarunt ut in iis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus pium exercitium mensis marialis, approbante loci Ordinario, peragitur, solemnis quoque fiat christifidelium consecratio eidem Purissimo Cordi Deiparae Virginis, Dominica postrema mensis Maii per unicam formulam ab ipso Sanctissimo Domino Nostro proponendam, et cum Festo in honorem eiusdem tituli hac ipsa die recolendo sub ritu duplici primae, vel secundae classis.

Sanctitas porro Sua hisce precibus clementer deferens, praevio Sacrorum Rituum Congregationis consulto, ita votis annuere dignata est, ut religiosus actus consecrationis totius populi vel Dioecesis in honorem Purissimi Cordis Mariae quotannis peragi queat die trigesima prima mensis Maii, si haec incidat in Dominicam, vel proximiore eidem diei Dominica, adhibita formula huic Decreto adnexa et ab ipsa Sanctitate Sua adprobata et commendata. Indulsit etiam, ut eadem Dominica in supradictis Ecclesiis et Oratoriis Dioecesium, tum Rñiorum Antistitum Oratorum, tum aliorum Ordinariorum singillatim petentium, unica Missa solemnis seu cantata, et altera lecta pro fidelibus ad sacram Synaxim accedere cupien-

tibus, celebrari valeat de ipso Purissimo Corde Beatae Mariae Virginis ut in festo; dummodo non occurrat duplex primae classis, vel Dominica item primae classis; neque omittatur Missa Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eiusdem celebrandae adsit onus: servatis Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Decembris 1898.

C. Episc. Praenest. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

Atto di consacrazione di una Diocesi al Cuore purissimo di Maria Vergine.

Vergine amorosissima e Madre nostra Maria, volgete lo sguardo sul popolo di questa Diocesi, umile porzione della vostra grande famiglia, che qui a voi dinanzi si prostra, e fa di sè stesso al vostro Cuore materno una irrevocabile consacrazione. A questo ci muove non pure il nostro filiale affetto per voi, ma il bisogno altresì, che tutti in questi torbidi tempi sentiamo, d'una più particolare vostra assistenza.

Vedete, o Maria, come si cerca di spegnere nei cuori nostri la fede col ghiaccio della indifferenza e della incredulità: deh! voi che siete la Sede della sapienza, preservateci tutti dalla falsa scienza del secolo e teneteci immobili nella fede santissima del Figlio vostro. Mirate le insidie che da ogni parte si tendono al buon costume, contaminando ogni cosa di immonda sensuale licenza: deh! voi, o Immacolata, purificate la terra da tante sozzure, o serbatene almeno illese tutte le nostre famiglie. Osservate come si tenta sconvolgere la società tutta intera e gettarla nei vortici della ribellione ad ogni legge ed autorità: Voi dunque, o augusta Regina, mantenete saldo tra le classi del vostro popolo quell'ordine che fu da Dio stabilito, e non permettete che i consigli degli empî abbiano a prevalere. Finalmente abbiate pietà della Chiesa, o Aiuto dei cristiani, pietà del venerando suo Capo; e affrettate il momento, che alzando la testa dalla lunga oppressione, respirar possano un'aura di pace e di libertà.

Accettate dunque, o buona Madre, la consacrazione che questo popolo oggi fa di sè stesso al vostro Cuore materno, e come frutto del vostro gradimento fate che tutti sentano la vostra protezione in vita ed in morte. E così sia.

Sancta Maria, succurre miseris, iuva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen quicumque Cordi tuo purissimo se dicaverunt.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Genitrix:

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus Sancti habitaculum praeparasti: concede propitius; ut eiusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.... in unitate eiusdem.

4005. UTINEN.

Rm̃us Dominus Aegyptianus Canonicus Prugnetti Provicarius Generalis Archidioeceseos Utinensis a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. Utrum aqua baptismalis, Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes benedicenda sit in Ecclesiis tantum parochialibus; an etiam in filialibus quae sacrum fontem legitime habent? Et quatenus Affirmative ad secundam partem,

Dubium II. Utrum sufficiat aquam benedicere, usque ad sanctorum Oleorum infusionem exclusive in parochiali Ecclesia; et inde aqua ad alias Ecclesias delata, in singulis Ecclesiis sanctorum Oleorum infusio-

nem peragere; an debeat integra in singulis Ecclesiis fieri benedictio?

Dubium III. Utrum deficiente Clero in Ecclesiis filialibus, vel eodem impedito mane Sabbati Sancti ob functiones parochiales et vespere ob domorum benedictionem, liceat renovationem fontis ad alium diem differre?

Dubium IV. Utrum Parochus, in cuius Paroecia plures sunt Ecclesiae cum fonte baptismali, quique ius habet conficiendi in singulis renovationem sacri fontis, quam per se nequit perficere, debeat alium Sacerdotem delegare ad eam Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes peragendam?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque expensis, rescribendum censuit:

Ad I et II. « Negative, ad primam partem; Affirmative ad secundam; iuxta Rubricas et Decreta ».

Ad III. « Negative; et in casu adhibeatur Memoriale Rituum pro Ecclesiis minoribus iussu Benedicti Papae XIII editum ».

Ad IV. « Affirmative ».

Atque ita rescripsit.

Die 13 Ianuarii 1899.

4006. DE CACERES.

Rmus Dominus Arsenius del Campo y Monasterio Episcopus de Caceres a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. An ex Decreto in una Urbis diei 22 Maii 1896 ad III, iuxta quod dies octavi Festorum primariorum, Archangelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum sunt iudicandi digniores in ordine ad praelationem in concursu cum aliis duplicibus minoribus, debeantur Vesperae integrae diei octavo Festi primarii S. Ioannis Ap. et Ev. in concursu cum die octavo S. Stephani Protomartyris?

Dubium II. An concurrente Officio Votivo SSmi Sacramenti cum Festo secundario Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. I. C. sub ritu duplici maiori, debeat fieri commemoratio praecedentis in primis Vesperis sequentis? et in concursu Festi Septem Dolorum B. M. V. sub ritu dupl. maiori cum Officio Votivo Immaculatae Conceptionis, in secundis Vesperis praecedentis debeat fieri commemoratio sequentis?

Dubium III. An occurrente die 25 Aprilis cum Dominica in Albis, in Missis de Dominica debeat fieri commemoratio de Rogationibus et viceversa?

Dubium IV. Quum in Hispania infra octavam Corporis Christi de nullo Festo agatur nisi de octava, exceptis Festis Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, iuxta Breve Apostolicum s. m. Pii Papae VI diei 5 Martii 1776, quaeritur: An in Laudibus et in utrisque Vesperis Dominicae infra octavam Corporis Christi prius fieri debeat commemoratio de octava quam de duplici minori in simplicem redacto, occurrente vel concurrente?

Dubium V. Quum Indi in Insulis Philippinis nunquam obligati fuerint ad observantiam Festi Nativitatis S. Ioannis Baptistae, eo quod nulla de illo fit mentio in Bulla *Altitudo* Pauli IV super Indorum privilegiis; quumque Parochi in praedictis Insulis sint Parochi Indorum et ad Missae applicationem pro populo non teneantur nisi in ipsorum Festis, neque adsit in eorundem Paroeciis obligatio Chori; quaeritur: An die Nativitatis S. Ioannis Baptistae prohibeantur in Ecclesiis parochialibus Insularum Philippinarum Missae de Requie, praesente cadavere?

Dubium VI. Quum in novis editionibus Breviarii Romani, Ratisbonae, in Proprio Hispaniarum legatur quod in secundis Vesperis Festi S. Angeli Custodis Regni, die 1 Octobris, fiat commemoratio de sequenti Festo Ss. Angelorum Custodum; quaeritur: Fierine debet in istis Dioecesibus haec commemoratio de sequenti absque speciali concessione?

Dubium VII. In Suffragiis, quae fiunt in Officio Votivo Sanctorum Angelorum, fierine debeat commemoratio S. Michaelis Archangeli in iis locis ubi S. Archangelus est Titularis Ecclesiae? Et quatenus Affirmative, quum Oratio sit eadem, quaenam pro S. Michaele sit dicenda?

Dubium VIII. In dicto Officio Votivo Sanctorum Angelorum, si in Suffragiis omitti debeat commemoratio S. Michaelis, omittine etiam debet commemoratio de S. Gabriele vel de S. Raphaele in locis, ubi alteruter Archangelus est Ecclesiae Titularis?

Dubium IX. Concurrente Festo B. M. V. de Guadalupe ritu duplici maiori, translato per accidens a die propria, cum Festo Expectationis Partus ipsiusmet B. M. V. concesso Hispaniae etiam sub ritu duplici maiori, possuntne dari Vesperae integrae huic Festo quod habet Officium proprium prae

altero cuius Officium est de Festis B. M. V. per annum, exceptis Antiphonis ad *Magnificat* et ad *Benedictus?*

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus rite perpensis, respondendum censuit:

Ad I. « Servetur in casu Rubrica specialis Breviarii Romani ».

Ad II. « Negative, ad utramque partem ».

Ad III. « Nisi habeatur Missa Conventualis aut Parochialis Officio currenti respondens, commemoratio Dominicae fiat in Missa de Rogationibus ».

Ad IV. « Affirmative; idest fiat primo loco commemoratio de Octava; secundo loco, de duplici in simplicem redacto ».

Ad V. « Attentis expositis, Negative ».

Ad VI. « Affirmative, ubi viget Proprium Hispaniarum; alibi, Negative ».

Ad VII. « Negative ».

Ad VIII. « Negative; et faciendas esse commemorationes de S. Gabriele et de S. Raphaele, quae ab Antiphonis et Orationibus Officii Votivi Ss. Angelorum diversae habentur ».

Ad IX. « Vesperas integras fieri debere de praecedenti sine commemoratione sequentis, iuxta Decreta ».

Et ita rescripsit.

Die 13 Ianuarii 1899.

4007.

DECRETUM

SUPER ORATORIIS SEMIPUBLICIS.

A Sacra Rituum Congregatione saepe postulatum est quaenam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur.

Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non Fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missae sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Cappellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat.

Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac praeterea confirmare dignata est Decretum in una Nivernen. diei 8 Martii 1879.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 Ianuarii 1899.

C. Ep. Praenest. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

4008. LUCANA.

Ex indulto Apostolicae Sedis confirmato per Bullam s. m. Benedicti Papae XIII, XV Calendas Martii anno MDCCXXV, Rmo Capitulo et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Lucanae facultas celebrandi ad Missam et ad Vesperas in Pontificalibus concessa fuit sub hac clausula et conditione: « quoties processionaliter aut capitulariter aut ad aliquas Ecclesias Civitatis Lucanae in quibusdam Ecclesiarum ipsarum solemniis, prout moris est, accedant ». Hinc a Sacra Rituum Congregatione expostulatum est:

An eiusmodi facultas extendatur ad supradictas functiones in Pontificalibus, etiam absente Capitulo, iuxta antiquissimam consuetudinem?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

« Standum Decreto *Ex Romanorum Pontificum indulgentia* diei 27 Augusti 1822 et Constitutioni s. m. Pii Papae VII: *Decet Romanos Pontifices* IV Nonas Iulias anno 1823 ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Ianuarii 1899.

4009. DUBIUM

quoad Organorum pulsationem quando canitur Praefatio aut Oratio dominicalis.

Proposito dubio: An in cantu Praefationis et Orationis Dominicalis, quoties Missae decantantur, Organa pulsari queant?

Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

« Obstat Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. 28, § 9, quod servandum est ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Ianuarii 1899.

4010. AGENNEN.

Rmus Episcopus Agennensis in Galliis Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit quod in sua Dioecesi praesertim ruricolae degunt, et difficile ad Cereorum benedictionem die secunda Februarii Ecclesiam frequentant ob Festi Purificationis suppressionem. Quapropter expostulavit ut in eadem Dioecesi benedictio solemnis Candelarum, quae fit iuxta ritum die secunda Februarii, in Dominicam sequentem transferretur.

Sacra porro Rituum Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

« Negative; et servetur Decretum in una Rhemen. diei 7 Februarii 1874 ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Ianuarii 1899.

4011. MARIANOPOLITANA.

Rmus Dominus Paulus Bruchesi Archiepiscopus Marianopolitanus Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit; nimirum:

Dubium I. Num Preces, quae flexis genibus ad omnes Horas in Feriis poenitentialibus dicuntur, pariter in fine Matutini, quando separatur a Laudibus, sunt addendae?

Dubium II. Num Antiphonae *Ne reminiscaris* et *Trium puerorum* quae privatim a Sacerdote recitantur ante et post Missam, duplicandae sunt vel non, iuxta ritum Missae quam celebrat?

Dubium III. An satisfacit obligationi suae Clericus in Ordinibus Sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adiungit Clero, Officium ab Officio ipsius Clerici diversum canenti vel recitanti?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Ad libitum in casu, iuxta ritum Officii vel Missae ».

Ad III. « Generaliter Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 27 Ianuarii 1899.

4012. SALERNITANA.

Hodiernus Prior Sodalitii a SSmo Sacramento in Civitate *Eboli* nuncupata, Archidioeceseos Salernitanae, erecti anno 1540 per Bullam Pauli Papae III, ut *Christi Corpus honorificentissime in Ecclesiis custodiretur et in Processionibus deduceretur*, nomine suo suorumque Confratrum a Sacra Rituum Congregatione nuper expostulavit speciale Apostolicum Privilegium, quo iidem Confratres in Processione SSmi Sacramenti praecedere queant novissimos Sodales Tertii Ordinis Carmelitarum ibidem canonice instituti. Exquisita super hac re sententia tum Rmi Archiepiscopi Salernitani, tum Rmi P. Magistri Prioris Generalis Ordinis Carmelitici, Antiquae Observantiae,

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, omnibus accurate perpensis, enunciato postulato respondendum censuit:

« Non expedire; et attendendum esse ius commune quod Tertiis Ordinibus collegialiter, proprio habitu et sub Cruce, incedentibus semper et ubique supra quascumque Sodalitates tribuit praecedentiam, iuxta Decreta etiam recentiora: *Dubii* 28 Maii 1886, *Lucerina* 4 Iulii 1887, *Monopolitana* 27 Martii 1893, *Nucerina Paganorum* 1 Martii 1894 et *Baren.* 27 Martii et 30 Novembris 1897; et prouti in una *Monopolitana* 23 Martii 1619, eadem Sacra Congregatio, referente Cardinali Bellarmino, sancivit de praecedentia Monachorum supra Mendicantes ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Februarii 1899.

4013. BOGOTEN.

Rm̃us Dominus Bernardus Herrera Restrepo, Archiepiscopus Bogotensis in Columbia, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humillime exposuit; nimirum:

Summus Pontifex Pius IX s. m., rescripto diei 29 Martii 1870, annuere dignatus est ut Dignitates et Canonici Capituli Metropolitani Bogotensis, qui iamdiu in choralibus et Capitularibus functionibus palliolum vulgo *mozzetta* et Cappam magnam nigri coloris deferre et induere consueverant, huiusmodi indumentorum colorem nigrum in violaceum mutarent. Quum vero Rm̃us Episcopus Titularis Maximopolitanus, Decanus eiusdem Capituli Metropolitani, affirmet sibi competere usum mozzettae supra rochettum et mantellettam, ex privilegio supradicto, sive absente sive praesente Archiepiscopo; ipse Rm̃us orator ab eadem Sacra Congregatione postulavit:

Utrum praelaudatus Episcopus Titularis, eo quod sit de Capitulo Metropolitano, vi asserti privilegii, uti possit *mozzetta* supra rochettum et mantellettam; vel potius stare debeat Decretis Sacrae Rituum Congregationis in Rheginen. diei 17 Martii 1663 ad secundum, in Mediolanen. diei 16 Martii 1833 ad primum et secundum, Liburnen. diei 23 Septembris 1848 ad secundum et Westmonasterien. 13 Septembris 1898?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis una cum enunciato Apostolico Indulto diei 29 Martii 1870, super proposito dubio rescribendum censuit:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 11 Martii 1899.

INDULTUM de quo supra, sequens est: Beatissime Pater. Dignitates et Canonici Capituli insignis Metropolitanae Ecclesiae Sanctae Fidei Bogotae, quae Metropolitana sola in Neogranatensi Republica existit, ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti humillime exponunt, quod iamdiu in choralibus et Capitularibus functionibus palliolum vulgo *mozzetta* et cappam magnam nigri coloris deferre et induere consueverunt: iamvero ut ipsius Capituli decor quam magis effulgeat, mutationem coloris nigri in violaceum praedicto in indumento, enixis a Sanctitatis Vestrae clementia efflagitant precibus ac votis. Quod Deus etc. Romae, die 29 Martii anno 1870.

Benigne annuimus pro gratia iuxta preces. — Pius PP. IX.

4014. VICENTINA.

Proposito dubio a Rev. P. Iosepho Preto Sacerdote Dioeceseos Vicentinae:

Utrum in reditu in Sacristiam, absolutione ad tumulum expleta, in Officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis die septima, trigesima et anniversaria, aut etiam extra has dies celebratis, dici debeat: *Anima eius* (vel *animae eorum*) *et animae omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace* et Antiphona: *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium Deus*?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, respondendum censuit:

« Affirmative, iuxta Missale Romanum et Decreta in una Brixien. ad secundum, diei 28 Iulii 1832; et in altera Florentina diei 31 Augusti 1872 ». Atque ita rescripsit.

Die 11 Martii 1899.

4015. ALATRINA.

R. D. Raphael Rossi, hodiernus Magister Caeremoniarum Revm̃i Episcopi Alatrini, de eius mandato a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. In Cathedrali Basilica Alatrina, quum Episcopus Pontificalia sit peracturus, Canonici in eiusdem associatione ab aede episcopali ad Ecclesiam quamdam Processionem instituunt: nempe praeit Crux cum candelabris, mox Seminarium, Beneficiarii, Canonici et postremo loco Episcopus. Nunc quaeritur: An ista consuetudo servari possit?

Dubium II. Item cum Episcopus paramenta sacra pro Pontificalibus assumit, Subdiaconus numquam Emum induit caligis et sandaliis, sed hoc officium committit cubiculario. Hinc quaeritur: An haec consuetudo sustineatur?

Dubium III. In eadem Missa Pontificali Diaconus et Subdiaconus Altari inservientes debentne Altare ipsum osculari, cum Pacem recipiunt?

Dubium IV. Tribus diebus Rogationum praefati Canonici ab antiquo Missam de Feria in Cathedrali praecinunt, deinde Processionem peragunt ad benedicendam Crucem in portis Civitatis; qua benedictione expleta, singulis diebus Ecclesiam parochialem ingrediuntur, ubi Parochus Missam privatam de Feria celebrans Processionem expectat, priusquam consecrationem efficiat. Consecratione autem peracta, Processio statim revertitur ad Ecclesiam Cathedralem. Nunc quaeritur: An haec consuetudo sit iuxta Rubricas et servari possit?

Dubium V. An in solemni expositione SSmi Sacramenti in forma XL Horarum, ante benedictionem cum eodem Venerabili, recitari possint Litaniae B. M. V. loco Litaniarum Sanctorum?

Dubium VI. An in Conservatoriis puellarum Missae a Cappellano celebratae inservire possit, extra cancellos vel longius ab Altari, aliqua ex puellis vel Monialibus, quum non facile sit alium inservientem invenire?

Dubium VII. An diebus quibus prohibetur Missa de Requie, possit celebrari Missa de Festo currenti pro anima alicuius defuncti, sed dato prius lugubri signo pro eadem Missa cum aere campano?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus diligenter expensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur Caeremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. 15 ».

Ad II. « Affirmative; dummodo Subdiaconus, qui caligas et sandalia defert, assistat ».

Ad III. « Negative, iuxta Caeremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXIV ».

Ad IV. « Negative, ad utramque quaestionem ».

Ad V. « Expedit servare Instructionem Clementinam ».

Ad VI. « Affirmative, in casu; et ex necessitate ».

Ad VII. « Negative, quoad sonitum lugubrem aeris campani ».

Atque ita rescripsit.

Die 18 Martii 1899.

4016. OVETEN.

Rmus Dominus Ioachim Rodriguez, hodiernus Decanus Capituli Cathedralis Ovetensis in Hispania, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit; nimirum:

Dubium I. An per Caeremoniale Episcoporum abrogata censeatur antiqua et immemorialis consuetudo, qua Presbyter assistens pluviali paratus non sustentat librum, cum Episcopus cantat ex eo alta voce *Gloria in excelsis Deo* et *Credo in unum Deum?*

Dubium II. An praefatus Presbyter assistens Episcopo librum supra caput suis manibus sustentare debeat?

Dubium III. An Episcopo Ordines privatim conferenti adesse ex officio debeat Decanus Capituli?

Dubium IV. In Ecclesia Cathedrali Ovetensi, etiam de consensu Episcopi, aliquando non omnes Canonici ad cubiculum accedunt ipsius Episcopi descendentis ad Ecclesiam, sed tantum duae Dignitates, duo Canonici et duo Beneficiati obviam illi exeunt, manentibus reliquis in Choro ad Horas Canonicas persolvendas. Quaeritur: Decanus in eiusmodi associatione minori teneturne semper Cohrum deserere obviamque ire Episcopo?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita prius super expositis informatione et sententia Rmi Episcopi Ovetensis, auditoque voto Commissionis Liturgicae atque re accurate perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Affirmative, ad tramitem Caeremonialis Episcoporum Lib. II, Cap. VIII, § 38 et 52 ».

Ad III et IV. « Ex lege communi et Decretis Generalibus non praecipi ».

Atque ita rescripsit.

Die 24 Martii 1899.

4017. URBIS ET ORBIS.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 27 Iunii superioris anni Litanias Sacratissimi Cordis Iesu adprobavit illasque publice recitari vel decantari in Ecclesiis et Oratoriis Dioecesium Massilien. et Augustodunen. atque Ordinis Visitationis B. M. V. benigne indulsit. Ex eo tempore Rm̃orum Sacrorum Antistitum et Religiosarum Familiarum piarumque consociationum petitiones ita frequentes ad Apostolicam Sedem pervenerunt, ut in omnium votis pateret esse maiorem gloriam et laudem ipsius SSm̃i Cordis cum incremento pietatis per invocationes approbatas ubique diffundi; prouti SS. Nomen Iesu per Litanias proprias, Rituali Romano insertas, in toto Orbe Catholico a Christifidelibus publica et communi laude celebratur. Accedit etiam quod Sanctissimus Dominus Noster pro devotione qua fervet erga Amantissimum Cor Iesu atque studio remedium afferendi malis quibus magis in dies premimur, eidem Sacratissimo Cordi consecrare intendit mundum universum. Haec autem consecratio ut solemniore ritu fiat, triduanas preces, praedictis invocationibus adhibitis, propediem indicere decrevit. Eapropter Sanctissimus Dominus Noster ut Litaniae Sacratissimi Cordis Iesu, iam probatae et Indulgentiis tercentum dierum auctae, ubique terrarum tum privatim tum publice recitari et decantari in posterum valeant, concedere dignatus est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 2 Aprilis 1899.

C. Episcopus Praenest. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

LITANIAE DE SACRO CORDE IESU.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis
Fili, Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas unus Deus, »
1. Cor Iesu, Filii Patris aeterni, »
2. Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum, »
3. Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum, »
4. Cor Iesu, Maiestatis infinitae, »
5. Cor Iesu Templum Dei sanctum, »
6. Cor Iesu, Tabernaculum Altissimi,
7. Cor Iesu, Domus Dei et porta coeli, »
8. Cor Iesu, fornax ardens caritatis, »
9. Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum, »
10. Cor Iesu, bonitate et amore plenum, miserere nobis.
11. Cor Iesu, virtutum omnium abyssus, »
12. Cor Iesu, omni laude dignissimum, »
13. Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium, »
14. Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, »
15. Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, »
16. Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit, »
17. Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, »
18. Cor Iesu, desiderium collium aeternorum, »
19. Cor Iesu, patiens et multae misericordiae, »
20. Cor Iesu, dives in omnes qui invocant Te, »
21. Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis, »
22. Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris, »

23. Cor Iesu, saturatum opprobriis, miserere nobis.
24. Cor Iesu, attritum propter scelera nostra, »
25. Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum, »
26. Cor Iesu, lancea perforatum, »
27. Cor Iesu, fons totius consolationis, »
28. Cor Iesu, vita et resurrectio nostra, »
29. Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra, »
30. Cor Iesu, victima peccatorum, »
31. Cor Iesu, salus in Te sperantium, »
32. Cor Iesu, spes in Te morientium, »
33. Cor Iesu, deliciae Sanctorum omnium, »

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Iesu mitis et humilis corde,
℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit; iisque misericordiam tuam petentibus, tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia saecula saeculorum. Amen.

4018. URGELLEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis summopere desiderans ut in sacris functionibus omnia rite et ad amussim peragantur, de sui Emi ac Rmi Domini Cardinalis Episcopi mandato, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit; nimirum:

Ex vigenti consuetudine et speciali privilegio Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiae Urgellensis habent Presbyterum assistentem et quidem Beneficiatum, in omnibus Missis conventualibus, tam in duplicibus in quibus Canonici inserviunt pro Diacono et Subdiacono, quam in semiduplicibus et feriis in quibus munus Diaconi et Subdiaconi a Beneficiatis impletur. Hinc quaeritur:

Dubium I. Utrum in Missis non pontificalibus ministrari debeant ampullae a Subdiacono, sive Canonico sive Beneficiato, licet adsit Presbyter assistens?

II. (1°) Quo ordine procedere debeant Celebrans, Presbyter assistens et Ministri, dum e Sacristia ad Altare pergunt et viceversa?

(2°) Utrum initio Missae Presbyter assistens collocare se debeat ad dexteram Diaconi stantis a dextris Celebrantis?

III. An servari possit immemorabilis consuetudo, vi cuius Presbyter assistens infra cantum Hymni Angelici et *Credo* sedet ad sinistram Subdiaconi?

IV. An stante immemorabili consuetudine, possit Presbyter assistens se transferre una cum Celebrante ad cornu Epistolae, ibique stare a sinistris ipsius Celebrantis versus Diaconum, dum hic Evangelium cantat?

V. Utrum dum Diaconus ad credentiam accedit ut bursam cum corporali ad Altare deferat, surgente Subdiacono, ut moris est, etiam assurgere teneatur Presbyter assistens, donec ipse Diaconus ad scamnum redierit?

VI. (1°) Utrum Presbyter assistens incensari debeat ante Subdiaconum, sive hic sit Canonicus, sive non?

(2°) An pacem recipere debeat a Subdiacono, postquam hic eam dederit Clero in Choro?

(3°) An Subdiaconus, praesente Episcopo in Throno cum pluviali et mitra, vel cappa magna, dare debeat pacem prius Diacono, sit necne Canonicus, et postea Presbytero assistenti?

VII. An continuari possit immemorabilis consuetudo, qua post habitam concionem coram Pontifice in Throno assistente, Pre-

sbyter assistens se locat in plano cum palmatoria a sinistris Diaconi, dum hic Confessionem cantat ex libro?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Quoad primam partem, semper procedant, in casu, unus post alium ; et Presbyter assistens incedat ad sinistram Celebrantis ».

« Quoad secundam partem, praedictus Presbyter assistat ad dexteram Celebrantis ».

Ad III. « Affirmative ; sed in scabello separato ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Negative ».

Ad VI. « Quoad primum, Affirmative ».

« Quoad secundum, Negative ; sed a Celebrante et ipse dabit Diacono ; et Presbyter assistens Celebranti recipiat pacem a Presbytero assistente Episcopo ».

« Quoad tertium, Servetur Caeremoniale Episcoporum ».

Ad VII. « Negative ».

Atque ita rescripsit.

Die 15 Aprilis 1899.

4019. VELITERNA.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Basilicae Cathedralis Veliternae, de observantia Caeremonialis Episcoporum et Decretorum Sacrae Rituum Congregationis pro suo munere sollicitus, eidem Sacrae Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humillime exposuit ; nimirum :

I. In praefata Basilica Cathedrali, celebrante pontificaliter Episcopo Suffraganeo, Canonicus qui Subdiaconi munere fungitur lecta Epistola, accepta ab Episcopo benedictione et tradito Missali Clerico, pergit directe ad scamnum et sedet ; quin sustineat Missale apertum, dum Episcopus Epistolam et Evangelium legit.

II. Presbyter assistens eidem Episcopo Suffraganeo ad faldistorium celebranti non adstat, cum hic pariter Epistolam et Evangelium legit, sed cum Diacono et Subdiacono in scamno sedet.

III. Canonici eiusdem Basilicae Cathedralis, cum in aliena Ecclesia sacras functiones solemniter peragunt, arbitrantur se posse uti privilegiis canonicalibus ex. gr. Canone et palmatoria.

Hinc quaeritur : Utrum servari queant supradictae tres consuetudines ; vel potius habendae ut abusus?

Sacra porro Rituum Congregatio hunc supplicem libellum remisit Emo et Rmo Domino Cardinali Episcopo Ostien. et Velitern. pro informatione et voto, audito etiam Rmo Capitulo Basilicae Cathedralis Veliternae. Postquam autem postulatis Sacri Consilii Emus Vir satisfecerit per Litteras diei 19 elapsi mensis Martii cum adnexis documentis ;

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae et rationum momentis hinc inde deductis, rescribendum censuit:

Ad Dubium : « Quoad primum : Consuetudinem in casu esse abusum tollendum; et confer Caeremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, § 41 ».

« Quoad secundum, ut in primo; et confer Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. VII, § 3 ».

« Quoad tertium, Canonicos praedictos uti posse Canone et palmatoria tantum in Ecclesia propria, sicut Canonici in Basilicis Minoribus Urbis ».

Atque ita rescripsit.

Die 21 Aprilis 1899.

4020. PLURIUM DIOECESIUM.

Ad dirimendam opinionum diversitatem exortam super Decretum Urbis et Orbis diei 9 Iulii 1895, confirmatum a Summo Pontifice die 9 Decembris eiusdem anni, in quo circa finem haec habentur : « Si vero « in dicta Ecclesia vel Oratorio Officium « ritus duplici inferioris agatur, unicuique « ex Celebrantibus liberum sit Missam de « Requie peragere, vel Votivam, vel etiam « de occurrenti Feria etc. »; penes Sacram Rituum Congregationem sequentis dubii solutio humiliter expostulata fuit; nimirum :

Quando Sacerdos recitans Officium de Festo aliquo, in quo occurrit dies infra octavam et Festum simplex, de quibus sola commemoratio facta est, et celebrans in Ecclesia ubi Officium ritus duplici inferioris agatur, velit recitare Missam de die infra octavam vel de Sancto simplici, istane Missa Votiva seu more votivo dicenda erit ; vel potius festiva et ut in Festo celebranda?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite perpensis, respondendum censuit :

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».
Et ita rescripsit ac declaravit.
Die 24 Aprilis 1899.

4021. ROMANA.

Hodiernus Parochus Ecclesiae S. Catharinae a Rota de Urbe a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter flagitavit; nimirum:

An Festum fixum prae mobili et magis proprium prae minus proprio, quae duo Festa in occurrentia, ceteris paribus, praecedentiam habent iuxta Rubricas Generales Breviarii Tit. X, Num. 6, eadem gaudeant praecedentia etiam in concurrentia?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate expensis, respondendum censuit:

« Negative ». Atque ita rescripsit.
Die 6 Maii 1899.

4022. DUBII RESOLUTIO.

Nonnulli Calendariorum Ordinatores a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem petierunt; nimirum:

Quando primae Vesperae Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. concurrunt cum secundis Vesperis Commemorationis S. Pauli Apost.; quaenam Antiphona sumenda pro commemoratione praecedentis? utrum communis utrique Apostolo Petro et Paulo; an quae propria est S. Pauli, addita seorsim commemoratione S. Petri?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, proposito dubio rescribere rata est:

« Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam; idest sumenda est Antiphona propria S. Pauli et altera propria S. Petri: iuxta Rubricam specialem et iuxta Decretum Generale de commemorationibus in Vesperis datum die 5 Februarii 1895; quo Decreto Sacra Rituum Congregatio declaravit et statuit: post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus Festo, quod concurrat, si locum habeat ».
Et ita declaravit.
Die 6 Maii 1899.

4023. DECRETUM

super iure Episcoporum Dioecesanorum cedendi Thronum alteri Episcopo.

Quum tanta commeandi ac itinerum suscipiendorum et perficiendorum facilitas illud etiam commodi attulerit ut Episcopi diversarum Dioecesium saepius conveniant, sive ad Festum aliquod solemnius agendum, sive ad coetus episcopales celebrandos; quaesitum est:

Utrum liceat Episcopo Dioecesano Thronum suum alteri Episcopo cedere.

Hinc Sacra Rituum Congregatio, quaestionem super hac Throni cessione sibi pluries delata, studiose pertractare opportunum duxit. Quare ab Emo ac Rmo Domino Cardinali Andrea Steinhuber Relatore, in Ordinariis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, propositum fuit dubium:

« An Episcopus Dioecesanus gaudeat iure cedendi Thronum suum alteri Episcopo cum Reverendissimorum Canonicorum adsistentia sibi debita? »

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate discussis atque perpensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius Dioecesani Coadiutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut etiam Dignitas seu Canonicus in illius Ecclesiis. Sicut autem Cardinales Episcopi Suburbicarii aliique Titulares Ecclesiarum Urbis Purpuratis tantum Patribus Thronum cedere possunt; ita Praesules Cardinales aliarum Dioecesium decet ut suum Thronum nonnisi aliis eadem Cardinalitia dignitate ornatis cedant ».
Die 9 Maii 1899.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 12 Iunii eodem anno.

4024. DECRETUM

quo conceditur facultas celebrandi Missam de Requie sine cantu, loco Missae exequialis cum cantu.

Instantibus aliquibus Parochis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium propositum fuit:

An pro paupere defuncto cuius familia impar est solvendo expensas Missae exequialis cum cantu, haec Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus quibus praefata Missa cum cantu conceditur?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque rite expensis, rescribendum censuit:

« Affirmative; seu permitti posse, in casu, Missam exequialem lectam, loco Missae cum cantu; dummodo in Dominicis aliisque Festis de praecepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens ».

Die 9 Maii 1899.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 12 Iunii eodem anno.

4025. DECRETUM GENERALE

super Festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando.

Cum Sacra Rituum Congregatio comperit nonnullos irrepsisse abusus circa Titularium Festa celebranda, sicut in Ecclesiis ita in Oratoriis publicis, Decreta hucusque evulgata in praesenti renovans et confirmans, declarat:

I. In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primae classis cum octava.

II. Ecclesias autem omnes esse ab Episcopo, nisi consecratae eae fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam Oratoria publica, sub formula in Rituali Romano praescripta.

III. Hinc pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illas sacras aedes esse intelligendas, quae pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatae, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi Titularis Festum a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiae aut publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur: secus, in defectu cuiusvis Cleri, per solas Missas iuxta Rubricas.

V. In Oratoriis autem, quae existunt in aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solemniter fuerint.

VI. Denique Sacra Rituum Congregatio mandat, ut nullum ex Oratoriis privatis consecretur, aut Benedictione donetur solemni, quae in Rituali Romano legitur; sed ea tantum formula benedicatur, quae pro Domo nova aut loco in eodem Rituali habetur.

Et ita declaravit.

Die 5 Iunii 1899.

4026. URBIS.

Apud Sacram Rituum Congregationem sequentia excitata fuerunt dubia; nimirum:

Dubium I. Quando super Altari extat, praeter Crucem, etiam Reliquia S. Crucis exposita, debetne Celebrans in Missa et Vesperis solemnibus utramque thurificare separatim; an utramque simul?

Dubium II. Qui celebrant aliquod Festum cum octava, praeter ea quae describuntur in Breviario Romano, ita privilegiata ut duplicia tantum I et II classis admittat, debent ne recitare IX Lectionem de simplici occurrente?

Dubium III. In Dominica infra octavam privilegiatam alicuius Festi particularis, quae duplicia tantum I et II classis admittat, agendum ne est Officium de ipsa Dominica; vel de die infra octavam?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative, ad primam partem; et Officium fiat ut in Psalterio: Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Iunii 1899.

4027. PLURIUM DIOECESIUM.

E pluribus Dioecesibus huic Sacrae Rituum Congregationi sequens propositum fuit dubium resolvendum; nimirum:

Quaenam a Diacono et Subdiacono tenendae sint normae pro genuflexionibus peragendis in Altari:

1. Dum ab uno latere in aliud transeunt:

2. Dum ab uno latere pergunt in medium:

3. Dum e medio ascendunt ad Altare aut vice versa?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondit:

Ad 1. « Diaconus et Subdiaconus, Sacramento non extante super Altari, semper genuflectunt et tantum in medio; Sacramento vero extante supèr Altari, semper et tantum genuflectere debent in utroque latere ».

Ad 2. et 3. « Diaconus et Subdiaconus, Sacramento extante super Altari, semper et tantum genuflectunt in loco e quo recedunt; excepto Subdiacono, qui reversus ab incensatione Sacramenti ad Elevationem in Missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum: Sacramento non extante super Altari, numquam genuflectunt, praeter Subdiaconum quando, accepta patena, vadit post Celebrantem ante medium Altaris; et, facta genuflexione, ibi stat ».

Atque ita rescripsit servarique mandavit.

Die 9 Iunii 1899.

4028. ROMANA.

Plures in Urbe Caeremoniarum Magistri sequens proposuerunt Sacrae Rituum Congregationi resolvendum dubium; videlicet:

Num, occurrente in Dominicis Sexagesimae, Quinquagesimae, secundae, tertiae et quartae Quadragesimae duplici I classis, Lectiones I Nocturni earundem Dominicarum resumendae sint infra illam Hebdomadam, quando fiat de Festo carente Lectionibus I Nocturni propriis, vel quae desumerentur e Scriptura occurrente si Festum illud extra Quadragesimam incidisset?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditaque sententia Commissionis Liturgicae, respondit:

« Affirmative ». Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 9 Iunii 1899.

4029. RESOLUTIONIS DUBIORUM.

Quum in pluribus Ecclesiis a longaevo iam tempore consuetudines quaedam invaluerint, quae Rubricis minus conformes ab aliquibus iudicantur, Sacra Rituum Congregatio exquisita fuit super sequentibus dubiis; scilicet:

Dubium I. Utrum servari possit consuetudo, ex qua tobalea superior Altaris usque ad terram non pertingat?

Dubium II. Utrum alia consuetudo servari possit non accendendi tertium cereum in Missis lectis a consecratione ad consummationem?

Dubium III. Utrum probetur usus, qui pluribus in Ecclesiis etiam Urbis obtinet, omittendi Psalmi *Lauda* ad Vesperas et *De profundis* ad Laudes in Officio Defunctorum (etsi cum uno tantum Nocturno) sub ritu duplici recitato?

Dubium IV. Quando in aliquo ex Festis solemnioribus, sive Ecclesiae universalis sive Ecclesiarum particularium, uti etiam in ultimo triduo Maioris Hebdomadae, alicuius obitus occurrit, servari ne possit consuetudo, ubi viget, deferendi cadaver ad Ecclesiam post expletas Vesperas, illudque aspergendi dicendique Preces in Rituali Romano praescriptas?

Dubium V. Ubi Psalmi, qui iuxta Rituale Romanum in associatione defuncti sunt canendi per viam, alternatim recitari solenta Sacerdotibus; potest ne haec consuetudo licite retineri?

Et Sacra Rituum Congregatio, praefatis consuetudinibus mature perpensis ac Commissionis Liturgicae exquisita sententia, respondendum censuit:

Ad I. « Negative; et servetur Rubrica Generalis Missalis Romani Tit. XX ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Servetur, quantum fieri possit, Rituale Romanum ».

Et ita declaravit.

Die 9 Iunii 1899.

4030. DUBII.

Sequens dubium Sacrae Rituum Congregationi resolvendum propositum fuit; videlicet:

Quum Caeremoniale Episcoporum Stolam aliquando non exigat pro Diacono deponente et porrigente Episcopo Sanctissimum Sacramentum, quaeritur:

Utrum ad exponendum et reponendum Sanctissimum Sacramentum, Diaconus adhibere semper debeat Stolam?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa votoque exquisito Commissionis Liturgicae; respondit:

« Affirmative; duobus tantum exceptis casibus, prout in Caeremoniali Episcoporum Lib. II, Cap. XXIII, § 12; et Cap. XXXIII, § 20 ».

Atque ita rescripsit et ab omnibus servari mandavit.

Die 9 Iunii 1899.

4031. PLURIUM DIOECESIUM.

Plures variarum Dioecesium Antistites, ut sacrae caeremoniae ritusque Ecclesiae ad apicem iuris exerceantur, sequentia proposuerunt dubia resolvenda Sacrae Rituum Congregationi; scilicet:

Dubium I. Cum Pontifex aspergit aras portatiles et dicit Antiphonas, Psalmos et Orationes; sufficitne ut aspergat et incenset tribus vicibus tantum in circuitu omnium tabularum simul consecrandarum, tanquam simul iunctarum in unum, et semel Orationes dicat Psalmosque praedictos?

Dubium II. Celebranti Missam cantatam sine Ministris licetne Passionem legere usque ad *Munda cor meum;* partemque aliam, quae sequitur, canere in tono Evangelii? An potius totam Passionem tenetur canere in eodem tono?

Dubium III. Possuntne ipsemet Celebrans exequi in Passione partem Christi, et laici partes Chronistae et Synagogae?

Dubium IV. Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut votivam in honorem alicuius Mysterii, Beatae Mariae Virginis, vel Sancti; satisfacitne obligationi suae Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet iuxta intentionem dantis eleemosynam?

Dubium V. Sacerdos, qui probabilius iudicat errare Calendarium, tenetur ne eidem Calendario stare; an proprio inhaerere iudicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum?

Et Sacra Rituum Congregatio, re maturius perpensa sententiaque audita Commissionis Liturgicae, rescribere rata est:

Ad I. « Negative, quoad aspersionem, quae tribus vicibus super singulis tabulis facienda est; Affirmative, quoad reliqua ».

Ad II. « Affirmative, ad primam partem, si aliter fieri nequeat; Negative, ad secundam ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Affirmative; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requie, vel votivam ».

Ad V. « Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Et ita rescripsit ac declaravit.

Die 13 Iunii 1899.

4032. AMERICAE.

Sequentia super Aris portatilibus solvenda dubia Sacrae Rituum Congregationi fuere proposita; nempe:

Dubium I. An Altaria portatilia, quae sunt ex lapide non quidem marmoreo, sed duro et tamen compacto, idonea pro Sacrificio haberi possint?

Dubium II. An tolerari possint eadem Altaria portatilia, quae ex lapide puniceo sive ex gypso constant?

Dubium III. Quid iudicandum de illis lapidibus sacris, quorum sepulcrum non in medio, sed in eorum fronte effossum fuit?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis et voto exquisito Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Dicti lapides in posterum non sunt admittendi; quoad praeteritum vero, cum commode fieri possit, iterum breviori formula consecrentur ».

Et ita rescripsit ac declaravit.

Die 13 Iunii 1899.

4033. DUBIUM.

Apud Sacram Rituum Congregationem sequens resolvendum dubium propositum fuit; scilicet:

Si Festum alicuius Sancti Confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem transferri per accidens vel perpetuo contingat, dicendumne in Hymno *Iste Confessor* ad primas Vesperas: *Meruit beatas etc.;* et in Matutino ac secundis Vesperis *Meruit supremos?*

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa et voto Liturgicae Commissionis audito; respondit:

« In casu, sicut dicendum est *Meruit beatas* ad primas Vesperas, ita eodem modo continuandum ad Matutinum et Vesperas sequentis diei ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 13 Iunii 1899.

4034. DUBIA.

Post novissime emendatas Rubricas nonnullaque expuncta ab antiqua Collectione Decreta, sequentia dubia resolvenda Sacrae Rituum Congregationi proposita fuere; videlicet:

Dubium I. Occurrentibus Festo Reliquiarum mobili, quod ex privilegio translationem admittit, et alio Festo eiusdem ritus sed diei mensis affixo; quodnam recitandum et quodnam transferendum?

Dubium II. Si accidat ut Titulus Ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, quaeritur: Num respective octavam servabunt?

Dubium III. Num officium agens et Diaconus, in Absolutione absente cadavere collocare se debeant semper inter tumulum et Altare; et Subdiaconus inter Ecclesiae ianuam et tumulum, sive Absolutio fiat pro laico, sive pro Sacerdote?

Dubium IV. Num in Absolutione sine Ministris sacris debeat officium agens, absente corpore, tumulum pro aspersione et incensatione circumire?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa ac Liturgicae Commissionis exquisita sententia, rescribere rata est:

Ad I. « Servetur Rubrica Generalis Breviarii Romani, vi cuius, in paritate Ritus, fiat de primario prae secundario; in paritate primarii vel secundarii, fiat de digniori ratione personae; et in paritate etiam dignitatis, fiat de fixo prae mobili ».

Ad II. « Affirmative, si agatur de translatione perpetua; secus, Negative ».

Ad III. « Affirmative, excepto casu quo cadaver sit moraliter praesens ».

Ad IV. « Affirmative, iuxta Rubricas ».

Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 20 Iunii 1899.

4035. ROMANA.

Academia Liturgica Romana sequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit; scilicet:

Dubium I. Utrum Episcopi, sive Dioecesani sive Titulares, Crucem pectoralem detectam gestare possint ubicumque degant?

Dubium II. Utrum super sacras vestes eamdem Crucem, vel saltem illius flocculum, gestare valeant in sacris functionibus?

Dubium III. Utrum iidem Episcopi, dum lavant manus infra Missam privatam, tegere possint caput bireto et Mitram gestare in eadem Missa dum populo trinam benedictionem impertiunt?

Dubium IV. Utrum sacrum Tabernaculum in interiori parte deauratum esse debeat, vel saltem albo serico contectum; et utrum sit benedicendum, priusquam Sacra Eucharistia in illo recondatur?

Dubium V. Pro clavibus, quae Ostiariis in eorum Ordinatione sunt tradendae, sufficit ne ut una tantum tradatur?

Dubium VI. Permitti ne possunt in Ecclesiis lumina ex oleo, quae mensae Altaris imminent et ardent etiam tempore Sacrificii?

Et Sacra Rituum Congregatio, omnibus mature perpensis auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondere censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Negative in omnibus ».

Ad IV. « Affirmative ad utramque partem ».

Ad V. « Servetur, in praxi, Pontificale Romanum ».

Ad VI. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Iunii 1899.

4036. DECRETUM.

Cum Commissio Liturgica quaestionem extendisset super conclusione Hymni *Veni Creator Spiritus,* utrum scilicet consultius esset nec ne eam semper immutatam dicere; Sacra Rituum Congregatio sententiam suam aperuit momentaque graviora exposuit, quibus innixa suum sentiendi modum amplexata fuerit. His aliisque probe consideratis;

Sacra eadem Rituum Congregatio declaravit:

« Doxologiam *Deo Patri sit gloria — Et filio qui a mortuis — Surrexit ac Paraclito — In saeculorum saecula* — ita esse censendam praefati Hymni propriam, ut eadem semper sit retinenda ac nunquam, quovis anni tempore vel quocumque occurrente Festo, in aliam mutandam ». Atque ita servari mandavit.

Die 20 Iunii 1899.

4037. RESOLUTIONIS

DUBIORUM.

Pro opportuna declaratione ad Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia delata fuerunt; nimirum:

Dubium I. Officia Sanctorum ad libitum concessa, quae transferri per accidens non posse iam declaratum est, possuntne, si perpetuo fuerint impedita, ad aliam diem assignari?

Dubium II. Si in Vigilia Assumptionis Beatae Mariae Virginis de aliquo eiusdem Virginis Festo sit agendum, est ne facienda commemoratio Vigiliae; vel omittenda?

Dubium III. Quando Patronus, aut Sanctus cuius insignis Reliquia habetur, describitur in Calendario cum aliis Sociis, quum tamen nulla inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis intercesserit ratio, dicendum ne Officium de omnibus in communi; an separatio de Patrono, vel de Sancto cuius Reliquia servatur, agenda?

Et Sacra Rituum Congregatio, praefatis dubiis mature perpensis auditoque voto Commissionis Liturgicae, censuit respondendum esse:

Ad I. « Negative ».

Ad II. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad III. « Negative, ad primam partem: Affirmative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 20 Iunii 1899.

4038. MELPHIEN.

ET

RAPOLLEN.

Rm̃us Dominus Ioseph Camassa Episcopus Melphien. et Rapollen. sequentis dubii solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit; nimirum:

Aloisio Bovio, Episcopo Melphien. et Rapollen., qui in hac Sede sua obiit anno 1847, successit Ignatius Maria Sellitti, qui, anno 1881, Episcopatum abdicavit, nec ei altera Sedes seu Titulus alicuius Ecclesiae collatus fuit, sed appellabatur: *iam Episcopus Melphien. et Rapollen.* et mense Aprili, hoc vertente anno, cessit e vita in patria sua. Hinc quaeritur:

Utrum anniversarium in Cathedralibus Ecclesiis celebrandum pro ultimo Episcopo defuncto fieri debeat adhuc pro primo seu Episcopo Bovio; an pro altero, nempe Episcopo Sellitti?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente Secretario, attentis expositis, suprascripto dubio respondendum censuit:

« Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam ».

Atque ita rescripsit.

Die 20 Iunii 1899.

4039. CAURIEN.

Rev. Dom. Vincentius Cosmè, Sacerdos et Caeremoniarum Magister Ecclesiae Cathedralis Cauriensis in Hispania, de mandato sui Reverendissimi Ordinarii, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit; nimirum:

In Ecclesia Cathedrali Cauriensi viget consuetudo persolvendi Vesperas a Canonicis cum cantu, etiam in duplicibus minoribus, semiduplicibus, simplicibus et feriis: quam consuetudinem, iuxta Decretum Sacrae Rituum Congregationis in una Derthonen. sub die 22 Maii 1841 (ad dub. 3) ipsi servare tenentur; sed cum in praedictis Vesperis Celebrans est paratus, Altare thurificatur; et per statutum speciale eiusdem Ecclesiae assistunt duo Beneficiati pluvialibus parati. Hinc quaeritur:

I. An in Vesperis ita persolvendis servandum sit Caeremoniale Episcoporum?

II. An, attenta consuetudine, Celebrans possit manere in habitu chorali usque ad Capitulum et tunc assumere pluviale?

III. An praedicti pluvialistae assistere debeant Celebranti thurificationem Altaris peragenti?

IV. An si faciendae sunt Commemorationes, persolvendae sint cum cantu propter uniformitatem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative ».

Ad II. « Negative ».

Ad III. « Affirmative ».

Ad IV. « Affirmative ».

Atque ita respondit et rescripsit.

Die 20 Iunii 1899.

4040. VALLIS VIDONIS.

Hodiernus Ordinator Calendarii Dioecesani Vallis Vidonis, de mandato Reveren-

dissimi Episcopi sui, sequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expostulavit; nimirum:

Die 6 Martii anni 1896, Revmo Administratori Dioecesis Quebecensis sciscitanti (dub. III): An, pluribus occurrentibus solemnitatibus transferendis, una vel altera possit ad libitum omitti vel saltem simplificari per commemorationem sub unica conclusione, cum Oratione Dominicae primae classis vel Festi, aut solemnitatis ritu aut privilegio superioris? Sacra Rituum Congregatio respondit: « Fiat de solemnitate digniori; et minus digna transferatur in proximiorem Dominicam liberam ».

Iamvero quandoque accidit ut simul occurrant non plures solemnitates transferendae, sed aliqua Solemnitas transferenda ac Festum duplex primae classis quod et ipsum solemnitatem habet. Hinc quaeritur:

I. An praeferenda sit Solemnitas translata, si sit dignior, et simul recitari possit Officium primae classis Festi occurrentis?

II. An ad proximam Dominicam liberam reponenda sit Solemnitas translata, si sit minus digna?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, attentis expositis, respondendum censuit:

Ad I et II. « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

Die 20 Iunii 1899.

4041. URBIS ET ORBIS.

A pluribus locorum Ordinariis Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia diluenda proposita sunt; videlicet:

Dubium I. Utrum pars anterior brachii, quae antibrachium dicitur, ab alia parte superiori eiusdem brachii separata, haberi possit uti Reliquia insignis?

Dubium II. Utrum idem sit dicendum de eadem parte superiori brachii, quatenus nempe et ipsa uti insignis Reliquia haberi queat?

Dubium III. Utrum cor, lingua, manus, si ex miraculo intactae conserventur, haberi debeant uti Reliquiae insignes?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, ad tria proposita dubia rescribendum censuit:

« Affirmative ». Et ita respondit ac declaravit.

Die 27 Iunii 1899.

4042. URBIS

DUBIA VARIA.

Apostolicarum Caeremoniarum Magistri sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi humiliter resolvenda proposuerunt; videlicet:

Dubium I. Quid pro *Nocturno talis diei*, quem Subdiaconibus ac Diaconibus ex Pontificali Romano Episcopus Ordinans solet imponere, intelligi debeat?

Dubium II. Utrum Episcopus Ordinans ius habeat iniungendi alium a Nocturno diei, quem Pontificale designat?

Dubium III. Quando Festum Sacrae Familiae concurrit cum alio Festo Beatae Mariae Virginis, ex. gr. cum Festo Desponsationis eiusdem, huius commemoratio facienda ne est; vel omittenda?

Dubium IV. Officia, quae alicubi conceduntur sub clausulis: *fieri posse, recitari posse etc.* sunt ne praeceptiva; an potius votivis assimilantur?

Dubium V. Unde Antiphona et versus sumi debeant, quando plures Commemorationes ex eodem Communi sumendae sint?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa ac voto Commissionis Liturgicae audito, respondendum censuit:

Ad I. « Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut Dominicae in Psalterio, prouti Ordinatio in feria, Festo, aut Dominica habita sit ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam ».

Ad IV. « Affirmative, ad primam partem, si acceptata ea fuerint; Negative, ad secundam ».

Ad V. « Quando plures Commemorationes occurrunt faciendae de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) *ad Vesperas*, dictis Antiphona et ℣. de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et ℣. ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et ℣. ex 3 Nocturno. — *Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et ℣. de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et ℣. de 1 Vesperis, altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et ℣. ex 2 Nocturno, tertia tandem per primam Antiphonam et ℣. 3 Nocturni ».

Atque ita rescripsit et declaravit.

Die 27 Iunii 1899.

4043. DECRETUM

circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum.

Quum dubia saepius exoriantur circa Commemorationes in Suffragiis agendas, tum ex eo quod varios casus particularesque generalis non valeat contemplari Rubrica; tum quia super eadem declarationes innumerae, ab hac Sacra Congregatione prolatae, in Decretorum Collectione hac illac dispersae, sine gravi labore vix reperiri queant; ac praeterea, pro variis locis casibusque peculiaribus plerumque emanatae, quamdam aliquando antinomiae speciem inter sese ferre videantur; ut in re quotidiani fere usus, quae in diversis Ecclesiis, pro varietate Titularium ac Patronorum, necessario est dissimilis, norma quaedam certa habeatur et obvia: Sacra Rituum Congregatio, re mature considerata, per Generale Decretum ad dubia quaecumque tollenda, ea, quae sequuntur, declarare ac decernere statuit:

I. Quilibet, sive Secularis sive Regularis, alicuius Ecclesiae servitio, quocumque canonico titulo, addictus, dummodo Ecclesia sit publica etsi non consecrata, tenetur, tam in Vesperis quam in Laudibus, diebus a Rubrica notatis, inter Suffragia Commemorationem agere de eiusdem Ecclesiae Titulo, non obstante quacumque consuetudine contraria, etiam immemorabili; et quamvis commemoratio iam soleat fieri Patronorum loci vel regionis.

II. Commemorationes in Suffragiis nunquam fiant de iis Mysteriis vel Sanctis, de quibus eadem die agitur Officium. Immo neque in Officio votivo de Passione, fiat Commemoratio de S. Cruce aut de SS. Sacramento, in quo recolitur memoria Passionis Christi; sed neque de S. Michaele Archangelo in Officio votivo Ss. Angelorum.

III. Similiter, Commemoratio de Ecclesiae Titulo, iam communiter in Suffragiis agenda, semel tantum fiat, et per Antiphonam communem. Itaque, si Titulus Ecclesiae sit ipsa sancta Crux, eius Commemoratio, tam intra quam extra tempus Paschale, non fiat nisi semel; et per Antiphonam, Versiculum et Orationem, quae inter Suffragia pro diversitate temporum annotantur. Pari prorsus modo, Commemoratio de Beata Maria Virgine, alicuius Ecclesiae Titulari, etiam sub denominatione Annuntiationis, vel Assumptionis, vel huiusmodi quacumque alia, fiat semper per Antiphonam communem *Sancta Maria succurre miseris*, cum Versiculo et Oratione ibidem suppositis: et haec sola Commemoratio sufficiat, ut dictum est supra.

IV. Si vero tam Officium diei, quam Commemorationes circa idem obiectum, haud tamen sub eadem ratione versentur; tunc Commemoratio Tituli non omittatur. Sic de SS. Salvatore, Ecclesiae Titulo, agenda est Commemoratio etiam post Commemorationem S. Crucis, immo in ipsa Dominica II Quadragesimae.

V. Ceterum, de Titulo Commemoratio fiat omnino specialis, nec sufficit eidem cum aliis Sanctis non Titularibus communis.

VI. Notandum autem est Commemorationem Beatae Mariae Virginis communem omittendam esse in Choro, iuxta Rubricam, quum recitatur eiusdem Beatae Virginis Officium parvum.

VII. Tituli Commemoratio inter alia Suffragia locum teneat, pro dignitate ipsius, a Rubricis assignatum. Sic ex. gr. Commemoratio S. Michaelis Archangeli praeponatur Commemorationi S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quorum quidem Commemoratio praeponenda est Commemorationi aliorum Apostolorum.

VIII. Praeter Commemorationem de Titulo seu Patrono Ecclesiae (et Regulares etiam de proprio Fundatore), nulla de Patrono Loci, vel Dioeceseos, Provinciae aut Regni, vi Rubricae facienda est; nisi contraria vigeat consuetudo. Quo in casu, nisi aliter exigat personalis dignitas, Commemorationes huiusmodi hoc ordine fiant: ut Loci seu Civitatis Patronus Patrono Dioeceseos, hic vero Patronis universalioribus, in Suffragiis anteponatur.

Die 27 Iunii 1899.

4044. BONAEREN.

Hodiernus Rmus Dominus Archiepiscopus Bonaëren., exoptans ut in Ecclesiis et Oratoriis suae Dioeceseos sacrae functiones iuxta Rubricas et Decreta accurate perficiantur, remotis consuetudinibus non probatis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit; nimirum:

Dubium I. An tolerari possit usus adhibendi cymbalum seu *Pianoforte* in Matutinis Tenebrarum et in Missis ferialibus quae Organum excludunt; et dum cantatur Passio?

Dubium II. An permitti possit ut in cantu Passionis Diaconus, qui repraesentat Synagogam, eas tantum sententias cantet quae ab uno proferuntur, ut a Petro, Caipha, Pilato etc.; sententiae vero turbae cantentur a schola, ordinarie ex laicis conflata?

Dubium III. An tolerari possit antiqua et valde generalis consuetudo, ut in festis solemnioribus Sanctorum, in Vesperis, eorum Imagines, hinc et inde iuxta Altare collocatae, incensentur triplici ductu, post thurificationem Altaris, celebrante se sistente successive ante singulas ipsas Imagines?

Dubium IV. An permitti queat, ut in aliqua solemnitate Missa incipiat in meridie, ita ut ob solemnitatem cantus et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam vel amplius?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. « Negative in omnibus ».

Ad II. « Permitti posse ».

Ad III. « Affirmative, sed duplici ductu ».

Ad IV. « Prudenti arbitrio Ordinarii ».

Atque ita rescripsit.

Die 7 Iulii 1899.

4045. DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS IESU AMPLIFICANDO

SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS LITTERAE

Rme Domine

Etsi gratum semper mihi fuit officium communicandi cum Ecclesiae Praesulibus ea, quae supremus eiusdem Pastor illis significanda praescripserit; gratissimum modo accidit patefacere singulis Sacrorum Antistibus suavissimam animi voluptatem, quam SSmus D. N. Leo PP. XIII percepit ex promulgatione novissimae suae Epistolae Encyclicae, qua universum humanum genus Sacratissimo Cordi D. N. Iesu Christi solemni ritu devovendi auctor fuit. Novit enim quanta animi propensione, quo consensu voluntatum fuerint eae litterae ab omnibus tum pastoribus tum fidelium gregibus receptae, et quam prompte ac studiose fuerit illis ubique obsecundatum.

Ipsemet sane Summus Pontifex cunctis exemplo praeivit; et ad suas Vaticanas Aedes, in sacello, cui a Paulo V nomen est, instituta per Ipsum supplicatione, universum terrarum orbem divino Iesu Cordi obtulit et devovit. Cuius exemplum secutus romanus populus, magna frequentia convenit in Patriarchales et minores Basilicas, in templa quaelibet curialia, in aedes sacras prope singulas; ibique solemnem consecrationis formulam iteravit, unoque veluti ore confirmavit.

Protinus allatae sunt undique litterae, et quotidie afferuntur, nuntiantes eumdem consecrationis ritum, pari studio ac pietate, peractum fuisse in unaquaque dioecesi, imo in singulis ferme ecclesiis; neque Italiae solum et Europae, sed et regionum maxime dissitarum. Cuius universi catholici populi consensus in obsecundando votis et voluntati supremi omnium Patris, profecto laus maxime debetur sacris Praesulibus, qui suis gregibus eiusmodi in re auctores fuerunt ac duces. Quapropter, Summi Pontificis obsequens desiderio, Tibi et singulis, qui tuae subiacent potestati, animarum regimen gerentibus, Eius nomine, magnopere gratulor et gratias ago.

Siquidem, ut in iisdem encyclicis litteris Beatissimus Pater edicit, uberes iucundissimosque fructus, nedum in singulos christifideles, verum et in universam christianam familiam, imo et in omne genus hominum, ex hac solemni oblatione derivaturos confidit, et nos cum Eo confidimus. Omnes enim intime persentiunt quam necessarium sit, ut languescens nimium fides vividius excitetur; ut sincerae caritatis ardor ignescat; ut exsultantibus nimium cupiditatibus frena iniiciantur, moribusque in dies contabescentibus medicaminis nonnihil afferatur. Omnium in votis esse debet, ut

humana societas suavissimo Christi imperio subiiciatur, Eiusque regium ius, divinitus Ei in omnes gentes collatum, civiles etiam potestates cognoscant et revereantur; quo fiat ut Ecclesia Christi, quae regnum Ipsius est, magis magisque amplificetur et ea perfruatur libertate et quiete, quae ad novos usque triumphos comparandos prorsus est ei necessaria. Ad hoc denique ab omnibus enitendum est, ut innumeras gravissimasque iniurias, quae quotidie, in universo orbe, divinae maiestati ab ingratissimis hominibus inferuntur, compensare piis operibus ac reparare studeamus.

Verum ut concepta spes novas in dies vires acquirat, ac bonum eiusmodi semen affluenter germinet, uberioremque afferat messem, necesse est ut iam excitata pietas erga sacratissimum divini Redemptoris Cor stabilis perseveret, imo alatur indesinenter. Constans enim perseverantia in precibus quamdam, ut sic loquar, vim afferet dulcissimo Iesu Cordi, ut earum recludat fontes gratiarum, quas Ipsemet cupidissime elargiri desiderat, quemadmodum B. Margaritae Alacoque, amantissimae suae, significavit non semel.

Quamobrem Summus Pontifex, me usus suae voluntatis interprete, Amplitudinem Tuam et universi catholici orbis sacrorum Antistites vehementer hortatur, ut, coeptis alacres insistentes, ea excogitent et constituant, quae, pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur.

Ipse vero Beatissimus Pater commendat quam maxime eum morem, qui iam in pluribus ecclesiis obtinuit, ut per integrum mensem Iunium varia pietatis obsequia divino Cordi publice praestentur: quod ut lubentius perficiatur, thesauros Ecclesiae reserans, tercentorum dierum indulgentiam christifidelibus impertit, toties lucrandam quoties sacris eiusmodi exercitiis interfuerint; plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum praestiterint.

Magnopere etiam in votis habet Sanctissimus Dominus, ut praxis, alte commendata, ac pluribus iam in locis usurpata, qua, prima qualibet sexta feria cuiusvis mensis nonnulla obsequia peraguntur in honorem sanctissimi Cordis, largius assidue propagetur: recitatis publice Litaniis, quas nuper Ipse probavit, et iterata consecrationis formula a se proposita. Quae praxis si in christiano populo augescat, et quasi in morem transeat, iugis erit et frequens affirmatio divini illius et regii iuris, quod Christus in omne humanum genus a Patre accepit, et effuso sanguine acquisivit. Quibus obsequiis ipse lenitus, utpote qui dives est in misericordia, mireque propensus ad homines beneficiis cumulandos, et eorum nequitiae obliviscetur et ipsos nedum ut fideles subditos, verum ut amicos et filios carissimos amplectetur.

Praeterea Beatissimus Pater vehementer exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientiisque dant operam, in eas societates congregentur, quae pii *coetus* vel *sodalitia a Sacro Iesu Corde* nuncupantur. Constant nimirum ex illo delectorum adolescentium agmine, qui, dato sponte nomine, statuta per hebdomadam die et hora, in aediculas aut templa, aut ipsorum litterariorum ludorum sacella conveniunt, ibique, alicuius sacerdotis ductu, pia quaedam in honorem Sacri Cordis Iesu exercitia devote peragunt. Si gratum acceptumque divino Redemptori pium quodvis accidit obsequium, quod ipsi a suis fidelibus exhibeatur, iucundissimum profecto illud est, quod e iuvenili pectore elicitur. Nec vero sermone assequi possumus quantopere id ipsum iuvenili eidem aetati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis contemplatio, et penitior virtutum eius et ineffabilis amoris cognitio nequit fervescentes iuvenum cupiditates non frangere, et virtuti sectandae stimulos non adiicere. — Qui pariter coetus iniri ac frequentari poterunt inter adultos, in iis quae, varii generis, *Societates catholicae* nuncupantur.

Ceterum piae eiusmodi exercitationes, quas memoravimus, nullimode a Sanctissimo Patre indicuntur; sed omnia Ipse episcoporum prudentiae et sagacitati permittit, in quorum studiosa propensissimaque voluntate plane confidit: illud unice exoptans, ut in populis christianis pietas erga Sacratissimum Cor Domini Iesu indesinenter floreat et virescat.

Interim Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis die XXI Iulii, anno MDCCCLXXXXIX.

Amplitudinis Tuae uti Frater

C. Episcopus Praenestinus Card. MAZZELLA S.R.C. Praefectus.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

4046. DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

Anni Sacri a Beatissimo Patre et Domino Nostro Leone XIII feliciter indicti proxime celebraturos initia, summopere decet nocte surgentes adire saeculi Auctorem, ad eius aras provolvi, acceptissimam offerri Hostiam, divinum scilicet Agnum, sacro convivio interesse, ut opportuno maxime tempore liceat auxilium, gratiam, misericordiam invenire: *Nunc enim propior est salus. Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Quod si regnum caelorum, id est praesentis temporis Ecclesia, simile esse perhibetur decem virginibus sponso de nocte occurrentibus, hac potissimum solemni faustitate licet unicuique mentem accuratius in sacra illa verba intendere: *aptate vestras lampades; ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

Cum insuper media nocte postremae diei mensis Decembris futuri anni praesens absolvatur saeculum novumque habeat initium, valde congruum est, ut pio quodam ac solemni ritu Deo gratiae agantur pro acceptis huius decursi saeculi beneficiis, et potiora impetrentur, urgente praesertim necessitate temporum, ad novum saeculum auspicato ineundum.

Itaque ut imminens annus MCM ab implorata Dei ope Eiusque Unigeniti Filii Servatoris nostri sumat auspicia idemque prospero cursu finiatur, longe felicius, uti sperare fas est, allaturus aevum; SSm̃us Dominus Noster Leo Papa XIII benigne concedit ut die 31 mensis Decembris, tum labentis, tum adventuri anni, media nocte in templis ac sacellis ubi SSm̃a Eucharistia rite adservatur, iuxta prudens arbitrium Ordinarii, sui cuiusque loci, exponi possit adorandum idem Augustissimum Sacramentum; facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram Illo unicam Missam de festo in Circumcisione Domini et Octava Nativitatis: fidelibus autem, sive infra sive extra Sacrificii actionem, de speciali gratia, sacram synaxim recipiendi: servatis ceterum servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 13 Novembris, anno 1899.

C. Episc. Praenest. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S. Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

4047. URBIS ET ORBIS.

Quo Sancti Bedae Venerabilis, tot illustrium scriptorum et Summorum Pontificum praeconiis condecorati, honor et cultus augeatur, complures sacrorum Antistites, praesertim ex Anglia, supplicibus ad Pium Papam IX fel. rec. litteris, et nuperrime iteratis precibus SSm̃o Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectis, enixe postularunt, ut dies festus huius sancti ac praeclari Confessoris in toto Catholico orbe agi valeat cum Officio et Missa propria Ecclesiae Doctoris, prouti aliquibus locis atque universis sodalibus Benedictinis et Cisterciensibus iamdiu concessum fuit. Illud etiam Ven. Card. Bellarmini effatum ingenti cum animi gaudio atque spe commemorarunt: *Beda Occidentem, Damascenus Orientem sapientia sua illustravit*; insimul asserentes ea omnia quae iuxta Benedictum XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 4, part. 2, cap. 11, n. 13, pro adiudicando titulo Ecclesiae Doctoris necessaria sunt, Sancto Bedae apprime convenisse.

Placuit autem ipsi SSm̃o Domino Nostro eiusmodi tam gravis negotii examen Sacrorum Rituum Congregationi committere. Quae exquisito prius doctissimi viri suffragio typis cuso, in Ordinariis Comitiis die 11 Iulii hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Relatore, sequens dubium discutiendum atque expendendum suscepit: « An sit extendendum ad universam Ecclesiam festum S. Be-

dae Venerabilis cum Officio et Missa propria, addita Doctoris qualitate? » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus rite perpensis, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « Supplicandum Sanctissimo pro extensione Officii et Missae S. Bedae Venerabilis ad Universam Ecclesiam, addita Doctoris qualitate ». Quam resolutionem SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab ipso infrascripto Cardinali relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et confirmavit; atque insuper ex ipsius Sacrae Congregationis consulto concedere dignata est, ut Festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria Confessoris et Ecclesiae Doctoris, prouti haec approbata sunt, die 27 Maii, quae est natalitia, eaque impedita iuxta Rubricas, die prima insequente libera, ab universa Ecclesia sub ritu duplici minori inde ab anno 1901 in posterum recolatur. Tandem idem SSmus Dominus Noster supradictum Officium cum Missa de S. Beda Venerabili, sub enunciato ritu in Kalendario Universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Novembris 1899.

C. Ep. Praenest. Card. MAZZELLA, S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, S. R. C. *Secretarius.*

1048. MINORICEN.

Rev. Dominus Ioannes Barber Pons, Ecclesiae Cathedralis Minoricensis Beneficiarius et Sacrarum Caeremoniarum Magister, de Rmi sui Episcopi consensu, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi resolvenda humillime exposuit: nimirum:

Dubium I. An Officium votivum S. Iacobi Maioris Apostoli, quod ex indulto s. m. Clementis Papae IX recitabatur feriis secundis non impeditis in Hispaniae Dioecesibus, et nunc persolvi potest loco Officii votivi de Sanctis Apostolis pro feria tertia adsignati, iuxta Decretum Urbis et Orbis die 5 Iulii 1883, transferri possit ad feriam tertiam, in illis Hispaniae Dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus non sunt pro Communitatibus adoptata?

Dubium II. An in Dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus Decreto 5 Iulii 1883 concessa, non fuerint adoptata, possint ulterius semel pro semper eligi?

Dubium III. An pro commemoratione S. Antonii Abbatis, huius dioecesis Minoricensis Patroni, de quo concessum est Officium proprium a SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII, dici possit in Suffragiis Sanctorum antiphona propria de secundis Vesperis Festi: *Hodie Beatus hilari vultu sanctos Angelos intuens tamquam si amicos videret, migravit in coelum....* omisso: *Hodie?*

Dubium IV. An omnes ad medium Chori accedentes et recedentes unico genu flectere teneantur, Canonicis exceptis, quum non sit in Altari maiori SSmum Sacramentum reconditum?

Dubium V. An post Missam solemnem, qua finita, benedictio cum SSmo Sacramento datur, dum celebrans et ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolae, ut ibi celebrans exuat Casulam et Manipulum induatque pluviale, ac ministri Manipulos deponant, debeant coram SSmo Sacramento discooperto in ipso Altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo Altaris?

Dubium VI. An consuetudo utendi Cingulo ad instar fasciae tolerari possit?

Dubium VII. An toleranda consuetudo utendi fundo caerulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis albarum?

Dubium VIII. Dum dicitur: *Fidelium animae,* in fine Officii, estne manu producendum signum crucis ad instar benedictionis?

Dubium IX. Thurificatio SSmi Sacramenti, estne facienda duplici ictu in triplici ductu, etiam intra Missam solemnem, ante Introitum et ad Offertorium?

Dubium X. Cereus paschalis debetne ardere, dum cantatur Missa in Vigilia Pentecostes?

Dubium XI. Ante SSmum Sacramentum dis coopertum tenenturne semper utroque genu flectere iuxta Decretum sub N. **937** diei 19 Augusti 1651 ad 6, etiam Processionibus interessentes imo et pluvialibus, induti?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « Servetur Indultum s. m. Clementis Papae IX ».

Ad II. « Affirmative, iuxta ipsum Decretum Generale ».

Ad III. « Pro gratia ».

Ad IV. « Affirmative ».

Ad V. « Iuxta praxim Ecclesiarum Urbis, in plano utroque genu flectitur ».

Ad VI. « Tolerari potest enunciata consuetudo ubi viget, donec Cingula, hucusque adhibita, consumentur ».

Ad VII. « Affirmative; et detur Decretum sub N. **3780** diei 12 Iulii 1892 ad V ».

Ad VIII. « Negative ».

Ad IX. « Affirmative, iuxta Decretum sub N. **3110** diei 22 Martii 1862 ad XX ».

Ad X. « Negative; et servetur specialis Rubrica Missalis ».

Ad XI. « Affirmative, si agatur de accedentibus et recedentibus, iuxta citatum Decretum ».

Atque ita rescripsit.

Die 24 Novembris 1899.

4049. COMEN.

Revmus Dominus Teodorus Valfrè di Bonzo, Episcopus Comen. exoptans ut in sua Dioecesi praescriptiones liturgicae observentur, circa aliquas consuetudines ibidem vigentes sequentia dubia, pro declaratione Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit; nimirum:

Dubium I. An Feria V in Coena Domini in Ecclesiis Parochialibus aliisque non Parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriae VI in Parasceve et Sabbati Sancti?

Dubium II. An praedicta Missa legi vel decantari possit in Ecclesiis vel Oratoriis spectantibus ad Regulares, ad Seminaria et ad Pias Communitates?

Dubium III. An publicae Fidelium adorationi proponi queat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum etiam post Missam Praesanctificatorum?

Dubium IV. An cum Hostia consecrata quae reservatur pro dicta Missa Praesanctificatorum, reponi possit in urnula seu sepulcro pixis cum particulis consecratis, si opus fuerit, pro infirmis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. « In Ecclesiis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, serventur Rubricae Missalis et Decreta, adhibito Memoriali Rituum Benedicti Papae XIII, pro functionibus praescriptis, si extet defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero Ecclesiis non Parochialibus, omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriae VI in Parasceve; et fiat Sepulcrum: expetita facultate pro usu dicti *Memorialis,* si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus existat ».

Ad II. « Affirmative, quoad Regulares proprie dictos, iuxta Decretum sub N. **2799** diei 31 Augusti 1839; Negative, quoad Seminaria et Pias Communitates, nisi habeatur Apostolicum Indultum ».

Ad III. et IV. « Negative; et serventur Rubricae et Decreta ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Decembris 1899.

4050. LEGIONEN.

Rev. Dominus Antonius Alonso Ecclesiae Cathedralis Legionensis Caeremoniarum Magister et Calendarii Dioecesani Director, de consensu Rmi sui Ordinarii, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

In Dioecesi Legionensi die 12 Octobris simul occurrunt dies Octava S. Froylani Episcopi Confessoris atque eiusdem Dioecesis Patroni Praecipui et Festum Beatae Mariae Virginis de Columna quod sub ritu duplici primae classis cum octava recolitur; quaeritur:

Utrum Officium fieri debeat de die octava Sancti Patroni, translato Festo B. M. V. de Columna in primam diem insequentem liberam iuxta Rubricas; an vero de hoc Festo, redacta perpetuo die octava Sancti Patroni ad ritum simplicem?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

« Fiat de Beata Maria Virgine sub titulo

de Columna cum commemoratione diei octavae Sancti Patroni ».

Atque ita rescripsit.

Die 9 Decembris 1899.

4051. URBIS.

Quarumdam Ecclesiarum Rectores insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostularunt; nimirum:

Dubium I. Utrum in Ecclesiis Collegialibus aspersio aquae benedictae de praecepto sit praemittenda Missae Conventuali quae canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive absque sacris Ministris? Et utrum in Ecclesiis non Collegialibus eadem aspersio praefatis diebus fieri saltem possit?

Dubium II. In Ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes teneantur ne sequi Calendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur?

Dubium III. Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quae non Religiosae Familiae, sed tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissae sunt?

Dubium IV. Utrum Officia ad libitum infra octavas quascumque occurrentia recitari valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. « Affirmative, ad utramque partem ».

Ad II. « Affirmative ».

Ad III. « Negative ».

Ad IV. « Negative ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Decembris 1899.

APPENDIX
AD DECRETA AUTHENTICA
CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

ISTRUZIONE ED ORDINI

Da osservarsi nell'Orazione continua di quarant'ore coll'Esposizione del Santissimo Sacramento per li bisogni di S. Chiesa, secondo la pia mente de' Sommi Pontefici confermata, e pubblicata di nuovo per ordine di nostro Signore Clemente XII.

Prospero del Titolo di S. Silvestro in Capite della S. R. C. Cardinal Marefoschi, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale.

§ I.

« Essendo state fatte sin dal tempo del- « l'introduzione dell'Esposizione del SSmo « Sacramento per l'Orazione continua di qua- « rant'ore diverse provisioni spettanti al de- « coro di detta funzione, acciò le medesime « vengano esattamente osservate e si rimuova « ogni abuso introdotto in alcune Chiese; « d'ordine espresso della Santità di Nostro « Signore datoci coll'oracolo della sua viva « voce, ordiniamo e comandiamo, che in « tutte le Chiese di questa Città tanto Pa- « triarcali, quanto Collegiate e Parrocchiali, « ed in ogni altra Chiesa si dei Secolari, « che dei Regolari, in qualsivoglia modo « privilegiata e degna di special menzione, « in cui si farà la suddetta Orazione di qua- « rant'ore, s'osservi inviolabilmente quanto « si prescrive nella presente novissima Istru- « zione sotto le pene infrascritte ».

§ II.

« Si metterà sopra la porta della Chiesa, « dove sarà l'Esposizione un segno del SSmo « Sacramento ornato di festoni, come pure « a capo della strada vicina, perchè sia noto « a chi passa esservi l'Esposizione del « SSmo Sacramento ».

§ III.

« Il SSmo Sacramento dovrà esporsi nel- « l'Altar maggiore (eccettuate le Basiliche Pa- « triarcali, nelle quali si suole esporre so- « pra altro Altare), e si coprirà l'Immagine « o Statua, che vi sia; come anche le pa- « reti della Tribuna e le vicine all'Altare, « se non vi sono ornamenti fissi, si copri- « ranno con drappi, avvertendosi che gli « apparati non contengano istorie, nè cose « profane ».

§ IV.

« Sopra l'Altare non vi si pongano « Reliquie di Santi o Statue de' medesimi « (non escludendosi però quelle degli An- « geli, che facciano figura di candelieri) e « molto meno vi si pongano figure dell'a- « nime del Purgatorio di qualsiasi materia; « il che si proibisce anche in tutte le espo- « sizioni particolari ed in quelle, che tal- « volta si fanno per suffragio di quelle « anime ».

§ V.

« Sopra detto Altare in sito eminente « vi sia un Tabernacolo o Trono con Bal- « dacchino proporzionato di color bianco,

« e sopra la base di esso vi sia un Corpo-
« rale per collocarvi l'Ostensorio o Custo-
« dia, il cui giro sarà attorniato di raggi
« e non vi sarà davanti alcun ornamento,
« che impedisca la vista del SSm̃o ».

§ VI.

« Ardano sopra l'Altare almeno venti
« lumi continuamente, cioè sei candele di
« una libbra, tre per parte dalli lati della
« Croce, ed otto candele dalla parte supe-
« riore, con altre quattro dalli lati dell'O-
« stensorio, nella cui parte opposta non vi
« si ponga onninamente lume alcuno; e
« sieno finalmente due Torcieri con le fiac-
« cole almeno di tre libbre l'una. L'istesso
« numero di lumi vi sia anche di notte,
« dopo serrata la Chiesa: nella sera si met-
« tano lumi sufficienti per evitare la con-
« fusione, i quali stiano accesi finchè si chiu-
« dano le porte di essa. Potranno anche di
« giorno oscurarsi le fenestre vicino all'Al-
« tare dell'Esposizione, ad effetto di rac-
« cogliere la mente de' Fedeli all'ora-
« zione ».

§ VII.

« Niun Secolare, benchè vestito di sacco
« di qualsivoglia Compagnia, ardisca di an-
« dare intorno all'Altare per aggiustare i
« lumi o far altro che occorra; ma dovrà
« essere un Sacerdote o almeno un Chie-
« rico con Cotta, con la quale sopra il pro-
« prio abito dovranno comparirvi anche li
« Regolari di qualsivoglia Religione: avver-
« tendosi di più, che ogni persona di qual-
« sivoglia condizione ed ordine per Decreto
« della Sacra Congregazione de' Riti *Urbis*
« *19 Augusti 1651,* ad 6, (num. **937**),
« avanti al SSm̃o Sacramento esposto, ac-
« costandosi o partendosi da esso, deve fare
« riverenza con ambe le ginocchia piegate.
« In ordine poi alla persona del Sacerdote,
« il quale celebra la Messa privata, s'insinua
« esserci Decreto della medesima Sacra Con-
« gregazione, che mentre passa avanti al-
« l'Altare, in cui sta esposto il SSm̃o Sa-
« cramento, dopo fatta l'adorazione colle
« ginocchia piegate e scoperto il capo al-
« zandosi lo ricopra ».

§ VIII.

« Si tenga, durante l'Esposizione, alla
« porta della Chiesa per la parte di dentro
« o di fuori, come tornerà più comodo, un
« tappeto, che faccia forma di bussola, con
« spazio adequato alli lati per comodità del
« popolo, e sia talmente posto, che non
« possa mai dalla strada vedersi il SSm̃o Sa-
« cramento ».

§ IX.

« Siano di continuo uno o due Sacer-
« doti, o almeno in altro Ordine Sacro co-
« stituiti, se si potrà, vestiti di cotta (ben-
« chè siano Regolari) genuflessi avanti un
« banco ricoperto con tappeto o panno rosso,
« o d'altro colore e qualità decente vicino
« all'infimo grado dell'Altare; e mai sopra
« genuflessorii, orando tanto di giorno,
« quanto di notte a vicenda. Dove sarà
« qualche Confraternita, vi assistano due
« confratelli almeno, avanti un banco co-
« perto di panno verde o d'altro colore
« decente, parimente a vicenda, ma fuori
« del Presbiterio e distanti dagli Ecclesia-
« stici suddetti; ed oreranno con tutta di-
« vozione per edificazione degli astanti e
« con voce sommessa per non causare di-
« strazione negli altri ».

§ X.

« Nella Sagrestia vi sia l'orologio al-
« meno a polvere per sapere il tempo della
« vicenda; di cui se ne darà il segno ad
« ogni ōra colla campana maggiore, tanto di
« giorno, che di notte ».

§ XI.

« La sera avanti il giorno dell'Esposi-
« zione, dopo il segno dell'Ave Maria, si
« suonino le campane solennemente per
« avviso del popolo, come anche la mattina
« nel far del giorno; e dopo tutti gli altri
« segni dell'Ave Maria, durante l'Esposi-
« zione, come parimente le solite tre volte
« avanti le Messe solenni ».

§ XII.

« Nell'Altare, dove sta esposto il SSm̃o
« Sacramento non si celebri altra Messa,
« che le solenni per l'Esposizione e Repo-
« sizione; nei quali due giorni, oltre la
« Conventuale (nelle Chiese, ove è obbli-
« gazione di cantarla) si celebrerà dopo
« Nona la Messa del SSm̃o Sacramento vo-
« tiva pro re gravi: eccettuate però tutte
« quelle Domeniche, che sono di prima o

« seconda classe, e tutti li giorni, ne' quali « per ragione del Calendario tanto universale, quanto particolare di quella Chiesa, « si fa Offizio parimente di prima o seconda « classe; come anche eccettuata la feria « quarta delle Ceneri e le ferie seconda, « terza e quarta della Settimana Santa, « tutti li giorni dell' Ottava di Pasqua e di « Pentecoste, le Vigilie del S. Natale e « della Pentecoste e l'Ottava dell'Epifania, « nelle quali Domeniche, altri giorni e ferie eccettuate si canterà la Messa conventuale con l' Orazione aggiunta del Sacramento *sub unica conclusione;* e tutto « ciò si osserverà inviolabilmente in tutte « le Chiese tanto dei Secolari che dei Regolari ».

§ XIII.

« Nel giorno medio, oltre la Messa Conventuale, si dovrà cantare dopo Nona la « Messa votiva pro Pace, o altra che verrà « comandata da Nostro Signore; secondochè sarà espresso nella lista delle Quarant' ore con la medesima eccezione dei « giorni suddetti; e con la medesima regola circa l'Orazione ».

§ XIV.

« Nelle Chiese non Collegiate e dove « non è obbligazione di cantare la Messa « Conventuale, dovrà in detto giorno medio « cantarsi solamente la votiva suddetta, con « l'eccezione e regola prescritta di sopra « nella Messa del Sacramento: questa però « dovrà cantarsi ad un Altare, che non sia « quello dell'Esposizione, nè quello dove « sta il Tabernacolo col Sacramento incluso; « ed in quelle Chiese, che hanno l'obbligo « di cantare la Messa Conventuale, questa « pure si canterà ad altro Altare, come si « è detto ».

§ XV.

« Si ordina espressamente, che nelli « giorni dell' Esposizione, medio e della « Reposizione, le Messe si debbono cantare « con li Ministri parati e non altrimenti, « anche nelle Chiese de' Regolari, non « ostante qualsivoglia loro uso o pretesa « consuetudine in contrario ».

§ XVI.

« Nelle Messe private, che si celebreranno durante l'Esposizione, non si suoni « il campanello all'elevazione; ma solo uscendo i Celebranti dalla Sagrestia, si « dia un piccolo segno colla solita campanella ».

§ XVII.

« Non si celebrino Messe di requie nel « tempo che durerà l'Orazione delle quarant' ore; e le Messe del SS̃mo, che si « celebreranno nei giorni permessi dalla « Rubrica, saranno meramente votive senza « *Gloria* e *Credo*. Nelle altre Messe private correnti si aggiungerà dopo le prescritte della Rubrica l'Orazione del Sacramento, così comandando la Santità di Nostro Signore ».

§ XVIII.

« Il Celebrante, dovendo portare il Santissimo in Processione, sarà vestito con « piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti di altro colore; chè « in tal caso continuerà il colore della Messa; il velo umerale però sarà di color « bianco in qualsivoglia caso che debba portarsi il Sacramento, anche nel Venerdì « Santo; e li paramenti dei Ministri sacri « saranno del colore di quelli del Celebrante, come sopra. Parimenti il Pallio dell' Altare, dove sta l' Esposizione, sarà « sempre di color bianco, benchè la Messa « solenne ivi si celebri in altro colore; « come pure il baldacchino per la Processione deve essere del medesimo color « bianco ».

§ XIX.

« Terminata la Messa solenne per l'Esposizione il Celebrante e li Ministri, fatte « le dovute riverenze al Sacramento, si ritireranno fuori del corno dell'Epistola, « dove il Celebrante, come pure li Ministri, « deporrà il Manipolo e, levata la Pianeta, « prenderà il piviale, porrà ivi l'Incenso « in due Turiboli, senza benedirlo, e dopo « con li Ministri genuflessi nel mezzo incenserà tre volte il SS̃mo: sul fine della « Processione (la quale si principierà anticipatamente, fatta l'elevazione del SS̃mo, « o prima, secondo che sarà piu o meno « numerosa) il Diacono in tempo congruo, « fatta la genuflessione sopra la predella, « prenderà il Sacramento, e stando in piedi, « lo consegnerà al Celebrante genuflesso:

« genuflettendo immediatamente esso Dia-« cono, lo prenderà il Celebrante, rico-« perte le mani dall'estremità del velo « umerale, e si alzerà. Principiandosi poi « da' Cantori l'inno *Pange lingua etc.*, s'in-« camminerà sotto il baldacchino recitando « con voce sommessa Salmi ed Inni insieme « con li Ministri, i quali eleveranno le fim-« brie del piviale ».

§ XX.

« La Processione sarà composta di tutto « il Clero della Chiesa ed il Crocifero in « questa funzione non sarà parato con abito « subdiaconale, ma vestito con cotta. Vi in-« terverranno onninamente otto Sacerdoti « vestiti con cotte e con le torcie accese « in mano, li quali precederanno dalli lati « avanti il baldacchino: e dopo di essi se-« guiranno due Accoliti con turiboli, i quali « per la strada incenseranno continuamente « il Santissimo e, durante la Processione, « suoneranno le campane solennemente ».

§ XXI.

« La Processione si farà dentro la Chiesa, « o al più per la piazza, quando l'angustia « della Chiesa ne porti la necessità; e quando « esca di Chiesa, si farà ben pulire la strada « della piazza; dove, se vi sarà qualche bot-« tega, dovrà tenersi chiusa durante la Pro-« cessione ».

§ XXII.

« Se vi saranno istituite Confraternite di « Secolari, o siano vestiti di sacco o no, « tanto li Guardiani ed Officiali di esse, quanto « li Confrati anderanno unitamente in corpo « avanti il Clero Secolare o Regolare, che « vi sarà, al quale dovranno sempre ce-« dere il luogo più degno: di più espres-« samente si comanda, che li Guardiani o « altri Officiali di essa non ardiscano, sotto « qualsivoglia pretesto di consuetudine o « altro, di andare dopo il baldacchino sotto « la pena di venticinque scudi a ciaschedun « Fratello, Guardiano o Officiale della Con-« fraternita, il quale contravvenisse alla pre-« sente disposizione, in conformità dell'e-« ditto pubblicato l'anno 1689; la qual pena « di scudi venticinque si dovrà applicare « alla medesima Confraternita, se sarà po-« vera, o al Monte del SSño Viatico a No-« stro arbitrio. Monsig. Primicerio però do-« vrà andare dopo il baldacchino vestito « senza sacco coll'abito suo prelatizio e col « rocchetto, se n'avrà l'uso. Possono bensì « li detti Officiali portar l'aste del baldac-« chino, officio molto decoroso, per il quale « dice il Ceremoniale de' Vescovi lib. 2, « cap. 33: *Deputentur nobiles Viri, Baro-« nes etc.* ».

§ XXIII.

« Di più ordiniamo ai suddetti Cleri Se-« colare e Regolare, che nelle proprie Chiese « non permettano, che si pratichi in con-« trario, sotto le pene contenute nel sud-« detto editto, cioè di scudi venticinque « alli Superiori e Rettori delle Chiese Se-« colari e di privazione di voce attiva e « passiva alli Superiori Regolari con altre « a nostro arbitrio. Quando poi vi fosse al-« cuno, che tanto ardisse, si notifica che « oltre le suddette pene imposte di sopra, « resterà *ipso iure* privo dell'officio e cas-« sato dalla Confraternita respettivamente « il Guardiano o Guardiani ed Officiali, i « quali contravverranno a questo nostro or-« dine: resterà la Confraternita e Chiesa « privata di far più tale santa Esposizione, « finchè da noi non sarà reintegrata: si di-« chiara anche, che all'accusatore di tal con-« travvenzione si darà la terza parte della « suddetta pena, coll'esser tenuto segreto; « e la suddetta disposizione vogliamo che « si osservi in tutte e singole le Processioni « ed Esposizioni particolari ».

§ XXIV.

« Ritornata la Processione in Chiesa e « giunto il Celebrante al grado infimo del-« l'Altare maggiore, il Diacono genuflesso « riceverà il Santissimo da esso Celebrante « (il quale immediatamente genufletterà de-« ponendo il velo umerale) e lo collocherà « nella base del Trono, andando poi, fatte « le dovute riverenze, al suo luogo. Li can-« tori divotamente e con pausa canteranno « il ℣. *Tantum ergo etc.* ed al versetto: *Ge-« nitori, Genitoque etc.* il Celebrante, alza-« tosi con li Ministri, porrà ivi nel mezzo « l'incenso nel turibolo senza benedizione; « e genuflesso incenserà tre volte il Sacra-« mento: terminato l'Inno, senza dirsi il « ℣. *Panem de coelo etc.*, si canteranno dalli « suddetti Cantori le Litanie contenute nel « libro stampato per l'Orazione delle qua-« rant'ore (il qual libro puramente senza al-

« cuna mutazione dovrà usarsi in qualun-
« que altra Esposizione del Santissimo, che
« si faccia particolare). Dopo che avrà detto
« le preci, il Celebrante alzatosi (a cui li
« Ministri sosterranno il libro) senza fare
« nuova genuflessione, canterà a mani giunte
« il ℣. *Dominus vobiscum etc.* con le Orazio-
« ni, le quali terminate, genuflessi faranno
« breve orazione; ed indi partiranno a capo
« scoperto sino ad una ragionevol distanza
« dal Sacramento, dandosi così il principio
« all'Orazione delle quarant'ore ».

§ XXV.

« Il Celebrante non dovrà usare la sede
« camerale, secondo il Decreto della Sacra
« Congregazione dei Riti, ma un banco (che
« neppure abbia le braccia) con il poster-
« gale ornato di panno rosso o d'altro co-
« lore decente, in cui sederà insieme colli
« Ministri Sacri. Molto meno dovranno mai
« usare le sedie camerali nelle Chiese, li
« Guardiani, Deputati ed Officiali delle Con-
« fraternite, Compagnie e Congregazioni lai-
« cali, ma sederanno sopra un banco con
« postergale senza bracci ai lati e senza al-
« cun'uso dei cuscini, come pure senza gra-
« dini e senza genuflessorii davanti; il qual
« banco dovrà cuoprirsi di panno, non di
« seta; e sarà onninamente situato fuori del
« Presbiterio, in quei casi, che assisteranno
« alle Messe e Vesperi solenni; o che nel
« Presbiterio si celebri dal Clero alcuna fun-
« zione sacra, secondo li replicati Decreti
« della Sacra Congregazione de'Riti, parti-
« colarmente pel Decreto Generale emanato
« sotto li 13 Marzo 1688 (num. **1792**):
« sotto le pene espresse di sopra e com-
« minate nei §§: Se vi saranno ecc., E di
« più ordiniamo ecc. (che sono li XXII,
« XXIII). Monsignor Primicerio però sederà
« dentro il Presbiterio al lato dell'Evangelo
« in un banco coperto di panno nel suo
« abito prelatizio, come s'è detto al nu-
« mero XXII ».

§ XXVI.

« Se però la struttura della Chiesa non
« permetterà luogo congruo fuori del Pre-
« sbiterio; in tal caso di necessità si ri-
« correrà a Noi, che col consiglio dei Si-
« gnori Maestri di Ceremonie Pontificie si
« concederà, che possa collocarsi il banco,
« come sopra, dei Guardiani dirimpetto in
« uno de' lati fuori del termine del Presbi-
« terio ».

§ XXVII.

« Si proibisce espressamente agli uo-
« mini ed alle donne di qualsivoglia stato
« e condizione (eccettuate le Persone Regie,
« quando vi si trovino) l'entrare sotto qual-
« sivoglia pretesto ad orare nel Presbiterio,
« o sia recinto dell'Altare dove sta esposto
« il Venerabile, dovendo quel luogo esser
« occupato solamente dagli Ecclesiastici de-
« stinati al Ministero Divino o all'assistenza
« dell'Orazione; il che si osserverà non solo
« nelle Chiese, dove ricorre l'Esposizione
« ordinaria, ma anche in tutte le altre,
« dove per indulto Apostolico, o per altra
« legittima facoltà, occorre farsi l'Esposi-
« zione, benchè per breve tempo: al che
« provvederanno li Superiori o Sagrestani,
« col riparo delli banchi ancora bisognando.
« Inoltre ordiniamo e comandiamo ai Ret-
« tori e Superiori tanto Secolari che Re-
« golari di qualsivoglia Chiesa, che, durante
« la detta Esposizione, non ardiscano di
« far portare respettivamente qualsivoglia
« sorta di sedie nelle Chiese a qualunque
« persona d'ogni sesso, grado e condizione,
« sotto la pena di dieci scudi alli Rettori
« Secolari da applicarsi ad usi pii, riser-
« vata la terza parte per l'accusatore; ed
« a' Regolari della privazione della voce
« attiva e passiva ed altre a Nostro arbi-
« trio ».

§ XXVIII.

« Non si terranno nelle Chiese delle Es-
« posizioni anche particolari bacili per l'ele-
« mosine, nè v'assisteranno Religiosi o altri
« Ecclesiastici, nemmeno persone laicali per
« riceverle, come nemmeno andranno Chie-
« rici, Confrati, Mandatari o altre persone
« questuando per la Chiesa. Molto meno
« dovranno far ciò li poveri, i quali saranno
« per lo spazio di canne dieci lontani dalla
« porta della Chiesa, sotto le pene conte-
« nute nell'Editto stampato a parte. Che
« perciò sarà parimenti cura dei Superiori
« e Sagrestani e degli esecutori, che v'as-
« sistano, il procurare, che non entrino in
« Chiesa, ad effetto d'evitare la distrazione
« dei fedeli che orano, potendo li bene-
« fattori caritativi far le limosine fuori delle
« Chiese, siccome ordinò la San. Mem. di
« Clemente XI con speciale editto, da cui si
« proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese
« lemosine ai poveri ».

§ XXIX.

« Si avverte che non termini l'Ora-
« zione in una Chiesa, se non che dopo
« che sarà principiata nell'altra; e ciò si
« osserverà da qualunque Chiesa, benchè
« Basilica e Collegiata, o in qualsivoglia
« modo privilegiata ».

§ XXX.

« Terminata la Messa della Reposizione,
« il Celebrante prenderà il piviale (osser-
« vando il rito respettivamente sopra de-
« scritto dopo la Messa dell'Esposizione) e
« genufletterà con i Ministri avanti il San-
« tissimo Sacramento nel mezzo sull'infimo
« grado dell'Altare. Immediatamente i Can-
« tori principieranno le Litanie; e si conti-
« nuerà sino al ℣. *Domine exaudi oratio-*
« *nem meam* inclusive. Dopo alzatosi il Ce-
« lebrante con i Ministri, ponerà ivi nel
« mezzo l'incenso senza benedizione; e
« genuflesso incenserà tre volte il SSm̃o
« Sacramento e prenderà il velo umerale.
« Fatta l'incensazione, il Diacono con le
« dovute riverenze leverà il Sacramento
« dal Trono; ed immediatamente stando
« in piedi lo consegnerà al Celebrante ge-
« nuflesso, genuflettendo anche esso Dia-
« cono, subito che avrà consegnato il Sa-
« cramento; praticandosi poi respettiva-
« mente ciò che nell'Esposizione si è detto
« circa le cerimonie e il rito della Proces-
« sione ecc. ».

§ XXXI.

« Ritornato dopo la Processione il Cele-
« brante all'infimo grado dell'Altare, il Dia-
« cono genuflesso riceverà da esso, che starà
« in piedi, il Santissimo, verso cui il Cele-
« brante genufletterà immediatamente e de-
« porrà il velo umerale. Il Diacono lo col-
« locherà sopra il Corporale in mezzo del-
« l'Altare e ritornerà al suo luogo. Il Ce-
« lebrante al ℣. *Genitori Genitoque etc.*,
« alzatosi coi Ministri, porrà, come sopra,
« l'incenso senza benedirlo; ed incensato il
« Sacramento, li Cantori diranno ℣. *Panem*
« *de coelo etc.* (a cui s'aggiungerà l'*Alle-*
« *luia* nel tempo Pasquale solamente ed in
« tutta l'ottava della Festività del Corpus
« Domini in qualsivoglia esposizione, che si
« faccia). Il Celebrante alzatosi, senza far
« nuova genuflessione, sostenendo li Mini-
« stri il libro (senza dire ℣. *Dominus vo-*
« *biscum*, come per Decreto della Sacra
« Congregazione de' Riti) canterà le Ora-
« zioni a mani giunte, le quali terminate, ge-
« nuflesso prenderà il velo umerale; ed
« ascendendo solo all'Altare, fatte le do-
« vute riverenze, prenderà nelle mani ri-
« coperte, come si disse, con l'estremità
« del velo umerale l'Ostensorio e darà con
« esso la benedizione al popolo; e riposto
« il Sacramento sopra il Corporale, discen-
« derà e starà genuflesso al suo luogo. Il
« Diacono immediatamente, o un Sacerdote
« con Stola, fatte le dovute riverenze, chiu-
« derà il Sacramento nel Tabernacolo, il
« quale per tale effetto dovrà ritenersi nel-
« l'Altare dell'Esposizione; e l'Ostia conse-
« grata si dovrà consumare nella Messa, o in
« quella mattina o nella seguente: dopo di
« che partiranno e terminerà l'Orazione di
« Quarant'ore ».

§ XXXII.

« Nel tempo, che durerà l'Orazione me-
« desima, si proibisce espressamente il pre-
« dicare, ma volendo fare dopo li Vesperi
« qualche breve sermone per eccitare li
« fedeli alla devozione verso il SSm̃o Sa-
« cramento, si dovrà prendere la licenza
« e benedizione da Noi o da Monsignor
« nostro Vicegerente, anche nelle Chiese
« de' Regolari ed in qualunque modo privi-
« legiate; e non solo nell'Esposizione di
« Quarant'ore, ma in qualsivoglia altra Espo-
« sizione; la quale licenza si darà in *scriptis*.
« Quello poi che dovrà sermoneggiare, sarà
« almeno costituito nell'Ordine Diaconale; e
« sermoneggerà con la Cotta, benchè sia Re-
« golare, ma senza la Stola; ed a capo sco-
« perto vicino all'Altare, dove sta esposto
« il SSm̃o; ed in un sito, che non obblighi
« li circostanti a fare atti d'irriverenza con
« voltare le spalle al SSm̃o Sacramento ».

§ XXXIII.

« Le Chiese, ove sarà l'Orazione di Qua-
« rant'ore, dovranno la sera stare aperte,
« fintanto che vi sarà popolo per orare, ma
« perchè non può darsi in ciò un'ora de-
« terminata sì per la situazione di esse, come
« per la mutazione delle stagioni; perciò
« potranno chiudersi circa le tre ore l'e-
« state; e l'inverno ad ore cinque: s'av-
« verte però, che anche a porte chiuse do-
« vrà continuare l'Orazione, come s'è detto
« al numero IX, non dovendo mai essere

« interpolata l'Orazione di Quarant'ore, come « per Decreto della Sacra Congregazione « de' RR. ».

§ XXXIV.

« In ogni Chiesa di Roma si terrà affisso « in luogo patente la lista delle Quaran- « t'ore per informazione dei fedeli devoti ».

§ XXXV.

« Parimenti in ogni Chiesa, ove è de- « terminata l'esposizione, si dovrà tenere « affissa continuamente nella Sagrestia la « presente Istruzione, acciocchè niuno possa « allegare l'ignoranza delle regole e pre- « cetti, che vi si contengono ».

§ XXXVI.

« Non ardirà alcun Rettore, Curato o « Sagrestano, fuori dell'ordine assegnato « nella lista delle Quarant'ore, esporre il « SSmo Sacramento sotto qualsivoglia pre- « testo o consuetudine, per veruna causa « grave, nè per infermi, senza Breve spe- « ciale di Sua Santità, o almeno licenza se- « gnata da Noi o da Monsignor Nostro Vi- « cegerente e sottoscritta dal Deputato delle « quarant'ore, la quale ottenuta s'esporrà il « Venerabile in un Altare o Cappella con « un velo avanti e col suddetto numero « di venti lumi: e si osserverà puntual- « mente il tempo, che dovrà durare l'espo- « sizione, assegnato nella suddetta licenza, « sotto le pene infrascritte e privazione « d'offizio ».

§ XXXVII.

« Finalmente si comanda espressamente, « che tutti e singoli i sopraddetti ordini si « debbano inviolabilmente osservare; e che « si obbedisca esattamente, per quello che « potesse occorrere di più, al nostro Depu- « tato sopra le quarant'ore, sotto la pena agli « Maestri di ceremonie, che assisteranno alle « funzioni, se non saranno adempite esat- « tamente tutte le ceremonie ed i riti pre- « scritti; i quali Maestri di ceremonie de- « vono essere almeno in Sacris, tanto in que- « sta, che in ogni altra funzione solenne, « secondo il Ceremoniale de' Vescovi lib. 1, « cap. 5: ed agli trasgressori respettivamente « de'suddetti ordini, di scudi dieci d'oro da « applicarsi a luoghi pii: ed alli Regolari, « della privazione di voce attiva e passiva, « di carcere e di altre pene maggiori ri- « servate a nostro arbitrio; dichiarandosi, « che in difetto dell'osservanza, si proce- « derà più rigorosamente contro li Supe- « riori e Sagrestani delle Chiese, alli quali « appartiene, più che ad ogni altro, la buona « regola e cura di esse ».

« Dato dalla nostra residenza questo « dì 1 Settembre 1731.

« P. Cardinal Vicario.
« Carlo Guazzuglia Deputato.

« Nicolò Antonio Canonico Cuggiò Se- « gretario ».

FINIS VOL. III.

Decreta in hoc volumine relata ita reperiuntur in Regestis Decretorum in Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis existentibus.

In fidem etc.

Loco ✠ Sigilli

Diomedes Panici *S. R. C. Secretarius*